NILI MYSTICI EX PARADISO VOLUPTATIS, SIVE VERBI DIVINI SEPTEMPLICI ALVEO...

Philipp Kilian

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

NILI MYSTICI AUCTARIUM TERTIUM,

SIVE

EXHORTATIONES ET SERMONES,

Quales ad Religiosos & Religiosas, præsertim CLERICOS, intrà privatos parietes à Superioribus, & Præfectis spiritus, statis temporibus haberi solent:

Ita dispositi, ut juxta copiosum Indicem, plerisque Dominicis & Festis per annum inservire possint.

INFLUUNT IN HOC AUCTARIUM NILI MYSTICI DUODECIM RIVULI MELLIS, LACTIS, ET OLEI,

EX PETRA DURISSIMA,

QUÆ EST

CHRISTUS JESUS CRUCIFIXUS,

SIVE

Duodecim Exhortationes ad Sodales Congregationis Christi in Cruce agonizantis.

AUTHORE

R. P. PHILIPPO KISELIO, Fuldensi, è Soc. JESU.

Cum Privileg. Sac. Cæs. ac Reg. Majestatis.

(o)

BAMBERGÆ,

Sumptibus JOANNIS ELIÆ HÖFFLING,

M.DC.LXXVII.


DAMIAN. HARTARD. S. SED. MOGUNT. ARCHIEP. S. R. I. PER. GERM. ARCHIC. PRINCEPS. ELECTOR. EPISCOP. WORMATIA.
Kilian f.

EMINENTISSIMO, REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D. DAMIANO HARTARDO,

S. SEDIS MOGUNTINÆ

ARCHIEPISCOPO,

SACRI ROMANI IMPERII PER GERMANIAM ARCHICANCELLARIO, PRINCIPI ELECTORI, EPISCOPO WORMATIENSI, &c.

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

EMINENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, DOMINE CLEMENTISSIME, permitte mihi servorum Tuorum minimo, è minima Societate JESU, ut Eminentiæ Tuæ, paucis, sed claris verbis, hujus meæ proponam causam Dedicationis, quam Tomo Concionum mearum Decimo præfigere volui. Cupio modicùm conferre

ad universalem applausum, quo anno superiore, millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, totum S. R. Imperium, quo Invictissimus Imperator LEOPOLDUS, quo Augustissima Domus Austriaca, quo Subditi omnes Archiepiscopatus Moguntini, approbarunt, & hodiedum probant, factam unanimem Electionem Eminentissimæ Tuæ Personæ, in Archiepiscopum Moguntinum, & primum S. R. Imperii Principem Electorem. Plausum tulit hæc electio, tum ob eximia dona & talenta, naturæ & gratiæ, cum quibus DEUS in Eminentiam Tuam, spiritum infudit Principalem: tum ob dulcem memoriam Eminentissimi, & Germani Fratris Tui *Caroli Caspari*, Archiepiscopi Trevirensis, p. m. cujus consilio, auxilio, & constanti in DEUM, Religionem, Patriam, & Cæsarem fide factum fuit; ne rueret S. R. Imperium. Et periclitasset, nisi ad Rheni & Mosellæ ripas, stetisset hæc immobilis, & inconcussa Petra! Hinc tam bene merito Principi applauserunt omnes, quòd Te Germanum Fratrem viderit, & salutaverit Archiepiscopum Moguntinum, & S. R. Imperii Principem Electorem.

Verùm ad hunc applausum, quid ego conferre potero? Hoc modicum. Hic meus liber, quod prioribus contigit, intra breve tempus præcipua Regna & Provincias Europæ peragrabit. Itaque cùm Italiæ prærupta montium cacumina, & Alpes fuerit transgressus, monstrabit Italis præfixam operi effigiem,

figiem, mutiſque vocibus (habent enim libri ſuas linguas,) ſuaviter eruditis inſuſurrabit auribus, & oculis; Talis eſt *Damianus Hartardus*, S. Sedis Moguntinæ Religioſiſſimus Archiepiſcopus, juxta & Piiſſimus Antiſtes.

Quamprimùm hic meus Liber per Pyrenæos montes, latiſſimas Hiſpaniæ penetrabit in oras, eadem effigies dicet Hiſpanis, hic eſt *Damianus Hartardus*, S. R. Imperii fideliſſimus Elector. Tranſibit meus liber per florentiſſimas Galliarum Regni Provincias, tum Gallis conſpectâ effigie, interrogaturis: Hoccine eſt illud Sapientiæ Germanicæ Oraculum? Hiccine ille Principum ſapientiſſimus, *Damianus Hartardus*? Muta licèt effigies, tamen reſpondebit, Ipſe eſt.

Multa hujus mei libri Exemplaria diſtrahentur per hæreditarias Auguſtiſsimi Leopoldi Provincias, in quibus ſine dubio Auſtriaci cum magno cordis jubilo, in ſimiles erumpent voces: Hiccine eſt ille Imperatori noſtro fideliſsimus & integerrimus Archi-Cancellarius? totique Domui Auſtriacæ addictiſsimus Princeps Elector? Hiccine eſt ille *Damianus Hartardus*, Germanus Frater Famoſiſsimi apud nos *Caroli Caſpari*, Archiepiſcopi Trevirenſis, cujus currens per orbem fama, non Auſtriam tantùm, verùm & totam implevit Europam! Reſpondebit meus liber cum plauſu: Hic eſt! talis eſt! ipſiſsimus eſt!

Hic meus liber ad Polonos quoque excurret, excurret ad Urbes maritimas, & S. R. I. plagas Septentrionales; excurret in Belgium & Angliam, totamque latè Germaniam inundabit; ubique omnibus Eminentiæ Tuæ monstrabit effigiem, & dicet: Hic est *Damianus Hartardus*: Et hoc est illud Modicum, quod ad communem applausum conferre possum.

Cupio tamen insuper, ut hæc mea Dedicatio pluribus & doctissimis Lectoribus referat aliquid memoriâ dignissimum, ad Illustrissimi Nominis ac Regiminis tui immortalē gloriam. Nimirum quòd nuper, dum octavâ die Septembris, in solenni Virginis MARIÆ Nativitate, Reverendissimus, Illustrissimus, Celsissimus Princeps ac Dominus, D. *Petrus Philippus*, Imperialis Ecclesiæ Bambergensis, nec non Cathedralis Herbipolensis Episcopus, Franciæ Orientalis Dux, &c. in Æde Metropolitana Moguntina, Eminentiam Tuam, solenni Ecclesiæ ritu, consecravit Archiepiscopum, & Archi-Episcopali Pallio redimivit; eâdem die vespere, quartam inter & quintam, Mars Gallicus, tot victoriis inclytus, Augustissimæ Aquilæ obtulerit claves, portas, & mœnia invictissimi Castri Philippoburgensis. Certè lætior nuntius tam niveum Consecrationis Tuæ diem beare non potuit.

Scio, *Eminentissime Princeps*, moris esse, ut librorum Dedicationes excurrant in encomia Nobilissimi stemmatis, ex quo oriundus est, cui liber dedicatur;

catur; sed ego hîc actum agerē, quod nimirum jam alii accuratè præstiterunt. *Eminentissime Princeps*, Petra, de qua excisus es, dudum stetit, & stat, in montibus excelsis, cum omnium votis, ut generatio hæc non prætereat. Scio, etiam ab Auctoribus impleri folia laudibus & encomiis eximiarum virtutū, quæ doctorum Virorum Mecœnates reddunt illustres & famosos; sed scio etiam Eminentiæ Tuæ fore gratiùs, ut illæ spectatorum oculos ultro incurrant, & luceant in candelabro, quàm ut verborum copiâ enumerentur.

Hoc spero, nemo improbabit, si naviculam, in quâ Nili fluenta iterum tentare cogito, ut nova inveniam Concionum mearum Incrementa, & Auctaria, alligem ad Eminentiæ Tuæ gentilitiam Petram, ad quam tuta consistat; quæ gratia ut mihi non negetur, demississimè rogo.

Ego aliam Operi meo vicissim apposui Petram, quæ est Christus crucifixus; ex qua, ut super Eminentiam Tuam per multos annos, felicissimi Regiminis, Rivuli fluunt mellis & lactis, enixè precor. Wormatiæ festo S. Michaëlis Archangeli, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto.

Eminentissimæ Vestræ Celsitudinis

humillimus Servus

PHILIPPUS KISELIUS, è Soc. JESU.

PRIVILEGIUM
CÆSAREUM,
Et Poteſtas Bibliopolæ facta à R. P. Provinciali Provinciæ Rhenanæ Superioris Societatis Jesu.

C*Um S. Cæſareæ Majeſtatis Decreto Typographis, Bibliopolis, ac aliis librariam negotiationem exercentibus inhibitum ſit, ne quis libros à PP. Soc.* Jesu *editos ſine Superiorum ejuſdem Societatis licentia, intra S. R. Imperii, ac Regnorum & Dominiorum ſuorum fines, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel recudendos aliò mittere, aut alibi impreſſos adducere ac diſtrahere audeat:* Concedo *ego* Matthæus Storr, *Societatis Jeſu per Rheni Superioris Provinciam Præpoſitus Provincialis,* Joanni Arnoldo Cholino, *Francofurtenſi, &* Joanni Eliæ Hôffling, *Bambergenſi; Bibliopolis, facultatem excudendi* Auctarium Tertium Concionum, à R. P. Philippo Kiſelio, *noſtræ Societatis Sacerdote concinnatum. In cujus rei fidem hoc illis teſtimonium dari curavi, Moguntiæ 1, Septembris, 1676.*

(L.S.)

MATTHÆUS STORR.

APPRO-

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ RHENANÆ SUPERIORIS SOC. JESU.

EGO *Matthæus Storr*, Soc JESU ad Rhenum Superiorem Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi factâ ab *Adm. Reverendo P. N. Joanne Paulo Oliva*, Præposito Generali, *Auctarium Tertium Concionum, à R. P. Philippo Kiselio*, Soc. nostræ Sacerdote conscriptum, atque ab aliquot ejusdem Societatis Theologis recognitum & approbatum, typis mandari permitto. In cujus fidem has literas manu propriâ subscriptas, & sigillo munitas dedi Moguntiæ, 1. Decembris, 1676.

(L.S.)

Matthæus Storr.

INDEX PRIMUS
TRACTATUUM ET EXHORTATIONUM.

TRACTATUS PRIMUS.

De præcipuis Mysteriis Vitæ D.N. JESU CHRISTI.

TRACTATUS SECUNDUS.

De quibusdam præcipuis Festivitatibus.

TRACTA-

TRACTATUS TERTIUS.

De Festivitatibus B. MARIAE Virginis.

TRACTATVS QVARTVS.

TRACTATVS QVINTVS.

De Sanctis è Societate JESU.

TRACTATUS SEXTUS.

De præcipuis Virtutibus.

TRACTATUS SEPTIMUS.

INDEX SECUNDUS
Dominicarum & Festorum per Annum,
Quibus Exhortationes hujus Tertii Auctarii servire possunt per modum Concionum.

Domi-

Dom. 16.

Dominica 16. post SS.Trinit.

Fieri poterit pulcra Concio; de præparatione ad sanctam mortem ex Exhortationibus Agoniæ. Item ex Exhort. de Præsentatione B. Virginis. f.297.

Dominica 17 post SS.Trinit.

Passio Christi est antitodum contra omnia vitia. Exhort. ag. fol.

Dominica 18.post SS.Trinit.

Multa ex Exhortationibus de Incarnatione, de Nativitate Christi, poterunt applicari Excellentiæ Christi. D. Quid vobis videtur de Christo?

Dominica 19.post SS Trinitat.

Servient Exhortationes de Fiduciâ.

Dominica 20.post SS.Trinit.

Timor Domini se extendit ad infernum. Vide Exhort. de Timore Domini. fol.447.

Dominica 21.post SS.Trinit.

Morbi tolerandi cum Patientia, ex Exhort. de hâc virtute.

Dominica 22 post SS.Trinit.

Diligendos esse inimicos. Ex Exhort. de mutuâ dilectione. fol.510.

Dominica 23.post SS.Trinit.

Quære materiam alibi.

Dominica Ultima post SS. Trinit.

De gravitate peccati mortalis. Exhort. agoniæ. fol.

FESTA.

Festo S. Francisci Xaverii.

Vide Exhortationem. fol.322.

Festo Immaculatæ Conceptionis B.V.

Vide Exhortationem. fol.252.

Festo S. Thomæ Ap.

Poterit fieri pulchra concio ex Exhortationibus de Vulneribus Chr. 59.

Festo Nativitatis Christi D.

Vide Exhortationes de festis Natalitiis. à fol.30.

Festo S. Stephani.

Vide Exhortationes easdem vel diligendos esse inimicos, ex Exh de mutuâ dilectione. f.510.

Festo S. Johannis Evangelistæ.

Servire poterunt Exhortationes Natalitiæ. à fol.30.

Festo Circumcisionis.

Vide Exhort. de excellentiis in Nomine JESU. fol.53.

Festo Epiphaniæ.

Multa servire poterunt ex Exhortationibus de Renovatione Votorum. fol.395.

Festo Purificationis B.V.

Vide Exhortationem, fol.258

Festo S. Matthiæ.

Servire poterunt multa ex Exhort. de Humilitate.

Festo Annuntiationis B.V.

Vide Exhortationes. fol.265.

Feria 2 Paschatis.

Christus D. gloriosus. Vide in indic. Tit. Christus.

Feria 3 Paschatis.

Christus D. speciosus & amabilis. In Indice, Tit. Christus. Vid. Exhort. fol.72.

Festo SS. Apost. Philippi & Jacobi.

Vide Exhortationem, de fugâ tristitiæ & gaudio Cordis. fol.388.

Festo Ascensionis Christi D.

Vide Exhortationes à fol.189.

Feria 2. Pentecostes.

Vide Exhort. de Donis Spiritus S.

Feria 3. Pentecostes.

Vide Exhortationes de Donis Spir. S.

INDEX TERTIUS RERUM.

A.

Amoris

D.

E.

Memo-

R. Reno-

TRA-

TRACTATVS PRIMUS.

DE PRAECIPVIS MYSTERIIS VITAE D. N. IESV CHRISTI.

EXHORTATIO I.

DE MYSTERIO INCARNATIONIS.

THEMA.

Verbum caro factum est, Joan. 1. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXhortatio hæc, est veluti aurea catena pulcherrimarum sententiarum, ex variis SS. Patribus, quibus exponitur Mysterium Incarnationis, super citata verba, *Verbum caro factum est.*

§. 1. *Explicatio S. Epiphanij.*
§. 2. *Alia B. Andreæ Hierosolymitani, per varia elogia B. Virginis.*
§. 3. *Alia ex B. Petro Damiano. In mysterio Incarnationis multa sunt ineffabilia.*
§. 4. *Alia ex S. Chrysostomo. Quod Verbum caro factum sit, scimus, Modum nescimus.*
§. 5. *Expositio Venerabilis Bedæ. Mysterium incarnationis contigit in umbrâ.*
§. 6. *Confirmatur ex aliis SS. Patribus; Modum incarnationis esse ineffabilem.*
§. 7. *Citata verba explicantur ex v. 6. Psalm. 71.* Descendet sicut pluvia, &c. *Maria vellus.*
§. 8. *Frustrà quærimus,* Quomodo?
§. 9. *Verbum Incarnatũ ab Isaia vocatur*

vocatur germen, *& pulchrè.* | *unica vocula salutationis Angelicæ*, Ave!
§. 10. *Eximii fructus mysterii Incarnationis, continentur in*

§. 1. Explicatio S. Epiphanii super hæc verba, verbum caro factum est.

OCcasione horum verborum, de mysterio Incarnationis, (quod tempore Adventus peculiari devotione colimus) S. Epiphanius B. Virginem ita fuit allocutus. *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti! Stupendum enim est miraculum in cælis mulier amicta sole: Stupendum miraculum in cælis mulier gestans lucem in ulnis; stupendum miraculum in cælis, alter Cherubicus thronus; stupendum miraculũ in cælis mulieris filius, qui & ipsius & sæculorum est Pater; stupendum miraculum in cælis, thalamus Virginis, habens Filiũ DEI, DEUM, sponsum Christum.* Hoc est, *Verbum Caro factum est!*

§. 2. Alia B. Andrea Hierosol. per varia elogia B. Virginis.

B. Andreas Hierosl. in explic. Salut. Ang. sic loquitur. *Est Virgo Mater sancta tellus, ex qua novus Adam ineffabili fictione formatus nascitur; Est sacrum DEI fermentum, quo tota generis humani massa conspersa, & ex quo Christi corpus tanquam panis conficitur: est nova gloriæ arca, & urna aurea, quæ dulce manna continet, atq; præstat: est mirificum arvum, ex quo cælestis agricola, suam sine semine spicam educit; est eximium templum, ex quo DEUS Sacerdos secundum ordinem Melchisedech egreditur; atque ut absolvam, est ardens, ipsique Moysi,* Exod. 3. v. 2, 3. *admirabilis rubus, quem divini partus flamma non adussit.* Hoc est, *Verbum caro factum est.* Maria tellus, Jesus flosculus [sic de reliquis.]

§. 3. Alia ex B. Petro. Dam in mysterio Incarnationis multa sunt ineffabilia.

Audiamus B. Petrum Damianum Ser. 2. de Nativ. Virg. *Quæ lingua explicare sufficiat, vel quæ ratio humana non obstupescat, cum cogitare cœperit, quia Creator oritur ex creatura; factor fit ex factura, quod in virgineo utero concipitur, qui vastissima totius mundi amplitudine non tenetur. Iacet intra materna viscera Parvulus, qui cum coæterno Patre, rerum omnium jura gubernat, immensus! O beata ubera! quæ dum tenue lac puerilibus labiis infundunt, angelorum cibum, & hominum pascunt; exiguum exprimunt liquorem, & mun-*

& mundi reficiunt Creatorem. Qui suæ virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram innumeris ubiq; fontibus irrigat, raras de virgineo pectore guttas exspectat. Manat liquor ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris. Hoc est, *Verbum caro factum est!*

Fateor aliquem cum S. Chrysostomo uti posse verbis Virginis ad Gabrielem, Luc. 1. v. 34. *Quomodo fiet istud?* sed respondeo cum eodem S. Chrysostomo. *Scio, quod Verbum caro factum est, sed quomodo factum est, nescio. Ne mireris, quod ego nescio, quod omnis creatura ignorat. Hoc scio, quod Spiritus S. & Virtus Altissimi de Virgine muliere virum mirabiliter propagavit, sed vir ille adeò mirabilis est, quod à nobis incognoscibilis.* D. Bernardus hom. 4. super Missus. *Quis possit intellectu capere, qualiter splendor ille inaccessibilis, Virgineis se visceribus infuderit; & ut Virgo inaccessibilem ad se accedere ferre potuerit?* Quod factum sit, scio; quomodo factũ sit, nescio. Spiritus S. fecit, *Verbum caro factum est.* §. 4. *Ex S. Chrysost. Quod verbum caro factum sit, scimus Modum nescimus.*

Venerabilis Beda modum admirabilem Incarnationis ita fuit conatus exponere: *Sol, id est, Divinitas Christi, tegmine se naturæ humanæ, quasi obambraculo quodam obtexit, quo mediante Virginis eum viscera ferre sufficerent. Sicque Virtus Altissimi obumbravit ei: Dum divina Christi potentia, & eam præsentialiter implevit, & ut capi posset ab ea, substantiâ se nostræ mortalitatis obnubilavit.* Et ita uterus Virginis factus est lectulus, de quo sponsus ait Cant. 1. v. 15. *Lectulus noster floridus est*, vel ut LXX. legunt: *lectulus noster umbrosus est*, hoc est, mysterium Incarnationis peractum est in umbra, ut illud nos clarè intelligere non possimus. S. Damascenus l. 5. de fide c. 4. ait: *Cùm de persona verba facimus; sive ab utraque parte simul, sive ab altera duntaxat appellemus, utriusque naturæ proprietates ei imponimus; Etenim Christus & DEVS, & Homo dicitur; & creatus & increatus; & passibilis & impassibilis; DEVS passibilis nominatur, & Dominus gloriæ in crucem actus; non quà Deus est, sed quà idem etiam homo est; eodemque modo cum homo, & filius hominis appellatur, divinæ essentiæ proprietates, atque ornamenta suscipit: Puer enim omni ævo antiquior dicitur, & homo* §. 5. *Expositio Venerabilis Bedæ. Mysterium Incarnationis contigit in umbra.*

principii expers; non id quidem, quà ratione puer & homo est, sed quà Deus omni ævo prior, ab extremo puer factus est. Scio, ita eleganter explicari hæc verba, *Verbum caro factum est.* Sed quomodo talia fieri potuerunt? nescio. Sub umbrâ circa obscurissimum hoc mysterium, debemus exercere nobilissimos actus fidei, parati, mori, pro veritate hujus articuli, *Verbum caro factum est.*

§. 6. *Aliorū SS. PP. opinio, modum Incarnationis esse ineffabilem.*

Ita sensit D. Fulgentius, cùm dixit. *Firmissimè teneas, & nullatenus dubites, unam ex Trinitate Personam*, id est, *Dei Filium, qui de natura Patris solus natus est; & unius, ejusdemq́ naturæ cum Patre est; ipsum in plenitudine temporis, secundum susceptionem formæ servilis, voluntariè in Virgine conceptum, & de Virgine natum, verbum caro factum, ipsum quoque esse, qui essentialiter natus est de Patre, & essentialiter conceptus est, natusq́ de virgine, ipsumq́ unum esse, & unius naturæ cum virgine.* Addit D. Cyrillus ep. 1. *Hanc fidem divini discipuli nobis tradiderunt; ad hunc modum à SS. Patribus instituti sumus.* Modus nobis est ineffabilis. S. Bernard. ita nos instituit, hom. 4. super Missus. *Quod ex te nascetur, sanctum vocabitur, Filius DEI, quoniam non est de homine, sed de Spiritu S. quod concipiet; Concipies autem Altissimi virtutem, hoc est, Filium Dei, ideoq́ & quod nascetur ex te, Sanctum vocabitur, Filius DEI. Id est, non solùm quod de sinu Patris, in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id, quod de tua substantia sociabit, ex hoc jam vocabitur Filius DEI. Quemadmodum & is, qui à Patre est ante sæcula genitus, tuus quoquomodo reputabitur Filius; sic autem quod natum est ex ipso Patre, erit tuus: & quod nascetur ex te, erit ejus; ut tamen non sint duo filii, sed unus; Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit, non tamen cujusque suus, sed utriusque erit filius.* Hanc fidem nos docet sancta mater Ecclesia, ita instituimur. Hoc modo, *Verbum caro factum est:* Sed quis ille modus? nescimus, credimus.

§. 7. *Hæc verba, Verbum caro factum est, explicantur per v. 6. Ps. 71. De-*

Aliquam tamen tanti mysterii cognitionem sacræ literæ nobis proponunt per varias figuras. Regius Psaltes Psal. 71. v. 6. ait: *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Plurimi SS. PP. S. Hieron. S. Theodoretus, Euthymius, &c. communi sensu hunc locum explicant de Incarnatione

verbi

Verbi Dei. Ut hæc Psalmi verba, *descendet*, &c. idem significent quod, *Verbum caro factum est*. Audite S. Ambrosium Ser. de Nat. Domini. *Descendet sicut pluvia in vellus, quid tam silenter, & sine strepitu fit, quàm cum imber in lana vellus infunditur? nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit; sed sine inquietudine hominem, totum imbrem permultipliciter fusum, toto corpore in se trahit. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore. Rectè inquam, MARIA velleri comparatur, de cujus fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu ejus Agnus egressus est; qui & ipse Matris lanicinium, hoc est, carnem gestans molli vellere, cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim vulnus peccati, Christi lanâ suffunditur, Christi fovetur sanguine, & ut sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur.* Quibus verbis potissima insinuatur causa, propter quam verbum caro factum est, ut DEUS homo, pro homine posset pati, mori, & sanguinem fundere, pro curatione vulnerum nostrorum. D. Hier. in Ps. 71. *Sicut in vellus Gedeonis pluvia descendit; ita Filius Dei illapsus est in uterum Virginalem, per Spiritus Sancti infusionem.* Auctor incognitus addit: *Congrua similitudo, lana enim accipiendo, vel reddendo aquam non rumpitur, sed integra manet. Sic in gloriosa Virgine virginitas, ante partum, in partu & post partum permansit inviolata.* Et Eusebius Emiss. hom. 2. de Nat. Dom. *Quid primum mirer, quidve postremum? quod sine conceptu est collata fæcunditas, an quod post partum est magis glorificata Virginitas: Imò magis per partum mirabilem, & mundissimum est decorata; ubi jura naturæ abscissa sunt.*

Descendet sicut pluvia, &c.

Maria Vellus.

Sed quomodo, quæris; inquit D. Ildephonsus, *de origine interrogas, de ratione perscrutaris, & de experientia requiris, de ordine sciscitaris? audi inauditum oraculum, considera inusitatum opus, animadverte incognitum arcanum, Spiritus S. supervenit in illam, & virtus Altissimi obumbravit illi, tota indivisibiliter Sanctissima Trinitas conceptionem operata est, &, verbum caro factum est. Ecce enim insolito modo, insolito usu, insolito ordine, insolito jure, in una*

§. 8. *Frustra quærimus* Quomodo

persona, natura divina, conjuncta est humanâ; Concepit virgo DEUM hominem, & hominem DEUM.

§. 9. *Verbum incarnatum ab Isaia vocatur germen, & pulchrò.* Quod admirabile mysterium cùm in Spiritu videret Isaias, dixit cap. 4. v. 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio.* Quibus verbis Propheta duplicem exprimit generationem; Unam, quâ germen Domini est, & ex substantia Patris ante sæcula genitus; plenam omni magnificentia & gloriâ, per quam Pater Filio omnem suam substantiam, & omnem gloriam dedit; alteram, quâ germen & fructus est terræ benedictæ, ex substantia Matris in sæculo conceptus; quod Isaias tam ardenter desideraverat, c. 45. v. 8. *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Terra enim virginea, manens incorrupa, signata & integra, soli Spiritui S. & virtuti Altissimi fuit aperta; in qua & ex qua carnem assumeret Dei Filius, & fieret fructus terræ, & germen justum; fructus terræ ita sublimis, ut ipse sit Redemptor & Salvator mundi, Angelorum Rex, cœli & terræ Dominus; & nobis ex illo fructu, terræ sublimi, non solùm lætitia & exultatio, sed & omnium bonorum copia, & abundantia proveniat, juxta illud Ps. 64. v. 10. *Visitasti terram* (sive, *Verbum caro factum est,*) *& inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam,* loquitur Propheta de istis deliciis, & consolationibus, quibus exhilarantur illi, qui cum peculiari devotione, præsertim in adventu colunt, & jugi meditatione contemplantur mysterium Incarnationis.

§. 10. *Eximii fructus mysterii Incarnationis, continentur in unica vocula, Ave.* Immensus fructus tanti beneficii & mysterii, in se continet initium salutationis Angelicæ, sive unica & brevissima vocula, *AVE*! S. Augustinus ser. 15. de Nat. Dom. bene advertit, Gabrielem Arch. hâc voculâ non tã voluisse salutare Mariam, quàm excitare ad gaudium & lætitiam, tùm de proprio, tùm de communi totius universi bono. Quale autem fuerit illud bonum toti mundo collatum, iterum insinuat Gabriel Archangelus, dum nomen *Eva*, transmutavit in *Ave,* quâ transmutatione non obscurè significatur, Mariam omnino contrariam extitisse Evæ, in hoc, *quod omnia mala, quæ patravit Eva, Maria commutarit in bonum.* *Ave* ergo dicit Angelus, quasi diceret, ex mente D. Fulgentii,

ser.

ser. de laud. V. *Per te, O Virgo! ex integro excludetur ira primæ sententiæ, & plena benedictionis gratia mundo restituetur.* Ave virgo! gaude! in Adamo propter Evam omnes posteri mortui sunt. Per te in Christo, quem in utero concipies, omnes vivificabuntur. Ab Eva mors, à Maria in Incarnatione vita! Ave Virgo! gaude! cum concipies Filium Altissimi! & quid fit? *una mulier aditum, & locum introeundi peccato dedit, Maria introeundi Iustitiæ serviet, & ancillabitur. Illa consilium serpentis amplexa atque secuta est, Maria, interfectorem serpentis præbebit, & lucis auctorem pariet. O metamorphosin!* dum *Eva* convertitur in *Ave.* Nam ut S. Chrysost. inquit. *Mors per Adam, vita per Christum, Evam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit. Sed seductio Evæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit mundo Salvatorem. Restauratur per Mariam, quod per Evam perierat, per Christum redimitur, quod per Evam fuerat captivatum; deniq; peccatum abolitur per Christum, quod per Adam fuerat contractum: redditur per Mariam vita, quæ per Evam fuerat interempta. Quod alligavit Eva, solvit Maria.* S. Aug. *Percussit illa, ista sanavit.* D. Bern. ser. de laud. Virg. *Crudelis nimis Eva, per quam serpens antiquus pestiferum virus infudit; Sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum nobis propinavit. Illa ministra fuit seductionis, hæc propitiationis: Illa suggessit prævaricationem, hæc injecit redemptionem.* (Ex his facilè fieri poterit Epilogus.)

EXHORTAIO II.

De eodem Mysterio Incarnationis.

DE FIDE ET COGITATIONE INTELlectus, tanquam vera dispositione ad devotionem & amorem erga DEUM infantulum.

THEMA.

Rorate cœli desuper & nubes pluant justum, Esa. 45. v. 8.

SYNO.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

§. 1. *Brevis Propositio.*

VEra devotio erga Deum Infantem in homine religioso, cui cordi fixum est SS. Trinitati possibilem offerre gratiarum actionem, & laudem; hæc inquam devotio, supponit firmissimam fidem de tanto mysterio; ob magni ponderis causas.

§. 2. *Fides Theologica est dispositio ad amorem.*

Prima est. Fides Theologica, dispositio est, ad inflammatum amorem, quem DEO Infanti debemus: neque enim voluntas objectum aliquod amare potest, nisi intellectus facem præferat. Antequam ames, necesse est ut cognoscas, quid ames. Et quia in divinis, credere idem est, quod cognoscere, pari passu, necesse est ut credas, antequam ames. Juxta illud S. Aug. l. 10. de Tr. c. 11. *Amatur à nobis quod ignoratur,* (hoc est, quod comprehendere non possumus) *sed creditur.* Quis comprehendet mysteria DEI Infantis? quia tamen illa credimus, ardentissimo quoque voluntas in illum affertur amore. Fides, fax est, lumen est, sol est, cujus radii nostrum accendunt amorem. Idem S. August. *Vt amet aliquis scire incognita* (etiam altissima Sacramenta) *fieri potest, ut autem amet incognita, non potest. Fides autem* (ut inquit

quit S. Bas. in Ps. 44. *Sagittas habet acutas, quæ secum flammas amoris vehunt.*

Talem sagittam sensit illa Virgo, quæ audita fuit dicere: *Sentio equidem singulari me amore succendi erga Creatorem meum, à quo quidquid habeo, me habere scio. Hanc corporis mei fabricam, hæc membra, corpus, animam, ejus potentias, omnes sensus, & vitam ab illo habeo, proinde ita me erga illum affectam sentio; ut si hinc ab ulla creatura, hinc ab illo, qui me tanto affecit beneficio, vocarer, huic potius continuò, quam illis morem gererem. A bonis fortunæ, & facultatibus benè sum instructa, si tamen creator meus, quid de illis factum vellet, mihi aperire dignaretur, è vestigio voluntati ejus obsequerer.* Tales affectus amoris & benevolentiæ in corde hujus Virginis accendit & inflammavit cognitio, sive fides de beneficio creationis. §. 3. *Fides ardētibus sagittis accendit amorem*

Fides sagittas habet acutas, quæ secum flammas amoris ferunt. Sic enim pergit loqui eadem Virgo. *Porrò cùm Incarnationem Filii DEI, & acerbissimam ejus passionem edocta sum, & credo, quod me pretioso suo sanguine in libertatem asseruerit, ex crudelissima & tyrannica servitute atq; captivitate; longè ardentius à me amandus est, meq; ac membra omnia, facultatesque omnes ejus obsequii, addicendas esse intelligo: itaque ab hoc momento amorem meum per creaturas dispersum, illum unum conferre volo; & toto cordis conatu, ad æternam cum illo conjunctionem aspirare.* An non liquet, quomodo ex majori beneficiorum per fidem cognitione amor sua sumat incrementa, ut primò, quòd ratio naturalis flammulas aliquas accendat, sed quæ nihil sunt, ad illa incendia, quæ fides suscitat. §. 4. *Prosecutio.*

His sagittis amoris, fides illos ferit, de quibus S. Bas. ait in cit. Ps. 44. *Beati, qui vera illius pulchritudinis amore inardescunt; charitatis enim vinculis quodammodo astricti, cœlestem ac beatum amantes amorem, obliviscuntur omnium creaturarum & soli, divino, & puro amori adhærescunt.* Veni ô S. Spiritus, hos amoris affectus in cordibus nostris inflamma erga Deum Infantem; erga Parvulum de Bethleem. O beatos! qui pulcherrimi hujus Infantuli amore inardescunt! sed sine fide, nunquam inardescamus! Fides habet sagittas, &c. Anima mea! an credis hunc Infantem §. 5. *Beati! qui credunt & amant.*

esse tuum Creatorem? tuum Redemptorem? An credis omnipotentem, immensum, &c. si credis, cur non amas? Defectus amoris arguit debilitatem fidei, & cognitionis.

§. 6. *Efficacia cognitionis, & fidei, ad amorem, probatur simili.*

Da mihi rusticum aliquem hominem, & hebetem, dicebat B. Angela de Foligni, *qui magni pretii gemmam reperiat, videbis quòd illum, ad illius pulchritudinis aspectum admirationes defigi, sed quia pretium & gemmæ illius perfectiones ignorat, in unico lucis & coloris aspectu delectatur. Fac illam reperiat gemmarius, in gemmarum æstimatione versatus, is externo aspectu non contentus, ad alias gemmæ perfectiones attentus, quas deprehendit esse longè maximas, ingenti illius gemmæ obtinendæ flagrat desiderio, eamque suam facere, quovis pretio contendit.* Talis gemma, gemma pretiosa! gemma divina! gemma valoris infiniti, est Deus Infans, jacens in præsepio; ad excitandum in nobis illius amorem, non sufficit simplex, & debilis fides, & veluti perfunctoria illius repræsentatio; sed in Divinitatis abyssum, quæ in hoc Puero latet, ejusque admirabiles perfectiones, immergendus est animus, & de illis confitendum, quod de DEO post altissimam contemplationem profitetur S. Ambrosius l. 1. de fide: *De quo cùm dicitur, non potest dici, cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm comparatur, non potest comparari; cùm definitur, ipsâ sua definitione crescit, &c.* Tales cognitiones, sive talis fides sagittas habet acutas, quæ secum flammas amoris ferunt.

§. 7. *Ejusdem cognitionis necessitas.*

Econtra, qui fieri potest, dicebat Marcus Eremita, *ut talpa oculorum lumine destitutus, & velut in terra defossus, ad stellarum pulchritudinem contemplandam assurgat? Et quomodo fieri poterit, ut homo immersus tenebris passionum, & peccatorum, inter densissimas tenebras crassæ ignorantiæ, præsertim de mysteriis fidei, cum gustu & amore contempletur DEUM Infantem.* Foràs, foràs, ex stabulo Bethlemitico cum his talpis; hoc speculum, hæc stella, hæc gemma, hic Sol, hic speciosissimus infans, hic splendor, & radius Divinitatis, ab oculis lucidis, quos radii fidei illuminarunt, vult videri. Quamprimùm videbitis, amabitis. Considerate tres Pastores ad præsepium prostratos; considerate tres Reges, thus, myrrham, & aurum offerentes, *Matth. 2. v. 11.* Quamprimùm vide-

viderunt hunc Infantulum, & agnoverunt, & crediderunt, illum esse mundi Redemptorem! esse Deum! quales putatis amoris flammas exarsisse! Fides illorum habuit acutas sagittas, &c.

O vani filii hominum! quid amatis? S. Aug. in Ps. 31. *Num vobis dicitur: nihil ametis? Absit. Pigri, mortui, detestandi, miseri eritis, si nihil ametis. Amate! sed quid ametis, videte. Purga amorem tuum, & aquam fluentem in cloacam* (sive amorem creaturarum) *converte in hortum. Quales impetus habuisti ad mundum, tales habeas ad artificem mundi.* Artifex mundi, Creator tuus, Redemptor tuus, frater tuus, socius tuus, amicus tuus, sponsus tuus, &c. DEUS Infans, hunc ama. § 8. *Quantum DEVS Infans amandus.*

Ut cum S. Seraphico Francisco dicere possimus: *DEVS meus, & omnia.* Cùm enim fides, intellectui ejus proposuisset, in profunda consideratione, quid esset DEUS; simul ardentis amoris sagittas Seraphico cordi infixit, ut exclamarit: *Deus meus, & omnia!* Quasi diceret: Pater ille meus, protector meus, provisor meus, studium meum, scientia & sapientia mea, occupatio mea, quies mea, refectio mea, spes mea, desiderium meum, timor meus, amor meus, velle & nolle meum; thesaurus meus, opes meæ, gaudium meum, voluptas mea, felicitas mea, possessio mea, & unus mihi omnia. Supra quem nihil est, infra quem, & extra, nihil amore dignum: nolo alium cordis mei possessorem, præter ipsum; reliquis nuntium remitto, dummodo ipso non caream; ille mihi unus erit, semper omnia. Sed redeamus ad Parvulum de Bethleem. Fides nos docet, hunc Infantem esse DEUM, ob admirabilem unionem, quâ in unâ Personâ, in hoc Infante, natura humana unita est divinæ. Itaq; hic Infans est Pater noster, protector noster, provisor noster; hic Infans est spes nostra, voluptas nostra, felicitas nostra, &c. ideo, ô divinissime Infans, non credimus tantùm, sed amamus te, ex toto corde, ex tota anima, &c. *Fides sagittas habet acutas, &c.* § 9. *Exemplo Seraphici S. Francisci.*

Sed, quid inde Divinæ Majestati oritur commodi, quòd illum amemus? quæ utilitas, quòd ita velit à nobis amari. Hoc est, quod ita miratus fuit Seraphicus S. Franciscus, cùm dixit: § 10. *Ideo DEVS nos amat, ut redamemus.*

Quis ſum Deus meus, ut de me cogites; & in magna illa mente tua locum aliquem mihi dones; ut ego viciſſim cogitem de te, & amem te. Idem ita miratus fuit fuit Regius Pſaltes, ut exclamarit, Pſ. 8. v. 5. *Domine, quid eſt homo, quod memor es ejus;* & S. Job cap. 14. v. 3. *Et dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos.* Sanè, qui ex una parte magnitudinem & majeſtatem Dei propius intuetur, & illam, velut ſpeculum divinitatis tot in ſe videt continere perfectiones, ut cum ingenti gaudio paſcere poſſit divinæ mentis æternam contemplationem, habet unde miretur, tantam celſitudinem eò uſq; ſe dimittere, ut de tam vili & miſerabili creatura, de terræ vermiculo cogitare velit, & illius regendæ tantam curam ſuſcipere, hoc fine ut ametur. Quod tanto ardore deſiderat; ut homo fieri, ut in ſtabulo naſci, & in præſepio jacere voluerit. O mi amabiliſſime Puer; cur factus es homo. &c. (eſt locus, pro affectuoſis quæſtiunculis)

§ 11. *Proſecutio.* Antequam amabiliſſimi Pueri nomine reſpondeam; occurrit mihi quæſtio quam quidam Aulicus propoſuit 2. Reg. 13. v. 4. Ammoni filio Davidis, cum viribus omnibus deſtitueretur; quæſtio autem fuit talis. *Quid ſic attenuaris macie, fili Regis?* reſpondit Ammon, *Thamarem amo.* Ite! quærite ex Jeſulo, cur de cœlis deſcenderit, &c. (ut ſuperius) reſpondebit ex præſepio, hominem amo, ut me amet. Hoc clamant panniculi, hoc faſciæ, hoc vagitus & lachrymæ Parvuli, Amat, ut ametur. Si talia creditis; O animæ piæ! impoſſibile eſt, ut fides veſtra, non habeat acutas ſagittas, quæ ſecum ferunt amorem. S. Aug. in perſona Parvuli, ſic reſpondet; *Amo, ut amer! & amore iſto beatos faciat iſtos, qui amaverint.* Quæſo, vos animæ piæ (ut cum eodem S. Aug. loquar) *hunc amemus! hunc amemus.*

§. 12. *Pulchra Hiſtoria.* Philoſophus quidam nomine Peregrinus, cujus meminit Tertullianus, ob inſanam gloriæ cupiditatem, ut nomen ſuum tranſmitteret in poſteros, ludis Olympicis, ac celeberrimo totius Græciæ concurſu, ſtruem lignorum ingentem erigi juſſit, quã ipſe, tædam ardentem manu ventilans aſcendit, & concione ad populum habita, de heroicis virtutibus, ſuâ manu, & tædâ ſtruem accendit, brevique ſpatio temporis, in cineres fuit redactus: in-

ter

ter flammas amentis ambitionis speculum. Per hunc ignem, intravit in ignem inferni, qui nunquam extinguetur.

His feriis Natalitiis, de aliis ego cogito flammis; ad aliud mente, & ardentibus votis anhelo incendium. In theatro amoris, in aulâ Dei infantis, in palatio Regis Regum, in mapali & stabulo Parvuli de Bethleem, coram Deipara Virgine, coram S. Josepho, & Pastoribus; in conspectu cœlestium spirituum, qui lætissimum concinunt, *Gloria in excelsis Deo*; inter fœnum & stramen præsepii, alia ego colligam ligna, & suaveolentes ramos, & surculos. Odoratus surculus est hic actus fidei; hic puer est DEUS! Odoratus surculus hic actus fidei; hic puer est immensus, æternus, omnipotens, &c. Odoratus surculus est cogitatio, hic puer natus est Salvator mundi, &c. Quid superest, nisi ut fides ventilet ardentes suas tædas, & accendantur hi surculi, hæ sanctæ cogitationes, & voluntas credentis uratur & comburatur; ut intellectus captivatus in obsequium fidei, fiat suave holocaustum; voluntas verò suave bustum amoris. Hæc incendia hoc frigido tempore placent parvulo de Bethleem: me quod attinet, aliam gloriam non desidero, quàm ut illum amem ex toto corde. Mea beatitudo, mea felicitas, est, amare JESUlum. Mea quies, mea voluptas, mea consolatio, est, amare JESUlum. Meum desiderium, mea vita, meum cor, est amor Parvuli de Bethleem, quem credo esse DEUM, & meum Salvatorem. § 13. *Suggerit auctori ardentes affectus amoris.*

De anima hominis dixit S. Bern. ser. 17. in Cant. *Quantitas* (idem dic, de beatitudine, de felicitate, de perfectione) *animæ, æstimetur de mensurâ charitatis, quam habet; ut quæ multum habet charitatis, magna sit, quæ parum, parva; quæ nihil, nihil.* Et D. Aug. tr. 9. in ep. S. Joannis: *Quantum in te crescit amor, tantum in te crescat pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.* Pari omninò modo ego discurro de fide & amore erga DEUM Infantem. Quantitas, beatitudo, felicitas, perfectio animæ, æstimetur de mensurâ amoris erga hunc Parvulum, quem habet; ut quæ multum habet amoris, magna sit; & multum felix, multum beata; quæ parum habet charitatis, parum est felix, parum beata, parum perfecta; quæ nihil habet, § 14. *Perfectio animæ sanctæ pendet ab amore DEI Infantis.*

 nihil

nihil eſt. Quantum in te his feriis, creſcit amor erga DEUM Infantem, tantum creſcit pulchritudo, tantum creſcit felicitas, tantum conſolatio, tantum tua fiducia, &c. quia amor JESULi, eſt vera pulchritudo, &c.

§. 15. *Amare autem pendet à noſtra voluntate.*

Sed quibus mediis hunc amorem obtinere poterimus? reſpõſionem mihi ſuggerit Seneca, qui cùm diſputationem de moralibus virtutibus ex amico quæreret: *Quid tibi opus eſt, ut ſis bonus?* Et amicus interrogatus, non ſtatim reſponderet, ipſe reſpondit, dicens: *Velle.* Majoris longè auctoritatis eſt Angelicus Doctor S. Thomas, ex quo cùm ejus ſoror quæreret, quænam breviſſima ſit via ad perfectionem, reſpondit: *Velis. Vides igitur,* (infert S. Auguſtinus de lib. arb. c. 18.) *in noſtrâ voluntate eſſe poſitum, ut hoc fruamur, tanto & tam vero bono; quid enim tam in voluntate, quàm ipſa voluntas eſt?* Et quid vobis Reverendi PP. & FF. opus eſt, ut ſitis boni, ut ſitis beati, ut felices, &c.? hoc opus eſt, ut velitis amare DEUM Infantem. Brevior via ad obtinendam æternam beatitudinem, quàm velle amare JESULlum! Et quid ita eſt in poteſtate noſtrâ, quàm hoc velle.

§. 16. *Pulchrum ſimile.*

Finio hanc exhortationem cum S. Auguſtino ex tr. 7. in ep. S. Joannis, ubi ita diſcurrit: *Si vobis oſtenderetur aliquod vaſculum anaglyphum, inauratum, operosè factum,* (vel lucidiſſima gemma, vel pretioſum monile,) *quod illiceret oculos veſtros, & duceret in ſe intentionem cordis veſtri, & placeret vobis manus artificis, & pondus argenti, & ſplendor metalli: nonne unuſquiſque veſtrûm diceret: O ſi haberem vaſculum iſtud,* &c. *Laudatur vobis charitas,* (& amor erga DEUM Infantem, oſtenditur vobis JESULlus jacens in præſepio, &c.) *ſi placet, habete, poſſidete: non opus eſt, ut emere cogitetis, gratis conſtat; tenete illum, amplectimini illum; dulcius* illo, vel illa charitate, *nihil eſt; ſi cùm commemoratur, talis eſt,* (ſi talis eſt in cunis, in ſtramine, in terris,) *cùm habetur, qualis eſt?* In cœlis, qualis erit?

§. 17. *Væ illis, qui non amant DEUM Infantem.*

Terribilis verò erit omnibus, & in omnem æternitatem, ab illis, à quibus non amatur. Adeo ſentit ſe contemni, & non amari ab homine, ut illos, qui dum viverent, noluerunt ardere flammis divini amoris, deturbet in barathrum, ut ibi ignibus inferni

ferni ardeant æternùm. Ubi locum habet illud Tertulliani, l. de resurr. carnis: *De suo optimus: de nostro* (hoc est, ob nostra peccata, quibus amorem DEI extinguimus) *justus*. (Si hæc applicentur JESUllo, poterit fieri patheticus epilogus.)

EXHORTATIO III.

DE INCARNATIONE,

SUPER ILLA VERBA,

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, Matth. 21. v. 5.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

OStendit Exhortatio, quòd supposito amore Æterni Patris, erga genus humanum, Christus quoque Unigenitus Patris Filius, ardentissimè nos amaverit; quod clarissimè patet, in mysteriis Incarnationis & Passionis. Utriusque amoris, Patris, & Filii, variæ expenduntur circumstantiæ.

AUditores amantissimi, si vobis fortassis placeat, mihi proponere quæstionem, quæ olim Apostolis à Christo D. proposita

§. 1. Christus Dominus ardenter nos dilexit.

sita fuit; quid mihi videatur de Christo? respondebo cum S. Paulo ad Galatas, cap.2.v.20; est ille, *Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.* Respondebo cum eodem S. Paulo, ad Ephesios c. 2. v. 4. Christus est ille, *qui dives est in misericordia, qui propter nimiam caritatem suam, quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos, & resuscitavit nos; cujus gratiâ salvamur; ut aliquando consedeamus in cœlestibus in Christo IESV; Deus Pater enim, ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ, in bonitate super nos, dedit nobis Christum IESVM, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ DEI.* Quis est Christus? sive Rex ille mansuetus, qui brevì veniet ad nos? Respondeo ex Apocalypsi S. Joannis cap.1. v.5. *Gratia vobis & pax à IESV Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris, in sanguine suo, ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.* Ecce, *Veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Quis est Christus? Respondeo cum S. Joanne ex cap.13. v.1. *Cùm dilexisset nos, dilexit in finem*; id est, ardentissimè. Hoc ostendam fusiùs hac Concione: illâ intentione, ut ea, quæ de immensa Christi D. erga nos dilectione, dicturus sum; fundamentum ponant & basia illius devotionis, quam debemus DEO Incarnato. Discursum sólatio plenum vobis proponere cogito. Antequam pergam, ex corde mecum dicite: *Christo IESV sit gloria & imperium in sæcula sæculorum; nobis verò ab ipso pax & gratia.*

§. 2. Immensa DEI Patris erga nos charitatis, quædam circumstantia. Prima.

Prima radix, à principio æternitatis (si tamen in æternitate principium esse possit,) immensi illius amoris, quo Christus D. nos prosequitur, prima inquam illius radix, est immensa illa Patris cœlestis erga nos charitas; quâ, ne genus humanum, infelici in primo parente ruinâ, convulsum atque disjectum, irremediabili damnatione periret, & spei omnis atque salutis expers jaceret, suo quodammodo detractum sinu Unigenitum nobis dedit, & (quod eam in rem commendat Apostolus,) *pro nobis omnibus tradidit illum.* In quibus paucis verbis, quædam latent circumstantiæ, accuratè à nobis considerandæ, v.g. Quòd ille Pater misericordiarum nullâ aliâ re magis demonstrare potuerit, quantopere

pere illi curæ & cordi ſalus noſtra; quàm ſi ex immenſo quodam deſiderio noſtræ ſalutis, ad tam difficilem, inſolentem, peregrinum, & non modò ab omni ſenſu, & cogitatione noſtrâ, remotum; ſed (ſi noſtro ſenſu rem æſtimemus,) dignitati ſuæ parum conſonum, imò ſibi probroſum ac diſpendioſum, illius, ſcilicet ſalutis noſtræ quærendæ ac conciliandæ modum deſcenderit; cùm nemo ſapiens, ad tam inſolitas & alienas, rei cujuſpiam conficiendæ, obtinendæve rationes deveniat, niſi qui hanc ſummè & unicè, omnique ſtudio, & contentione animi, effectam optaverit. Quæ ne quis inſolentiùs à me exaggerata putet, attendat B. Ambroſium, qui cùm ad illud Apoſtoli reſpiciens, *proprio Filio ſuo non pepercit*, dixiſſet, pulchro verbo uſam eſſe Scripturam, ut DEI Patris pium erga nos propoſitum declararet, *Conſidera*, (ſubdit,) *affectum patrium! Quod pietatis eſt, quaſi morituri Filii ſuſcepit periculum, quaſi orbitatis hauſit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis.* Tantum fuit Domino ſtudium tuæ ſalutis; ut propemodum de ſuo periclitaretur, dum te lucraretur.

Altera immenſæ charitatis circumſtantia hæc eſt. Quòd tradens nobis Unigenitum Filium ſuum (qui ſummum equidem, & immenſum, & donanti æquale donum eſt,) nihil jam utique nobis negaturus videatur, & qui omnia cum illo, & in illo nobis donavit, & conceſſit. *Qui enim*, (ita argumentatur Apoſtolus,) *etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ubi rurſum S. Ambroſius: *Pro quibus igitur, quod ſuper omnia eſt, dedit, poteſt fieri, ut non in illo univerſa donaverit? Nihil enim excepit, qui omnium conceſſit auctorem.* Demum hoc colligit, *Nihil eſt igitur, quod negari nobis poſſe vereamur; nihil eſt, in quo de munificentiæ divinæ diffidere perſeverantiâ debeamus.* *§. 3. Altera circumſtantia.*

Tertia circumſtantia, quæ immenſam Patris erga nos charitatem declarat, eſt: quòd eundem Filium ſuum dilectiſſimum, tam inuſitatæ atque incredibili ſuppliciorum immanitati ſubjecerit, & noſtrum ab illo debitum (cujus ille ſe vadem ac fidejuſſorem ſponte dederat) extremâ ſeveritate repoſcens, id ſatagere viſus ſit, ut expetitis de Unigenito pœnis, juſtitiæ ſuæ cumulatè ſatisface- *§ 4. Tertia.*

ret, & omni irâ suâ (si ita loqui fas,) in innocentem Filium effusâ, solam peccatoribus indulgentiam, solam reis misericordiam reservaret; quod Apostolus insinuat, dum ait, DEUM proposuisse Christum, *ad ostensionem justitiæ suæ.* Ad Rom. 3. v. 26. Ut verissimè & affectuosè exclamare possimus: *O Pater misericordiarum! nos verò, ut misericordiæ filii, non reformidemus justitiam, sed misericordiam exspectemus.* Jam enim, si unquam, proprium ejus opus, misericordia est; ulcisci autem, atque punire (quod olim dixit Isaias) opus peregrinum, & alienum ab eo.

§. 5. Quarta. 4. Et istud quoque summi amoris, & ingeniosæ charitatis pro nostro commodo, fuit indicium; quod cùm noluerit, post miserabilem generis humani ruinam, in gratiam, sine condigno pretio, vel æquâ satisfactione noluerit admittere; miserrimus verò homo id non haberet, neque ab ullâ creaturâ habere posset; de suo nobis pretium appendit, nobisque in manum posuit; monetam probam, à se percussam, sibique acceptissimam, Filium inquam suum perdilectum, nobis contradidit; quo tanquam pretio salutis nostræ, ipsi Patri cœlesti repræsentato, & redhibito, negotio facili beatam immortalitatem comparemus & adipiscamur. Quod Evangelista innuit, dum ait cap. 3. v. 16. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret;* Vel, ut Arabicus textus legit: *Dono daret.* Nimirum, ut eo tanquam condigno libertatis nostræ, salutisque pretio, vitam nobis commercemur æternam. Quò pertinet illa piissima S. Anselmi meditatio, qui DEUM Patrem, misero homini, & unde se redimat, non habenti, sic inducit loquentem: *Accipe Unigenitum meum, & da pro te:* q. d. non permittunt equidem justitiæ meæ leges, ut te gratis liberem, ac salvem; sed cùm unde te redimas, non habeas, providebit tibi misericordia mea, unde satisfacias justitiæ meæ: Accipe Unigenitum meum, & da pro te. Quo quidem præclaro, & admirabili divinæ erga nos dilectionis invento; sive ad incensum in ipso DEO felicitatis nostræ studium contestandum; sive ad ipsam æternam salutem, non sperabilem duntaxat, sed promptam etiam, atque parabilem nobis reddendam; nescio an quicquam, non dicam à nobis cogitatione fingi, sed ab ipsâ etiam DEI sapientiâ ad-

inve-

inveniri possit accommodatius. Tanta igitur fuit in DEO Patre, tamque inflammata salutis nostræ cupiditas, ut debito nostro dissolvendo, de visceribus suis, (ut dicitur) satisfaceret, & æternæ vitæ comparandæ, de suo quoque, sive de medullis Divinitatis suæ, unde quodam modo in manu esset nostra salus, nobis amantissimè condonaret.

Finiat discursum de immenso Patris erga nos amore S. Ambrosius in symb. Apost. in cujus expositione ait: *Nunquam magis, quantâ clementiâ, quantâque potentiâ, Redemptor noster abundaret, apparuisse, quàm cùm mysterii Incarnationis aggressus est officium: cùm divinam inter atque humanam naturam, in Redemptoris nostri Personâ, quoddam initum est commercium; ut testimonium ab Humanitate Divinitas; præmium à Divinitate ferret Humanitas: hoc est, ut sui vulneribus corporis, magnitudinem erga nos DEUS amoris ostenderet, & consortio Divinitatis recompensari sibi obedientiæ gratiam, & animus noster, & corpus agnosceret.* Ex quibus omnibus illud efficiemus, DEUM ac Patrem nostrum modis omnibus salutem nostram desiderare: & in hunc finem dedisse nobis Christum. §. 6. *Elegans testimonium S. Ambrosii.*

Ab amore Patris, venio ad amorem Christi, quo nos dilexit, & adhuc diligit: Quantum verò dilexit nos, ex variis patet circumstantiis; quarum una ex præcipuis est, quòd propter nos homines factus sit homo in utero Virginis: *Magna sacramenta fratres!* exclamat S. Augustinus in ps. 138. *inde dulciora, quò obscuriora*: in quibus, *miris quibusdam modis ostendit amorem suum*. Quis amor poterit excogitari potentior, quàm *Verbum caro factum*; quàm illa, ut S. Augustinus loquitur, *Mixtura DEI & Hominis*: quàm illud in unam hypostaticam unionem, temperamentum Divinitatis & Humanitatis. *Per quod, majestatis & potentiæ nomen*, (verba sunt S. Bernardi, ser. 15. in Cant.) *in id, quod est pietatis & gratiæ, quodammodo transfunditur.* Et ser. 70. in Cant. *Qui in altissimis est Dominus, in imis est dilectus; super sidera regnans, & inter lilia amans. Amabat & super sidera, quia nusquam & nunquam non amare potuit, quia amor est! sed donec ad lilia descendit, & pasci inter lilia compertus est, nec amatus est, nec factus dilectus.* Quasi §. 7. *Immensum Christi D. erga nos amorē declarat inprimis mysterium Incarnationis.*

antea amaret quidem, sed amari non posset; nisi posteaquam majestate positâ, & nostrâ susceptâ Humanitate, in terris visus est, & familiariter cum hominibus conversatus, atque inter illos mirâ patrando, & acerba pro illis sustinendo; quantopere nos diligeret, evidentiùs ostendit, ut immensus ejus erga nos amor, non dicam, usurpari oculis, sed manu tangi, atque palpari quodammodo videretur.

§. 8. *DEUS Incarnatus est Rex Cordiũ.*

Olim cùm DEUS justitiæ suæ indulgens, vindictæ omnia, parum misericordiæ concederet, & non nisi fulmina meditans, tonitrua loquens, cædes tantùm spiraret, & sanguinem, vel igne demisso de cœlo, vel terræ hiatu, vel ignitis serpentibus, in rebelles sibi populos sæviret, meritò audiebat, *DEUS magnus & fortis, & terribilis in consiliis super filios hominum, Dominus exercituum, & DEUS ultionum.* Quâ cogitatione perculsus exclamat Jeremias c.10.v.7. *Quis non timebit te, ô Rex gentium!* Nunc autem, cùm amisso furore, idem ipse humanitatem induit, *DEUS humanatus, & (ut S.Hilarius l.6.de Trinit. loquitur,) concarnatus propter nos, non DEUS ultionum, sed Pater misericordiarum appellatur; nec jam manus habet armatas fulmine, sed clavis confixas in Cruce.* Commutandæ nobis sunt priores Jeremiæ voces, atque dicendum: *Quis non amabit te, ô Rex cordium,* qui ex immenso amore propter nos, & propter nostram salutem factus es homo! Quis propterea non amabit te? Quæritis, quid mihi videatur de Christo? Respondeo, amavit nos, & dignus est amore nostro. S. Gregorius M. l.16.mor.c.13. factus est homo, -- *Ut abscondendo Majestatis suæ gloriam, amoris sui vim per æstum desiderii augeat, & simul nos in suo amore succendat.*

§. 9. *Eundem amorē multò magis declarat mysterium Passionis.*

Sed si tantum amoris est indicium, Verbum abbreviatum in carne, quid erit DEUS propter nos exhaustus, & exinanitus in cruce? Si tanti amoris indicium est, Verbum Infans, jacens in præsepio, in stipula vagiens, DEUS Homo factus, visus in terris, & cum hominibus conversans; quid faciet Christus, flagris conscissus, vulneribus hians, sanguine defluens, DEUS percussus & humiliatus, DEUS in Cruce pendens, in patibulo moriens, & moriens amore nostri. Quid vobis videtur de Christo? Mihi præclarè

videtur

videtur dixisse B. Catharina Senensis: *Animam venire ad perfectam cognitionem divinæ charitatis in passione Christi; quia tunc, ignis latens sub cinere nostro, cœpit se plane manifestare.* Hoc est: In vita Christi D. usque ad tempus passionis, fuit amor Christi instar ignis latentis sub nostro cinere; qui in passione debuit, per flagella, tormenta, cruciatus, &c. quasi exagitari, ac succuti; quò fulgorem suum vehementiùs explicaret, & vim ac copiam divinæ suæ charitatis ostenderet.

Aureus est discursus B. Laurentii Justiniani de casto connub. cap. 5. *Quis non languesceret, quis non jucundo inebriaretur amore, si videret ambulans Verbum, sapientiam loquentem, Vnigenitum DEI cum peccatoribus conversantem, lacrymantem, orantem, spiritu frementem, in carne patientem, carnisque languorem sustinentem? Prorumpant autem nunc in medium probra, contumeliæ, blasphemiæ, illusiones, sputa, alapæ, flagella, corona spinea, sceptrum arundineum, purpurea vestis, effusio sanguinis, poculum fellis, apertio lateris, cruciatus ignominiosæ ac diræ mortis. Omnia hæc habent voces suas: Amoris!* Quid vobis v. g. videtur de spinea corona? mihi videtur, quòd clamet: Christus D. amavit hominem. Quid videtur de clavis, &c. hoc modo fieri poterit pulchra inductio. *§. 10. Aureus de hoc discursus. Laurentii Iustiniani.*

Adesto Seraphice Doctor S. Bonaventura, effare, quid tibi videtur de Christo? quare tam atrocia pati voluit. Ita respondet p. 1. stim. c. 4. *Sed ubi quæso magis apparet diffusio bonitatis divinæ, & benignissimæ clementiæ dulcissimi & amantissimi DEI & Domini nostri IESV Christi, quàm in sua passione? Vbi talia, tanta, tam turpia & gravia sustinere voluit, pro inimico suo liberando & glorificando.* *§. 11. Testimonia SS. Patrū, v. g. Bonaventuræ.*

Effare S. Ambrosi, quid tibi videtur de Christo? Respondet ser. 3. in ps. 118. *Corpus enim suscipiens Dominus IESVS Christus, charitatis vinculis se illigavit, & non solùm se membris nostris, & passionibus naturalibus, sed etiam cruci vinxit.* Et mihi videtur, quòd Christus D. nos amaverit. Iterum loquere S. Bonaventura, quid tibi videtur de Christo? Respondet, dum Christum D. sic alloquitur: *O IESV, nimia fuit dilectio tua: & in hoc apparet abyssus* *§. 12. S. Ambrosii. & iterum S. Bonav. S. Bernardi, S. Augustini.*

tuæ immensæ pietatis. *Non enim in te video causam mortis, nisi superabundantiam charitatis.* Ex quibus verbis, quidam Interpres videtur hausisse hanc similitudinem: Quemadmodum in morbis ignotis & insolitis, aperiri solet in defuncti corpore membrum illud, in quo mali origo latuisse creditur, quo morbi ratio deprehendatur; ita fortassis Christo D. post mortem, lanceâ latus apertum fuit, & ipsum cor, ut pateret omnibus, tam insolens mortis genus, non nisi à nimio cordis amore, ab amoris inquam erga nos excessu, ortum habuisse. Ideoque Seraphicus Doctor, post accuratam Crucifixi contemplationem, velut quâdam factâ anatome, disertè pronuntiavit: *Non invenio in te causam mortis, nisi superabundantiam charitatis.* Quam cogitationem confirmat S. Bernardus ser. 4. ma. heb. *Nam in opere quidem patientia: in modo humilitas: in causâ charitas commendatur.* *Quid mirabiliùs,* inquit S. Augustinus, *quàm cùm haberet in potestate, unâ voce suos persecutores prosternere, pateretur se teneri, ligari, flagellari, conspui, colaphizari, spinis coronari, ligno affigi, & hæc omnia, amore hominis.* Unde S. Augustinus in ps. 127. infert: *Quam rem amamus in Christo? membra crucifixa, latus vulneratum, an charitatem? Quando audimus, quia passus est pro nobis, quid amamus? Charitas amatur: amavit nos, ut redamaremus eum:* hoc mihi videtur de Christo. O mi JESU! *Ubi te exinanivisti?* (S. Bernardus ser. 45. in Cant.) *ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti;* (scilicet in Incarnatione, & potissimùm in passione,) *ibi pietas magis enituit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit.*

§. 13. Iterum S. Bernardi. Et Epilogus.

Denique S. Bernarde, Quid tibi videtur de Christo? Respondet: sed Auditores amantissimi, pios oculos conjicite in rosea JESU Redemptoris Vulnera, & audite, quid respondeat: *Patet arcanum cordis per foramina corporis; patet magnum illud pietatis sacramentum; patent viscera misericordiæ DEI, - & immensi amoris. Quid ni viscera,* -- & medulla DIVINITATIS, & ardor charitatis, - *per vulnera pateant? in quo enim clariùs, quàm in vulneribus tuis eluxisset, quantum nos diligas.* Finio denique Concionem verbis doctissimi Patris Cornelii à Lapide, in Proverb. c. 1. *Crux est Academia divinæ bonitatis, & amoris purissimi æquè ac immensi: ut in*

eâ

eâ Christum contemplans, cogaris ex stupore exclamare: O bonitas! O amor! quantum me amasti! quàm caro pretio me redemisti! quanta bona tuis malis mihi contulisti! Proinde Auditores, si adhuc nescitis, quid sit amare; en, magna divini amoris schola aperta est in monte Calvariæ, JESUS Crucifixus! Intrate tantùm in cor ejus; & ibi discetis, quid respondere debeatis ad hanc quæstionem, *Quid vobis videatur de Christo.* Cùm ego sensum meum vobis proposuerim, quid superest, nisi ut dicam cum S. Bonaventura, *Mi IESV, cur ergo illam parvam scintillam cordis, quam habeo, non tibi dabo, & totaliter in te ponam?*

EXHORTATIO IV.

DE MYSTERIO INCARNATIONIS.

Sic Deus dilexit mundum, Joan. 3. v. 16.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit varias affectuosas & pias considerationes, de hoc mysterio, ex sanctis Patribus.

§. 1. Beneficia sunt vincula, quibus trahimur ad amandum.

§. 2. Charitas compulit Patrem, ut voluerit Filium fieri hominem, propter hominem.

§. 3. Amor æterni Patris longè excedit amorem Abrahami de immolatione Isaaci.

§. 4. Beneficium Incarnationis superat beneficium Creationis.

§. 5. Quod ex variis SS. Patribus confirmatur.

§. 6. Gravis consideratio S. Augustini de hoc mysterio.

§. 7. Et ex S. Thoma de V. N.

§. 8. Quando DEVS Incarnatus cœperit pati.

§. 9. Qualis debeat esse noster amor erga DEVM Incarnatum.

§. 10. Aliud præter amorem, nihil illi offerre possumus.

EXperientia docet, quòd illos amemus, qui nobis benefaciunt. Prov. 19. v. 4. *Divitiæ*, (vel munera) *addunt amicos plurimos.* §. 1. *Beneficia, sunt vincula, quibus*

trahimur ad amandum.

mos. S.Th.de V.N.Dom.17. Pent. *Naturaliter omnes ad amandum beneficos inclinamur.* Ideo Propheta Oseas, cap.11. v.4. *Divitias, munera, & beneficia* vocavit *vincula, In funiculis traham eos, in funiculis charitatis.* Ubi Rich. de S. Vict. in particulari de beneficiis divinis ait: *Qui sunt isti funiculi, nisi munera Dei? Quæ sunt ista charitatis vincula, nisi DEI beneficia? Bona naturæ, gratiæ gloriæ. His enim beneficentiæ vinculis obnoxium fecit, & benevolentiæ debitorem constituit, naturam condidit, gratiam contulit, gloriam promisit: Ecce funiculus triplex, bona conditionis, bona justificationis, bona glorificationis.* Beneficia esse vincula, dudum agnovit S. Augustinus l. de dil. DEO, c.2. *Ad DEI dilectionem in nobis excipiendam, nutriendam & augendam, nihil ita valet, sicut beneficiorum ejus frequens & diligens recordatio.* Idiota c.2. DEUM ita alloquitur: *Orietur amor ad te diligendum per beneficia à te multipliciter nobis collata: quia quidquid habemus boni, à te habemus; & ultra multa bona,* (materiam nimis universalem contrahit Idiota ad particularem, dum addit,) *ultra multa bona, te ipsum nobis dedisti, cùm de cælo propter nos descendisti.* Placet mihi, quòd in particulari, præcipuè memor fuerit beneficii Incarnationis, quod hoc sacro tempore Adventus, meritò præ aliis debemus considerare. Affectuosissimæ cujusdam meditationis de hoc affectuosissimo mysterio, puncta vobis hac exhortatione proponam. Attendite.

§. 2. Charitas compulit Patrem, ut voluerit Filium fieri hominem, propter hominem.

Fundamentum mysterii, de quo discurro, posuit Guerricus Ab. ser. 2. de Annunt. *Quid sic hominem excitare potest ad amorem DEI, quàm præveniens hominem amor DEI; tam vehemens ad hominem, ut homo propter hominem voluerit fieri:* Quis non stuperet, quem adorant Dominationes, tremunt Potestates, voluit fieri homo? Rex Regum, & Dominus Dominantium, voluit fieri homo! *Amor Majestati oculos clausit*, ait S. Aug. S. Paulus ad Eph.2.v.4. *Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos:* voluit fieri homo. *Verbum caro factum est*, Joan.1.v.14. Hugo Card. *DEUS charitas est, & ipsa charitas Patrem compulit, ut Filium suum Unigenitum daret propter nos.* Quis non stupeat? *DEUS, qui immortalis est, & nullo fine comprehenditur, propter homines, ex terra & ci-*

& cinere factos, & innumeris peccatis obnoxios, & malè de se meritos, ita dilexit, ut voluerit fieri homo! Amor Majestati clausit oculos. Propter nimiam charitatem hoc factum est. Charitas compulit Patrem, ut Filium daret; charitas compulit Filium, ut descenderit; charitas compulit Spiritum S. de cœlo, ut tam admirandum mysterium in utero Virginis dederit executioni. Charitas compulit totam S. Trinitatem, ut ostenderet, diligere se mundum. Quid? *Æqualis Patri secundùm Divinitatem.* Filius DEI Unigenitus in sinu Patris, sapientia & virtus DEI Patris, splendor gloriæ ejus; figura substantiæ Patris, verbo, filius Patris omnipotentissimi, sapientissimi, &c. voluit fieri homo! Quid miramur! *Amor Majestati clausit oculos*, &c.

Inter omnes heroicas actiones, & eximias virtutes Patriarchæ Abrahæ, hæc est præcipua, quòd se ad offerendum Filium suum Unigenitum in holocaustum adeo promptè accinxerit, ut DEUS exclamaverit, Gen. 22. v. 12. *Nunc cognovi, quòd times DEUM.* Eodem modo, mentem vestram in omnia opera, quæ fecit DEUS, dirigite; nusquam tamen talem ac tantam ejus in nos charitatem deprehendetis, quàm quòd Filium suum unigenitum nobis dederit, ut fieret homo; & deinde re ipsâ immolaretur in arâ Crucis. Hinc cognoscimus, quia dilexit nos. Meritis nostris, id nullo modo asscribere possumus. Nullus meruit, quòd Filius DEI incarnaretur. S. Paulus ad Titum c. 3. v. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit*; & propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos. In utero Virginis Filius DEI voluit fieri infans, nasci in stabulo, lactari voluit virgineis uberibus, jacere in ejus pectore, &c. quia amat, & vult à nobis amari. O homo! exclamat S. Aug. l. 2. de cat. rud. *Ama amorem illum, qui amore tui descendit in substantiam carnis, & ibi amorem suum, amori tuo copulavit; humiliando se, sublimando te; conjungendo lumen suæ æternitatis, luto tuæ mortalitatis.* O incomprehensibilis bonitas!

§. 3. *Amor æterni Patris longè excedit amorem Abrahami, in immolatione Isaaci.*

Immensam hanc charitatem, ita ponderavit S. Augustinus lib. de dil. DEO, c. 6. *Grandi dignationi primo homini spiraculum vitæ desuper pius formator infudit; sed multò majori charitate pro eo-*

§. 4. *Beneficium Incarnationis superat beneficium Creationis.*

dem homine, non jam sua dedit, sed seipsum impendit. Magnum quidem est de DEO, quod esse me sentio, opus ejus; sed multò plus est, quòd transisse ipsum video in pretium meum. Sed quando & quale pro nobis pretium solvit DEUS? Quæritis? Pretium pro nobis solvit, quod debebamus rigori & furori divinæ justitiæ, quando pro nobis in monte Oliveti sudavit sanguinem. Pretium hoc solvit in dirissima flagellatione ad columnam, in atrocissima coronatione inter spinas. Pretium denique sanguinis pro nobis solvit, quando in Cruce omnem sanguinem effudit. Sed quomodo DEus potuit sudare sanguinem, quomodo flagellari, quomodo coronari spinis, quomodo mori in Cruce? Hæc est profunditas mysterii Incarnationis, ut Filius DEI sanguinem fundere, & in Cruce, pro homine mori posset, factus est homo! An non hæc major & grandior fuerit charitas, quàm quòd hominem ex nihilo creaverit? Cujus etiam mentis fuit S. Th. de V. N. ser. de S. Magd. *Sed nunquid in hoc solùm dilexisti me, quia fecisti me? imò multò amplius dilexisti, cùm me perditum redemisti; factus enim ex nihilo sine merito meo, peccato meo ad nihilum sum, & sic eram, ut melius esset, si natus non fuissem in combustionem & cibum ignis, nisi iterum deformem redintegrasses me.* Et S. Ambr. l. 2. in Lucam: *Plus Domine IESV injuriis tuis debeo, quòd redemptus sum, quàm operibus, quòd creatus sum. Sed ut redimere possit, & perferre injurias, ipse propter hominem debuit fieri homo.*

§. 5. Quod ex variis SS. Patribus confirmatur

Utinam in meditationibus nostris de sanctissimo mysterio Incarnationis & Redemptionis humanæ, sentire nobis liceret illos sensus & affectus, quos in illorum cordibus pietas, amor & devotio erga hoc mysterium excitavit! certè, verba quibus illos sensus conati sunt exprimere, sunt melliflua & affectuosa. Suaviter Didacus Stella in c. 10. S. Lucæ: *Creare hominem, nihil illi constitit, velle, & dicere, fiat, fuit satis. Sed, Redemptio non fuit alia, quàm vita, mors, & sanguis.* S. Leo ser. 13. de pass. *Mirabilior est secunda hominum generatio, quàm prima conditio; quia plus est in novissimis reparasse DEVM, quod perierat, quàm à principio fecisse, quod non erat.* Eusebius Emiss. hom. 6. de pasc. *Maximum quidem circa hominem, divini amoris insigne est, quòd inter ipsa mundi principia*

cipia imaginem ac similitudinem DEI servus accepit : sed pene amplius est, quòd nunc personam ac formam servi, DEVS auctor assumpsit. Quis non miretur, cùm tam pretioso munere redemptio hominis peracta sit, ut homo DEVM valere videatur, inquit S. Aug. Multis aliis modis, ex mente S. Doctoris Angelici, *DEVS per omnipotentem suam virtutem poterat humanam naturam reparare; Sed* (Idiota) *ex abundantia amoris, & propter nimium excessum charitatis, non Angelum, non Archangelum, sed Filium misit, ut sic hominem salvaret; & non quovis modo, sed ex abundantia amoris, venditus nos redimere; occisus nos vivificare, injuriam passus honorare, & in filios nos adoptare debuit.*

S. Aug. de dil. DEO c. 6. ut nos amoris igne vehementiùs accenderet erga DEUM Incarnatum, dulciter nos invitat, ut inprimis mentem nostram ad Redemptoris extollamus sublimitatem, & excellentiam: mox verò oculos nostros ad nostram vilitatem, & indignitatem, summamque miseriam defigamus; considerando, quòd, *illic*, (in sinu Patris, in gloria, in splendore Divinitatis,) *tam sublimis, hic tam humilis, non tamen hic quàm illic minus admirabilis sit: quòd illic potenter multa tibi contulerit, sed sic misericorditer pro te dira sustinuerit*, & quòd, *ut relevaret te illuc unde cecideras, ipse descendere dignatus sit, huc ubi jacebas.* Aliis mediis ad nos redimendum uti potuit; in ipsius arbitrio positum fuit, uti aliqua creatura; potuit etiam infinitum debitum, quo divinæ ejus justitiæ obstricti eramus, per infinitam suam misericordiam nobis condonare, sed noluit: præ abundantia amoris, præ excessu charitatis, præ dulcedine suæ misericordiæ, ipse in hunc mundum, ubi miserrimè jacebamus, descendere, & venire voluit, & ut infirmitatum nostrarum posset esse particeps, factus est homo. *Magnum mysterium, dilectissimi fratres*, exclamat S. Fulgentius ser. de Nat. Christi: *Magnum divinæ dilectionis indicium! Homo DEVM contemnens, à DEO discessit: DEUS hominem diligens, ad hominem venit. Dilexit impium, ut faceret justum. Dilexit perversum, ut redderet rectum; dilexit mortuum, ut faceret vivum.* Quæ circumstantiæ bene consideratæ, quomodo amoris, pieta-

6. Gravis consideratio S. Aug. circa hoc myst.

dem homine, non jam sua dedit, sed seipsum impendit. Magnum quidem est de DEO, quod esse me sentio, opus ejus; sed multò plus est, quòd transisse ipsum video in pretium meum. Sed quando & quale pro nobis pretium solvit DEUS? Quæritis? Pretium pro nobis solvit, quod debebamus rigori & furori divinæ justitiæ, quando pro nobis in monte Oliveti sudavit sanguinem. Pretium hoc solvit in dirissima flagellatione ad columnam, in atrocissima coronatione inter spinas. Pretium denique sanguinis pro nobis solvit, quando in Cruce omnem sanguinem effudit. Sed quomodo DEUS potuit sudare sanguinem, quomodo flagellari, quomodo coronari spinis, quomodo mori in Cruce? Hæc est profunditas mysterii Incarnationis, ut Filius DEI sanguinem fundere, & in Cruce, pro homine mori posset, factus est homo! An non hæc major & grandior fuerit charitas, quàm quòd hominem ex nihilo creaverit? Cujus etiam mentis fuit S. Th. de V. N. ser. de S. Magd. *Sed nunquid in hoc solùm dilexisti me, quia fecisti me? imò multò ampliùs dilexisti, cùm me perditum redemisti; factus enim ex nihilo sine merito meo, peccato meo ad nihilum sum, & sic eram, ut meliùs esset, si natus non fuissem in combustionem & cibum ignis, nisi iterum deformem redintegrasses me.* Et S. Ambr. l. 2. in Lucam: *Plus Domine IESV injuriis tuis debeo, quòd redemptus sum, quàm operibus, quòd creatus sum. Sed ut redimere possit, & perferre injurias, ipse propter hominem debuit fieri homo.*

§. 5. *Quod ex variis SS. Patribus confirmatur*

Utinam in meditationibus nostris de sanctissimo mysterio Incarnationis & Redemptionis humanæ, sentire nobis liceret illos sensus & affectus, quos in illorum cordibus pietas, amor & devotio erga hoc mysterium excitavit! certè, verba quibus illos sensus conati sunt exprimere, sunt melliflua & affectuosa. Suaviter Didacus Stella in c. 10. S. Lucæ: *Creare hominem, nihil illi constitit, velle, & dicere, fiat, fuit satis. Sed, Redemptio non fuit alia, quàm vita, mors, & sanguis.* S. Leo ser. 13. de pass. *Mirabilior est secunda hominum generatio, quàm prima conditio; quia plus est in novissimis reparasse DEUM, quod perierat, quàm à principio fecisse, quod non erat.* Eusebius Emiss. hom. 6. de pasc. *Maximum quidem circa hominem, divini amoris insigne est, quòd inter ipsa mundi principia*

cipia imaginem ac similitudinem DEI servus accepit : sed pene amplius est, quòd nunc personam ac formam servi, DEUS auctor assumpsit. Quis non miretur, cùm tam pretioso munere redemptio hominis peracta sit, ut homo DEUM valere videatur, inquit S. Aug. Multis aliis modis, ex mente S. Doctoris Angelici, *DEUS per omnipotentem suam virtutem poterat humanam naturam reparare; Sed* (Idiota) *ex abundantia amoris, & propter nimium excessum charitatis, non Angelum, non Archangelum, sed Filium misit, ut sic hominem salvaret; & non quovis modo, sed ex abundantia amoris, venditus nos redimere; occisus nos vivificare, injuriam passus honorare, & in filios nos adoptare debuit.*

S. Aug. de dil. DEO c. 6. ut nos amoris igne vehementiùs 6.
accenderet erga DEUM Incarnatum, dulciter nos invitat, ut inprimis mentem nostram ad Redemptoris extollamus sublimitatem, & excellentiam: mox verò oculos nostros ad nostram vilitatem, & indignitatem, summamque miseriam defigamus; considerando, quòd, *illic*, (in sinu Patris, in gloria, in splendore Divinitatis,) *tam sublimis, hic tam humilis, non tamen hic quàm illic minus admirabilis sit: quòd illic potenter multa tibi contulerit, sed sic misericorditer pro te dira sustinuerit*, & quòd, *ut relevaret te illuc unde cecideras, ipse descendere dignatus sit, huc ubi jacebas.* Aliis mediis ad nos redimendum uti potuit; in ipsius arbitrio positum fuit, uti aliqua creatura; potuit etiam infinitum debitum, quo divinæ ejus justitiæ obstricti eramus, per infinitam suam misericordiam nobis condonare, sed noluit: præ abundantia amoris, præ excessu charitatis, præ dulcedine suæ misericordiæ, ipse in hunc mundum, ubi miserrimè jacebamus, descendere, & venire voluit, & ut infirmitatum nostrarum posset esse particeps, factus est homo. *Magnum mysterium, dilectissimi fratres*, exclamat S. Fulgentius ser. de Nat. Christi: *Magnum divinæ dilectionis indicium! Homo DEUM contemnens, à* DEO *discessit:* DEUS *hominem diligens, ad hominem venit. Dilexit impium, ut faceret justum. Dilexit perversum, ut redderet rectum; dilexit mortuum, ut faceret vivum.* Quæ circumstantiæ bene consideratæ, quomodo amoris, pieta-

Gravis consideratio S. Aug. circa hoc myst.

tatis, devotionis & gratitudinis igniculos in nobis non excitabunt.

§. 7. *Et ex S. Thoma de V. N.* Non igniculos & ſcintillas, ſed amoris flammas ſenſit S. Th. de V. N. cùm in has voces erupit: *Non Angelum, non Cherubim, non Thronum aut Virtutem aliquam, ſed Filium ſuum unigenitum miſit in opus noſtræ Redemptionis. O admirabilis ardor charitatis! O ſtupenda dignatio pietatis! ut ſervum redimeret, Filium tradidit: Vide, ſi reſtat aliquid, quod huic tam eximiæ pietati addi poſſit. Filius* DEI *traditus eſt in mortem,* (ut mori poſſit, factus eſt homo,) *ut vivat ſervus vernaculus, terrigena, de luto formatus.* Quid addi poteſt?

§. 8. *Quando DEUS Incarnatus cœperit pati.* Sed quando Redemptor noſter pati cœpit? nunquid cùm pridie Paraſceves valedixit Matri? cùm aſcendit montem Oliveti? cùm in horto veluti latro fuit captus? &c. aliam circumſtantiam in myſterio Incarnationis ponderare oportet, quam ipſe Prophet. pſ. 87. v. 16. expreſſit: *In laboribus à juventute mea:* vel ut alii Interpretes legunt: *Agonizans, moriens, moribundus à puero.* In primo momento, quo factus eſt homo, in utero Virginis, eodem, *intolerabili ſub paſſione gemuit,* inquit B. Laur. Juſtin. eodem momento vidit in ſpeculo Divinitatis omnia, quæ Pater olim vellet eum pati; ideo ſtatim paſſus, ſtatim ſenſit flagella, clavos, & ſpinas; ſtatim moribundus agonizavit, &c. S. Bonav. ſer. 3. de paſſ. *Volve & revolve vitam boni IESV, & non invenies eum, niſi in Cruce: ex quo enim carnem aſſumpſit, ſemper in pœna fuit.* Addite, ſi poteſtis, aliquid chatitati Redemptoris; ſed non poteſtis. Triginta trium annorum interna & perpetua Crux, quæ in primo momento Incarnationis incepit, & uſque ad ultimum vitæ momentum in cruce duravit, intolerabili paſſione, non permittit, ut quidquam deſiderare poſſimus, quod abundantiam amoris, & charitatis exceſſum magis exprimere poſſit.

§. 9. *Qualis debeat eſſe noſter amor erga Chriſtum Incarnatum.* O ſi nos propterea memores eſſemus verborum S. Laur. Juſtin. O ſi nobis eſſet ille amor, quem dictus Laur. exprimit his verbis: *Ignitus amor ſemper meditatur nova, & inſueta componit; impatiens namq; cùm ſit, cogitare non deſinit, quomodo ardentiùs diligat,*

ligat. RR. Patres, hunc ignitum amorem, hoc ſacro Adventus tempore in nobis requiro, ut mane, poſtquam in meditationibus de myſterio Incarnationis ignis amoris in nobis exarſit, ut deinde per totum diem, in omnibus aliis actionibus, & occupationibus, præſertim in Sacrificio Miſſæ, vel coram SS. Sacramento, meditemur nova, & cogitare non deſinamus, quomodo ardentiùs diligamus.

Nihil enim eſt, inquit S. Ambr. l. 6. in Luc. *quod dignè* DEO *referre poſſumus. Quid enim referemus pro ſuſceptâ carnis injuria? quid pro verberibus? quid pro Cruce? Væ mihi, ſi non dilexero. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere.* Euſ. Emiſſ. h. de ſymb. *In trutina ergo Crucis,* (dicam ego, in libra rigoroſæ juſtitiæ,) *non aurum vel argentum, non aliquod corpus angelicum, ſed ſemetipſum paſſus eſt auctor ſalutis appendi; ut dum ita nos redemit, ad charitatem nos ſuam, vehementiùs excitaret. Verùm, ô ingrate mortalis! heu! heu! creaturam amas, cum damno tuo... Ecce - Amat te* DEUS *tuus, & amore tuo ardet, - - amore tuo fit homo, &c. & pro tuo amore moritur, & ejus dilectionem contemptui habes, nec dignus redamari habetur.* (Roga Spiritum S. ut hæc verba vehementem tibi ſuggerant affectum.)

§. 10. Aliud præter amorem nihil illi offerre poſſumus.

EXHORTATIONES

PRO FESTIS NATALITIIS.

EXHORTATIO I.

Tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, & quod Dominus oſtendit nobis,
Lucæ 2. cap. v. 15.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Continet varios affectus & actus admirationis, laudis, gaudii & amoris, erga natum Parvulum in Bethleem.

§. 1. *Exordium nos monet, ut simus memores Nativitatis Christi.*
§. 2. *Nativitas Christi D. etiam in carne, est mysterium admirabile.*
§. 3. *Prosecutio.*
§. 4. *Etiam Angelis & Seraphinis.*
§. 5. *Affectus admirationis, continet in se magnam laudem.*
§. 6. *Et inflammat amorem.*
§. 7. *Admirationis & amoris affectus mixti.*
§. 8. *Prædicti affectus generant magnam exultationem & gaudium.*
§. 9. *Item: accensum desiderium, laudandi* DEUM *& Parvulum de Bethleem.*
§. 10. *In quem finem, omnes invitantur creaturæ.*

§. 1. *Exordium nos monet, ut simus memores Nativitatis Christi.*

Si unquam, certè his feriis Natalitiis, puto me quemvis ex vobis alloqui posse verbis Ludovici Blosii in Spec. Spirit. c. 10. *Memor sis, oro, eorum, quæ dulcis* Jesus *(qui est* Deus, *& Dominus, & Pater, & frater tuus,) pro te fecit, eiq; devoto corde gratias age. Ipse factus est homo propter te. Ipse semper & ubique tui recordatur, - ipse fecit omnia, & toleravit dura libentissimè pro tua salute.* Ideo in utero Virginis ante menses novem, factus est homo; ideo hâc nocte in stabulo natus est, & parvus pusio positus est in præsepio. Quibus affectibus admirabile hoc mysterium debeamus recolere, extendam hâc exhortatione. In honorem JESULi, attendite diligenter.

§. 2. *Nativitas Christi D. etiam in carne, est mysterium admirabile.*

Si qua res unquam admiratione, imò stupore digna fuit, ea certè est, Christus, hoc est Deus, & homo; Deus! in tempore natus in stabulo, involutus panniculis, & inter bestias in fœno & stramine reclinatus in præsepio. Hoc fuit initium admirabilis redemptionis nostræ. Hoc fuit illud opus, de quo (S. Paulo teste,) Propheta Abacuc c. 1. v. 5. dixit: *Aspicite in gentibus, & videte: admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris,*

quod

quod nemo credet, cùm narrabitur. Quod enim opus adeo est admirabile, nisi quòd intuemur DEI Filium, (ut Tertullianus ait,) *in tantum humilitatis exhaustum*; ut parvus puer jaceat in præsepio. *Opus quod nemo credet, cùm narrabitur.* Si operis hujus circumstantiæ humanis rationibus pensentur, & nisi vis major intellectui sibi subjiciat, vel captivari se permittat.

Enimvero (si rem seriò perpendimus,) Nativitas Christi tam est admirabilis, tamque stupenda ejus operis admirabilitas, ut etiam Angelicam exsuperet intelligentiam. Si enim, (quod fieri potuit,) DEus supremum Angelorum, aut quemvis ex illis, ideo destinasset in terras, ut assumptâ humanâ naturâ, pro salute hominis, parvus Infans nasceretur in stabulo, expositus injuriis aëris & frigoris; nunquid ad insolens factum obstupesceret, tota reliqua Angelorum turba? nunquid mirarentur, insontem pro reo, sanctum pro impio, beatum pro infelici; sublimem prorsus, cœlestemque naturam, tantæ subjici indignitati? Quo igitur modo illos affectos putatis, cùm suum, creaturarumque omnium Creatorem, Dominum, Principem, â cujus immensa dignitate, sublimitate, excellentiâ, sese infinito excessu distare agnoscunt, contuentur Parvulum jacere in præsepio? Hoc, inquam, mysterium, tam ab omni mente, & quamvis acutâ ac perspicaci intelligendi vi remotum atque subductum est, ut sublimissimi quique Seraphinorum illud suspiciant attoniti, & id, cujus modum & rationem satis capere & exprimere nequeant, solâ quodammodo admiratione venerentur. Et quomodo nos caperemus, nisi fides nos convinceret. §. 3. *Prof. cuiu.*

Duos Seraphinos, quos vidit Isaias stupore plenos, & audivit clamantes, alter ad alterum; ait S. Hieronymus, miratos fuisse adinvicem, quòd DEus Sabaoth in forma Patris positus, formam servi acceperit, & humiliaverit se, primùm usque ad præsepium, deinde usque ad mortem Crucis. Quemadmodum enim cœlestes illi Seraphini, divinæ naturæ infinitatem, ineffabilemque eminentiam contuentes; cùm se immenso illo divinarum laudum pelago, cui immersi sunt, ut ita loquar, evolvere non valeant, aut id, quod de DEO capiunt, profari possint, solùm illud solenne trisagion §. 4. *Etiam Angelis & Seraphinis.*

ſagion Iſaiæ 6.v.3. Apoc.4.v.8. ingeminant: *Sanctus! ſanctus! ſanctus!* & his pauculis verbis quaſi totius Divinitatis infinitam excellentiam nobis proponunt. Ita iidem Seraphini, & omnes cœleſtes Genii, cùm ad Chriſtum converſi (cujus gloriam citato loco vidit Iſaias) ejus in forma parvi pueri humilitatem, abjectionem, exinanitionem contemplantur; & quò tandem noſtrâ causâ, ſumma illa Majeſtas ſe inclinaverit, & deſcenderit; non habent opinor, quò portentum illud ineffabilis bonitatis celebrent ac proſequantur acroamate, niſi amoris nomen iterent, iterentque aſſiduè ad invicem clamantes: *O amor! ô amor! ô amor!* eâ congeminatione, magnam myſterii hujus admirabilitatem declarantes: ut & nos admiratione pleni, de JESUlo cantemus: *Sanctus! ſanctus! ſanctus! O amor,* &c. Vel, ut cum admiratione dicamus cum S. Joanne c.3. v.16. *Sic* DEUS *dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Quæ unica vocula, *Sic!* varias ſuggerit cauſas admirationis. *Sic!* hoc eſt, uſque ad ſummam, & inauditam Filii ſui unigeniti depreſſionem. *Sic!* ut parvulus jaceret humi, ut, ut, &c. (eſt locus pro pulchra deſcriptione Nativitatis.) *Sic!* denique uſque ad patibulum Crucis! *Sic! ſic!* ut aliud exclamare non lubeat, quàm *Sanctus! ſanctus! ſanctus! O amor! ô amor! ô amor! ô amor!* qui unigenitum DEI Filium, ex ſinu Patris traxit in terras, in uterum Virginis! *O amor!* qui Omnipotentem fecit infirmum, &c.

§.5. Affectus admirationis continet in ſe magnam laudem.

Nemo ex me quærat, an res tanti momenti ſit, admirari Nativitatem Parvuli de Bethleem. Quiſquis hoc quærit, ignorat affectus hujus admirationis non eſſe ſteriles, ſed progignere alios pulcherrimarum virtutum affectus. Siquidem inprimis, illa admiratio de JESU Parvulo, ejuſdem eſt perfectiſſima laus & æſtimatio; quia nòn admiramur, niſi cujus ſummam eminentiam agnoſcimus, quam noſtrâ admiratione conteſtamur. Ita apud Achellium, Muſonius Philoſophus dixit: *Magnam laudem non abeſſe ab admiratione*; quod convertere nobis licet, & dicere, admirationem à magna laude non abeſſe, imò ipſam magnam laudem eſſe. Neque enim rem aliquam magis commendare poſſumus, quàm ſi dicamus, eſſe tam admirabilem, ut ejus excellen-

tiam

tiam exprimere non possimus. Ideo admiramur JESUlum, &c. & simul laudamus, &c.

§. 6. *Inflammat amorem.*

Eadem admiratio de JESUlo, de ejus dignitate, &c. (iterum est locus pro pulchra descriptione) hoc habet, ut confestim ejusdem Parvuli in nobis ingeneret amorẽ; illumque conceptum & partum foveat, alat, & intendat. Quid enim factu procliviùs, quàm ut inflammati ejus amore rapiamur, cujus præstantiam atque incredibilem bonitatem, &c. cum admiratione contemplamur. Nam, ut de Beatis, DEI visione fruentibus, ait quidam Auctor apud S. August. super Magnificat: *Admirantes diligunt, & diligentes admirantur ; ut inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio , & suaviter in dilectione ferveat admiratio.*

§. 7. *Admirationis, & amoris affectus mixti.*

Hos affectus eleganter miscuit elegans ille Poëta:

- - - - O fons pietatis!
Quis te pannis induit duræ paupertatis?
Tibi quis consuluit, sic te dare gratis?
Nisi zelus vehemens, ardor charitatis.
O prædulcis Parvule, puer sine pari,
Felix! cui datum est, te nunc amplexari,
Pedes, manus lambere, flentem consolari,
Tuis in obsequiis jugiter morari!
Conversari jugiter, & ab ejus ore,
Mel cœleste sugere, præ cujus dulcore
Amarescunt cætera, plena sunt fœtore.
Hæc amoris signa sunt, & postrema primis
Copulans, associans, summa figens imis,
Monstrans, ut sic natus nos amares nimis.

Inter hos æstus, inter hos admirationis, & amoris affectus, fieri non potest, quin accensa voluntas in aliarum virtutum actus se effundat , seque totum JESUlo offerat in hostiam & holocaustum.

§. 8. *Prædicti affectus generant magna*

Atque ex his porro alii subnascuntur piissimi sensus & motus: v. g. suavis quidam & intimus exultantis animi sensus, dum homo, vermiculus, se se conspicit tantopere à DEO amatum, & tam

exultationē & gaudiū.

tam admirabili modo, à Christo JESU redemptum. Ideo S. Bonavent. p.1.stim.c.4. Considerationi, ad admirandum, statim subjungit, exercitationem, ad exultandum. Plerumque enim mens hominis admirantis, divinam v.g. bonitatem, &c. completur sanctâ quâdam dulcedine; non in anima tantùm, sed quasi in omnibus membris totius corporis, ut totus homo exultet in DEO, exclamans cum Regio Psalte ps. 34. v. 10. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* (poterit fieri suavissimus affectus ad JESUlum.

§. 9. *Item, accensum desiderium laudandi DEUM, & Parvulum de Bethleem.*

Ex quo ulteriùs fit, ut os & lingua prorumpant in lætas & festivas voces, quibus tam amabilem, tam magnum Puerum laudamus, magnificamus, & benedicimus; quales sunt Sanctorum omnium in Apocalypsi, DEO & Agno, qui occisus est, gratulantium, & omnem suam felicitatem eis acceptam referentium; vel ejusdem Regii Psaltis in psalmis suis, ubi modò se ipsum, & omnia interiora sua concitat ad benedicendum DEO, qui omnibus iniquitatibus suis propitiatus sit, vitam suam de interitu redemerit, & misericordiâ se coronârit, ac cinxerit; modò alios advocat ad benedicendum Domino, v.g. ps. 65. v. 16. *Venite, audite omnes, qui timetis DEUM, & narrabo, quanta fecit Dominus animæ meæ*; modò quasi ad id, per se se non sufficiat, provocat res creatas omnes, ut DEUM, quâ possunt arte, laudent, sibique ad ei pro tantis promeritis gratulandum, quasi vicariam, aut subsidiariam operam præstent. O quid fecisset David, si, dum vivebat, Messias (ad quem adeo anhelaret) venisset in hunc mundum, si ejus tempore Filius DEI jacuisset in præsepio, &c. Si coram spectasset oculis involutum panniculis, &c. quomodo non cecinisset, *Venite, &c.* (habes iterum locum pro pathetico affectu.)

§. 10. *In quem finem omnes invitentur creaturæ.*

Hic scilicet est excellentissimus fructus affectuum admirationis de mirabilibus Nativitatis Christi, incensa nimirum, atque insatiabilis, in animo Christi charitatem admirantis ac redamantis ipsum amantissimum Parvulum, quibus poterit modis, laudandi, extollendique cupiditas, ejusque dulcem misericordiam, non in ista tantùm mortali vita, sed multò maximè in beata illa & immortali in æternum laudandi. Cùmque huic muneri, pro

eo ad vellet, implendo, quidquid conetur, tamen imparem se sentiat, circumspicit omnia, num quid aliunde subsidii se se offerat, invitatque proinde in ejus officii societatem cœlum & terram: nec Angelos modò, hominesve, sed res universas, etiam insensibiles & inanimatas, ut fiat denique (præsertim his feriis coram præsepio, coram throno, coram Agno, coram JESUlo,) quod scriptum est Apoc. 5. v. 13. *Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram: & quæ sunt in mari, omnes audivi dicentes, sedenti in throno, & Agno,* (dicamus hodie, JESUlo jacenti in præsepio, &c.) *Benedictio & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.*

EXHORTATIO II.

DE NATIVITATE CHRISTI DOMINI:

Gloria in excelsis Deo, Luc. 2. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

FEriæ Natalitiæ, sunt dies gaudii & lætitiæ.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *IESVlus, fons verii gaudii.*
§. 3. *Quod expertus fuit B. Henricus Suso.*
§. 4. *Et nos experimur, si IESVlo offeramus cor nostrum: exemplo B. Catharinæ Raconisiæ.*
§. 5. *Sed cor purum, & liberum ab omnibus peccatis.*
§. 6. *Remissio peccatorum petenda est à DEO Patre, per infantiam IESVli.*
§. 7. *Cavenda sunt deinde illa, quæ IESVlo displicere possunt.*
§. 8. *IESVlus in corde hominis habitans, operatur mira.*
§. 9. *Epilogus.*

ABsit, ut quisquam hoc tempore sit tristis, vel desolatus: dum in præsepio, in stramine, in fœno, jacet Puer, qui est delicium orbis terrarum & cœlorum. S. Leo Papa ser. 1. in Natali — §. 1 *Feriæ Natalitiæ sunt dies gaudii & lætitiæ.*

 tali

tali Domini: *Neque enim fas est, locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ.* Cui Sol lucet, qui jacet in stabulo, in præsepio; in cujus corde exortus est, impossibile est, ut non sit serenitas pacis: Ideo Angeli hâc nocte concinunt: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. 2. v. 14. Nocte, quâ natus est Parvulus de Bethleem, ut canit Ecclesia, *per totum mundum melliflui facti sunt cæli.* Quantò magis cor hominis rationalis erit mellifluum, si JEsulus per gratiam in illo nascatur. Piè S. Bernardus de Christi Nativitate: *Hæc Nativitas* (potest fieri affectuosissima descriptio,) *intuentium pectora concutit.* Fare; ô purissima puerpera, cùm filiolum tuum natum, nudum vidisti jacere humi, cùm elevasti brachiis, cùm imposuisti sinui, cùm involvisti panniculis, cùm uberibus lactasti; an non concussa fuerint viscera tua? Fare ô Joseph, &c. (fac similem descriptionem.) Dicite ô Angeli & Archangeli, & Seraphini, &c. cùm hoc spectaculum vidistis, (fiat iterum brevis, sed affectuosa Nativitatis descriptio,) nunquid concussæ fuerunt alæ vestræ; nunquid cecinistis cum gaudio, *Gloria*, &c. Dicite ô Pastores, cùm vocati ab Angelis, reperistis Puerum in stabulo, reclinatum in præsepio, &c. an non pio horrore obruti, ruistis in genua; nunquid fibræ cordium vestrorum fuerunt concussæ, & commotæ ad profundissimam venerationem, & ardentissimum amorem. Sed fare Virgo, loquere S. Joseph, canite Angeli, loquimini Pastores; an quidquam in vobis mansit tristitiæ? nunquid repleti fuistis gaudio magno?

§. 2. *IESVlus fons veri gaudii.*

Ideo pergit S. Bern. cit. loco: *Hæc Nativitas irrorat oculos, & beatis fontibus vultus amantium* (& multò magis corda) *perfundit.* Et cur non? adest tandem DEus & homo! adest Mater & Virgo! Caro & Verbum; æterna novitas, nova æternitas; divina humanitas, humana Divinitas. Proinde fas non est, esse locum tristitiæ. *Tristatur aliquis vestrûm, oret*, inquit S. Jacobus. S. Bernardus his feriis ait: *Tristatur aliquis vestrûm?* (ser. 15. in Cant.) ***veniat in cor IESVS, & inde saliat in os. Nonne si invocet nomen vitæ, subitò respirabit ad vitam?*** Idem dico de vera lætitia. Veniat in cor JEsulus! (pulcher) statim respirabim⁹, & gaudebim⁹: Nihil est,

quod

quod cor aridum ad pietatem,&c. magis emolliat, magiſque aperiat, & impleat ſucco cœli, ſicut Parvulus de Bethleem: *Neque enim fas eſt locum eſſe triſtitiæ, ubi natalis eſt vitæ.*

§. 3. *Quod expertus fuit B. Henricus Suſo.*

Expertus hoc fuit B. Henricus Suſo, qui totâ nocte Nativitatis vigilans, cum piis lachrymis natalitias varias cantiones, his clauſit ſuſpiriis: *IESV Paſcha meum! cordis mei verna & amœna temperies!* Eja Animæ piæ, auditis has voculas? Alludit vir ſanctus ad illa verba Sponſæ, Cant. 2. v. 11. *Iam hyems tranſiit*, &c. pergit B. Henricus: JESULe! *Serena lux, dulcis amice, quem unum diligo, ſitio, concupiſco, cujus causâ terrea deſpicio. Peto ſuppliciter, ne mihi coronam aliam dones, quàm amor caſtus adipiſci ſolet. Noli me hâc nocte, his feriis Natalitiis, vacuum, inanemque dimittere.* Plenus his deliciis fuit P. Sebaſtianus à Camplo, auditus ſuſpirare: *O IESVle! quàm dulcis es amantibus te! O Domine ſatis eſt! jam non eſt cor ferendo. O Nobilis Parvule, ô dulcis IESVle.* O mi JESULE, hoc eſt deſiderium noſtrum, (fiat p. repetitio, ſed terrena debemus deſpicere,) hîc poteſt fieri pulchra digreſſio ad illos, qui potiùs JESUlum, quàm terrena volunt relinquere. Ut hoc fiat:

§ 4. *Quod experiemur, ſi JESVlo offeramus cor noſtrum exemplo B. Catharinæ Raconiſiæ.*

Cor noſtrum petit Parvulus de Bethlehem, quod B. V. feliciſſima Puerpera amabili viſione indicavit B. Catharinæ Raconiſiæ. Apparuit illi B. V. in veſte candida, rutilante gemmis, & ſuaviſſimis verbis illam fuit adhortata, ut JESU Parvuli vellet eſſe ſponſa. Cùm ſe verò omni dote deſtitutam diceret Catharina, reſpondit Mater: *Da pro dote cor tuum, & dabis, quod filiolus meus unicè diligit;* Ait ſimpliciſſima Virguncula: *Eccubi cor meum ſit, ego neſcio, ſi tu, ô Virgo, illud Filiolo tuo offerre poſſis, per me licet.* Riſit Virgo Catharinæ ſimplicitatem, & manu pectus ejus contingens; *hic eſt,* (ait) *cor tuum. Illud Filio meo conſecrare,* eſt, *velle quod vult. Cor illi offerre, eſt abjicere creaturas; cor illi offerre, eſt, pro illo pati,* &c. Annuit ad omnia, nova ſponſa Chriſti, cum tanto ejuſdem beneplacito, ut luc idiſſimum ejus digito inſeruerit annulum, dicens: *Sponſo te mihi in fide & charitate.* Peracta fuit hæc deſponſatio, cum ineffabili Catharinæ gaudio; ſi vos Aud. ad talia gaudia, ſi ad talem deſponſationem cum JESUlo anhelatis, offerte illi corda veſtra. Quid eſt offerre cor, &c. (eſt locus pro

pulchra adhortatione, pro amore JESUli, multa operemur, & patiamur.

§. 5. *Sed cor purum, liberũ ab omnibus peccatis.*

Verùm, ut his feriis fiamus participes illorum gaudiorum, quæ Parvulus de Bethleem suis communicare solet, ante omnia necesse est, ut corda nostra pura sint ab omnibus peccatis. Peccata nostra parvus JESUlus tolerare non potest. Anno 1585. mirabile quid contigit Goæ in Orientalibus Indiis. Cùm perditissimus miles, nomine *Benedictus*, ingressus fuit templum, visâ parvuli JESU in sinu Virginis imagine, advertit JESUli statuam tenerrimas effundere lachrymas, tantâ copiâ & inundantiâ, ut totum altare humectaretur. Quo spectaculo divinitùs illustratus *Benedictus*, quia agnovit gravia sua scelera causam esse illarũ lacrymarum, quiescere non potuit, donec factâ universali totius vitæ exomologesi, cor suum expiasset; tam ingenti delibutus fuit gaudio; scio nullum ex vobis tam esse perditæ vitæ, ut præbeat JESULO gravem causam flendi. Ut tamen gaudia nostra Natalitia sint majora & suaviora, hoc suadeo, ut nos inspiciamus, an non saltem aliqui defectus in conscientia nostra lateant absconditi, qui JESULUM contristare possint, ut eluantur, &c. ad hoc JESULUS offert suas lachrymulas, ut hoc modo, in stabulo, in præsepio, &c. DEUS sit in JESULO, *mundum reconcilians sibi*, 2. Corinth. 5. v. 5. factâ hâc reconciliatione, DEO & JESULO erit gloria, nobis pax & gaudium.

§. 6. *Remissio peccatorum petenda est à DEO Patre, per infantiam JESUli.*

Talem pacem, tale gaudium expertus fuit ille pœnitens peccator, qui cùm nesciret, quò se verteret ad impetrandam peccatorum veniam; cùm sub natales JESU dies, in Parvuli è sinu Matris blandientis JESU imaginem incidisset, ejusque aspectu fortissimè motus, pœnitentialibus lachrymis cor contritum coram Parvulo effunderet, per omnes tenerrimæ illius infantiæ delitias, per dulcissimos vagitus, per nunquam satis admirandam & amandam divinæ Majestatis, ad infantiam usque se se exinanientis humilitatem; per illam, cujus Filius esse dignatus est, Matrem Virginem; per omnes facilè ad miserationem flexanimæ infantiæ titulos, obtestatus est, ut sibi parceret tenellus ille Agnus, ideo pro nobis natus, ut peccatores salvos faceret; quæ oratio & obtesta-

tio

tio adeo fuit ardens & efficax, ut vox de cœlo illi dixerit: *Ob allegatum in misericordiæ argumentum Infantiam DEI, peccata tua tibi dimissa sunt.* O felices contriti cordis lachrymas! quæ claves esse videntur ad conclave cordis pueri JESU! & ad portas misericordiæ: Quin & tu ad ejus præsepe prostratus exclamas: Domine! amabilis puer JESU! parvule amabilissime, parvule misericordissime, &c. per infantiam tuam, per lachrymulas tuas, &c. *propitius esto mihi peccatori!* O tenelle Agne, tolle peccata mea! JESULE, esto nobis DEUS reconcilians! Ita DEO in excelsis erit gloria, nobis pax & gaudium.

Sed post hanc reconciliationem solliciti esse debemus, ne agamus aliquid, quod parvulo JESULO displiceat. (Habes locum pro pulchris invectivis, in certos defectus, vel scelera, quæ odit JESULUS; sed invectivæ hæ accommodandæ sunt ad Auditores.) Audiendus est S. Leo, dum serm. de Nat. Dom. quemvis nostrûm ita monet: *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ,* (in JESULO) *noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, & cujus corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus es de potestate tenebrarum, translatus es in DEI lumen, & regnum.* Teste S. Augustino, per Nativitatem Christi *instruimur, quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam coinquinemus peccando. Demonstravit nobis DEUS, quàm excelsum locum inter creaturas, humana natura in hoc habeat, quòd hominibus in vero Homine apparuit.* Ex quibus clarè sequitur, quâ curâ debeamus cavere peccata, à quibus natura humana tantâ contumeliâ afficitur. §. 7. *Cavenda deinde illa, quæ JESVLO displicere possunt.*

Emundato corde & conscientiâ, si devotio langueat, si adhuc tristetur cor tuum, iterum suadeo, ut accedas cunas JESULI: S. Gertrudis Virgo in div. insin. l. 2. c. 6. fusè explicat, quas de cœlo hausit delicias sacrosanctâ nocte Nativitatis. Sensit enim sibi porrigi, & recipi à se, tanquam in corde, tenerrimum quendam puerulum, quem cùm intra se teneret, anima tota mutata videbatur cum ipsa; introeunte hoc puerulo in cor, sensit statim suavissimas emissiones Divinitatis, statimq; sensit se positam in illa intellectus luce, in illo ardore voluntatis, in illa dulcedine devotionis, §. 8. *JESVLus in corde hominis receptus, operatur mira.*

tionis, ut tota DEO plena, exultaret quasi jam recepta in cœlo. Tentemus RR. PP. an harum gratiarum possimus his feriis nos reddere participes. Conducet ad hoc, ut in sacra Synaxi in corda nostra recipiamus Parvulum Jesulum! ad ejus præsentiam noster quoque illuminabitur intellectus, accendetur voluntas, & omnis devotio inardescet. Hoc suasit S. Arnulphus, dicens: *O quicunque DEUM amatis, hic adeste. Si DEO frui vultis, DEUS hic est. Hic est DEUS,* (hic Parvulus) *adeste omnes, adeste, adeste.* Et S. Chrysost. hom. 2. in Matth. *Mente consurge, nihilque humile suspiceris,* (licèt videas præsepium, stramen, panniculos, &c.) *quia cùm* (hic Parvulus) *verus & dilectus Filius sit sempiterni DEI, etiam filius David esse dignatus est, ut te filium faceret DEI.* Et S. August. *Magnus es Domine, & laudabilis valde. Et tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ, & homo circumferens mortalitatem suam, &c. Tu excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Hi, & similes affectus, sunt radices illius gaudii, cujus his feriis Natalitiis cuperem nos omnes fieri participes.

§. 9. Epilogus. Finio hanc exhortationem, verbis cœlestis cujusdam Genii, quibus B. Henricum Susonem fuit allocutus, ostendens illi Jesulum: *O quantopere is te amat!* Roga Spiritum S. ut occasione horum verborum, affectuosum tibi suggerat Epilogum.

EXHORTATIO III.

DE NATIVITATE CHRISTI DOMINI.

Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio, Luc. 2. v. 12.

SYNOPSIS.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRæcipua erga JESUlum devotio consistit in inflammata erga ipsum charitate.

§. 1. *Repetitio brevis priorum exhortationum.*

§. 2. *Ingens amoris illecebra est Parvulus de Bethleem.*

§. 3. *Quot in corde humano generet delicias & motus.*

§. 4. *Amabilis visio S. Mechtildis.*

§. 5. *Amor IESVli, non debet sistere in sensibili dulcedine, sed &c.*

§. 6. *Divinitas per se est infinitè amabilis; sed suo modo amabilior, in Humanitate.*

§. 7. *Testimonium S. Augustini.*

§. 8. *Et S. Bernardi.*

§. 9. *In Veteri Testamento DEVS fuit DEVS Vltionum, in Novo est Rex Amoris.*

§. 10. *Tenerrimi affectus, & simul elogia IESVli, ex S. Bonaventura.*

§. 11. *Epilogus.*

GAudere in DEO Jesulo! offerre illi cor purum! admirari infinitas illius excellentias! illas laudare, benedicere & magnificare! invitare omnes creaturas ad præsepium, ut idem faciant! ut omnes unanimi, quâ possunt, voce, conclament: *Sanctus! sanctus! sanctus! O amor! ô amor! ô amor! sit illi laus, benedictio, honor, gloria in sæcula!* Hi inquam, & similes affectus sunt pretiosæ illæ occupationes, in quibus his feriis Natalitiis cum jubilo cordis exercent & occupant; de quibus aliqua in duabus Exhortationibus vobis proposui. Superest occupatio sive exercitium devotionis omnium excellentissimum, scilicet, Amor, & inflammata charitas dilectissimi Jesuli. Hæc erit materia exhortationis præsentis. §. 1. *Repetitio priorũ Exhortationũ.*

Eritne possibile, ut his feriis aliquis ex vobis sit, qui non ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus diligat Salvatorem nostrum JESUM Christum; *Vbi enim quæso,* (ut S. Bonav. loquitur p. 1. stim. c. 4.) *magis apparet diffusio bonitatis divinæ, & clementiæ, dulcissimi & amantissimi DEI, & D. N. IESV Christi,* quam §. 2. *Ingens amoris illecebra est Parvulus de Bethleem.*

 dum

ſagion Iſaiæ 6.v.3. Apoc.4.v.8. ingeminant: *Sanctus! ſanctus! ſanctus!* & his pauculis verbis quaſi totius Divinitatis infinitam excellentiam nobis proponunt. Ita iidem Seraphini, & omnes cœleſtes Genii, cùm ad Chriſtum converſi (cujus gloriam citato loco vidit Iſaias) ejus in forma parvi pueri humilitatem, abjectionem, exinanitionem contemplantur; & quò tandem noſtrâ cauſâ, ſumma illa Majeſtas ſe inclinaverit, & deſcenderit; non habent opinor, quò portentum illud ineffabilis bonitatis celebrent ac proſequantur acroamate, niſi amoris nomen iterent, iterentque aſſiduè ad invicem clamantes: *O amor! ô amor! ô amor!* eâ congeminatione, magnam myſterii hujus admirabilitatem declarantes: ut & nos admiratione pleni, de JESUlo cantemus: *Sanctus! ſanctus! ſanctus! O amor*, &c. Vel, ut cum admiratione dicamus cum S. Joanne c.3. v.16. *Sic* DEUS *dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Quæ unica vocula, *Sic!* varias ſuggerit cauſas admirationis. *Sic!* hoc eſt, uſque ad ſummam, & inauditam Filii ſui unigeniti depreſſionem. *Sic!* ut parvulus jaceret humi, ut, ut, &c. (eſt locus pro pulchra deſcriptione Nativitatis.) *Sic!* denique uſque ad patibulum Crucis! *Sic! ſic!* ut aliud exclamare non lubeat, quàm *Sanctus! ſanctus: ſanctus! O amor! ô amor! ô amor! ô amor!* qui unigenitum DEI Filium, ex ſinu Patris traxit in terras, in uterum Virginis! *O amor!* qui Omnipotentem fecit infirmum, &c.

§. 5. Affectus admirationis continet in ſe magnã laudem.

Nemo ex me quærat, an res tanti momenti ſit, admirari Nativitatem Parvuli de Bethleem. Quiſquis hoc quærit, ignorat affectus hujus admirationis non eſſe ſteriles, ſed progignere alios pulcherrimarum virtutum affectus. Siquidem inprimis, illa admiratio de JESU Parvulo, ejuſdem eſt perfectiſſima laus & æſtimatio; quia non admiramur, niſi cujus ſummam eminentiam agnoſcimus, quam noſtrâ admiratione conteſtamur. Ita apud Achellium, Muſonius Philoſophus dixit: *Magnam laudem non abeſſe ab admiratione*; quod convertere nobis licet, & dicere, admirationem à magna laude non abeſſe, imò ipſam magnam laudem eſſe. Neque enim rem aliquam magis commendare poſſumus, quàm ſi dicamus, eſſe tam admirabilem, ut ejus excellen-

tiam

tiam exprimere non possimus. Ideo admiramur JESUlum, &c. & simul laudamus, &c.

§. 6. *Inflammat amorem.*

Eadem admiratio de JESUlo, de ejus dignitate, &c. (iterum est locus pro pulchra descriptione) hoc habet, ut confestim ejusdem Parvuli in nobis ingeneret amorẽ; illumque conceptum & partum foveat, alat, & intendat. Quid enim factu proclivius, quàm ut inflammati ejus amore rapiamur, cujus præstantiam atque incredibilem bonitatem, &c. cum admiratione contemplamur. Nam, ut de Beatis, DEI visione fruentibus, ait quidam Auctor apud S. August. super Magnificat: *Admirantes diligunt, & diligentes admirantur; ut inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, & suaviter in dilectione ferveat admiratio.*

§. 7. *Admirationis, & amoris affectus mixti.*

Hos affectus eleganter miscuit elegans ille Poëta:

- - - O fons pietatis!
Quis te pannis induit duræ paupertatis?
Tibi quis consuluit, sic te dare gratis?
Nisi zelus vehemens, ardor charitatis.
O prædulcis Parvule, puer sine pari,
Felix! cui datum est, te nunc amplexari,
Pedes, manus lambere, flentem consolari,
Tuis in obsequiis jugiter morari!
Conversari jugiter, & ab ejus ore,
Mel cæleste sugere, præ cujus dulcore
Amarescunt cætera, plena sunt fætore.
Hæc amoris signa sunt, & postrema primis
Copulans, associans, summa figens imis,
Monstrans, ut sic natus nos amares nimis.

Inter hos æstus, inter hos admirationis, & amoris affectus, fieri non potest, quin accensa voluntas in aliarum virtutum actus se effundat, séque totum JESUlo offerat in hostiam & holocaustum.

§. 8. *Prædictis affectus generant magnũ*

Atque ex his porro alii subnascuntur piissimi sensus & motus: v. g. suavis quidam & intimus exultantis animi sensus, dum homo, vermiculus, se se conspicit tantopere à DEO amatum, & tam

exultationē & gaudiū. tam admirabili modo, à Christo JESU redemptum. Ideo S. Bonavent. p.1.stim.c.4. Considerationi, ad admirandum, statim subjungit, exercitationem, ad exultandum. Plerumque enim mens hominis admirantis, divinam v.g. bonitatem, &c. completur sanctâ quâdam dulcedine; non in anima tantùm, sed quasi in omnibus membris totius corporis, ut totus homo exultet in DEO, exclamans cum Regio Psalte ps. 34. v.10. *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* (poterit fieri suavissimus affectus ad JESUlum.

§. 9. *Item, accensum desiderium laudandi DEUM, & Parvulum de Bethleem.* Ex quo ulteriùs fit, ut os & lingua prorumpant in lætas & festivas voces, quibus tam amabilem, tam magnum Puerum laudamus, magnificamus, & benedicimus; quales sunt Sanctorum omnium in Apocalypsi, DEO & Agno, qui occisus est, gratulantium, & omnem suam felicitatem eis acceptam referentium; vel ejusdem Regii Psaltis in psalmis suis, ubi modò se ipsum, & omnia interiora sua concitat ad benedicendum DEO, qui omnibus iniquitatibus suis propitiatus sit, vitam suam de interitu redemerit, & misericordiâ se coronârit, ac cinxerit; modò alios advocat ad benedicendum Domino, v.g. ps.65.v.16. *Venite, audite omnes, qui timetis DEUM, & narrabo, quanta fecit Dominus animæ meæ*; modò quasi ad id, per se se non sufficiat, provocat res creatas omnes, ut DEUM, quâ possunt arte, laudent, sibique ad ei pro tantis promeritis gratulandum, quasi vicariam, aut subsidiariam operam præstent. O quid fecisset David, si, dum vivebat, Messias (ad quem adeo anhelaret) venisset in hunc mundum, si ejus tempore Filius DEI jacuisset in præsepio, &c. Si coram spectasset oculis involutum panniculis, &c. quomodo non cecinisset, *Venite, &c.* (habes iterum locum pro pathetico affectu.)

§. 10. *In quem finem omnes invitentur creaturæ.* Hic scilicet est excellentissimus fructus affectuum admirationis de mirabilibus Nativitatis Christi, incensa nimirum, atque insatiabilis, in animo Christi charitatem admirantis ac redamantis ipsum amantissimum Parvulum, quibus poterit modis, laudandi, extollendique cupiditas, ejusque dulcem misericordiam, non in ista tantùm mortali vita, sed multò maximè in beata illa & immortali in æternum laudandi. Cùmque huic muneri, pro

eo

eo ac vellet, implendo, quidquid conetur, tamen imparem se sentiat, circumspicit omnia, num quid aliunde subsidii se se offerat, invitatque proinde in ejus officii societatem cœlum & terram: nec Angelos modò, hominesve, sed res universas, etiam insensibiles & inanimatas, ut fiat denique (præsertim his feriis coram præsepio, coram throno, coram Agno, coram JESUlo,) quod scriptum est Apoc. 5. v. 13. *Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram: & quæ sunt in mari, omnes audivi dicentes, sedenti in throno, & Agno,* (dicamus hodie, JESUlo jacenti in præsepio, &c.) *Benedictio & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.*

EXHORTATIO II.

DE NATIVITATE CHRISTI DOMINI:

Gloria in excelsis Deo, Luc. 2. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

FEriæ Natalitiæ, sunt dies gaudii & lætitiæ.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *IESVlus, fons verii gaudii.*
§. 3. *Quod expertus fuit B. Henricus Suso.*
§. 4. *Et nos experimur, si IESVlo offeramus cor nostrum: exemplo B. Catharinæ Raconisiæ.*
§. 5. *Sed cor purum, & liberum ab omnibus peccatis.*
§. 6. *Remissio peccatorum petenda est à DEO Patre, per infantiam IESVli.*
§. 7. *Cavenda sunt deinde illa, quæ IESVlo displicere possunt.*
§. 8. *IESVlus in corde hominis habitans, operatur mira.*
§. 9. *Epilogus.*

ABsit, ut quisquam hoc tempore sit tristis, vel desolatus: dum in præsepio, in stramine, in fœno, jacet Puer, qui est delicium orbis terrarum & cœlorum. S. Leo Papa ser. 1. in Natali

§. 1 *Feriæ Natalitiæ sunt dies gaudii & lætitiæ.*

tali Domini: *Neque enim fas est, locum esse tristitia, ubi natalis est vita.* Cui Sol lucet, qui jacet in stabulo, in præsepio; in cujus corde exortus est, impossibile est, ut non sit serenitas pacis: Ideo Angeli hâc nocte concinunt: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc.2.v.14. Nocte, quâ natus est Parvulus de Bethleem, ut canit Ecclesia, *per totum mundum melliflui facti sunt cæli.* Quantò magis cor hominis rationalis erit mellifluum, si JESULUS per gratiam in illo nascatur. Piè S. Bernardus de Christi Nativitate: *Hæc Nativitas* (potest fieri affectuosissima descriptio,) *intuentium pectora concutit.* Fare, ô purissima puerpera, cùm filiolum tuum natum, nudum vidisti jacere humi, cùm elevasti brachiis, cùm imposuisti sinui, cùm involvisti panniculis, cùm uberibus lactasti; an non concussa fuerint viscera tua? Fare ô Joseph, &c. (fac similem descriptionem.) Dicite ô Angeli & Archangeli, & Seraphini, &c. cùm hoc spectaculum vidistis, (fiat iterum brevis, sed affectuosa Nativitatis descriptio,) nunquid concussæ fuerunt alæ vestræ; nunquid cecinistis cum gaudio, *Gloria*, &c. Dicite ô Pastores, cùm vocati ab Angelis, reperistis Puerum in stabulo, reclinatum in præsepio, &c. an non pio horrore obruti; ruistis in genua; nunquid fibræ cordium vestrorum fuerunt concussæ, & commotæ ad profundissimam venerationem, & ardentissimum amorem. Sed fare Virgo, loquere S. Joseph, canite Angeli, loquimini Pastores; an quidquam in vobis mansit tristitiæ? nunquid repleti fuistis gaudio magno?

§. 2. *JESVlus fons veri gaudii.*

Ideo pergit S. Bern. cit. loco: *Hæc Nativitas irrorat oculos, & beatis fontibus vultus amantium* (& multò magis corda) *perfundit.* Et cur non? adest tandem DEUS & homo! adest Mater & Virgo! Caro & Verbum; æterna novitas, nova æternitas; divina humanitas, humana Divinitas. Proinde fas non est, esse locum tristitiæ. *Tristatur aliquis vestrûm, oret*, inquit S. Jacobus. S. Bernardus his feriis ait: *Tristatur aliquis vestrûm?* (ser.15. in Cant.) *veniat in cor IESVS, & inde saliat in os. Nonne si invocet nomen vitæ, subitò respirabit ad vitam?* Idem dico de vera lætitia. Veniat in cor JESULUS! (pulcher) statim respirabim⁹, & gaudebim⁹: Nihil est,

quod

quod cor aridum ad pietatem, &c. magis emolliat, magisque aperiat, & impleat succo cœli, sicut Parvulus de Bethleem: *Neque enim fas est locum esse tristitiæ, ubi natalis est vita.*

Expertus hoc fuit B. Henricus Suso, qui totâ nocte Nativitatis vigilans, cum piis lachrymis natalitias varias cantiones, his clausit suspiriis: *IESV Pascha meum! cordis mei verna & amœna temperies!* Eja Animæ piæ, auditis has voculas? Alludit vir sanctus ad illa verba Sponsæ, Cant. 2. v. 11. *Iam hyems transiit*, &c. pergit B. Henricus: JESUle! *Serena lux, dulcis amice, quem unum diligo, sitio, concupisco, cujus causâ terrea despicio. Peto suppliciter, ne mihi coronam aliam dones, quàm amor castus adipisci solet. Noli me hàc nocte, his feriis Natalitiis, vacuum, inanemque dimittere.* Plenus his deliciis fuit P. Sebastianus à Camplo, auditus suspirare: *O IESVle! quàm dulcis es amantibus te! O Domine satis est! jam non est cor ferendo. O Nobilis Parvule, ô dulcis IESVle.* O mi Jesule, hoc est desiderium nostrum, (fiat p. repetitio, sed terrena debemus despicere,) hic potest fieri pulchra digressio ad illos, qui potiùs JESUlum, quàm terrena volunt relinquere. Ut hoc fiat: *§. 3. Quod expertus fuit B. Henricus Suso.*

Cor nostrum petit Parvulus de Bethlehem, quod B. V. felicissima Puerpera amabili visione indicavit B. Catharinæ Raconisiæ. Apparuit illi B. V. in veste candida, rutilante gemmis, & suavissimis verbis illam fuit adhortata, ut JESU Parvuli vellet esse sponsa. Cùm se verò omni dote destitutam diceret Catharina, respondit Mater: *Da pro dote cor tuum, & dabis, quod filiolus meus unicè diligit;* Ait simplicissima Virguncula: *Eccubi cor meum sit, ego nescio; si tu, ô Virgo, illud Filiolo tuo offerre possis, per me licet.* Risit Virgo Catharinæ simplicitatem, & manu pectus ejus contingens; *hic est,* (ait) *cor tuum. Illud Filio meo consecrare,* est, *velle quod vult. Cor illi offerre, est abjicere creaturas; cor illi offerre, est, pro illo pati,* &c. Annuit ad omnia, nova sponsa Christi, cum tanto ejusdem beneplacito, ut lucidissimum ejus digito inseruerit annulum, dicens: *Sponso te mihi in fide & charitate.* Peracta fuit hæc desponsatio, cum ineffabili Catharinæ gaudio; si vos Aud. ad talia gaudia, si ad talem desponsationem cum JESUlo anhelatis, offerte illi corda vestra. Quid est offerre cor, &c. (est locus pro *§. 4. Quod experiemur, si IESVlo offeramus cor nostrum exemplo B. Catharinæ Raconisiæ.*

 pulcra

pulchra adhortatione, pro amore JESUli, multa operemur, & patiamur.

§. 5. *Sed cor purum, liberũ ab omnibus peccatis.* Verùm, ut his feriis fiamus participes illorum gaudiorum, quæ Parvulus de Bethleem suis communicare solet, ante omnia necesse est, ut corda nostra pura sint ab omnibus peccatis. Peccata nostra parvus JESUlus tolerare non potest. Anno 1585. mirabile quid contigit Goæ in Orientalibus Indiis. Cùm perditissimus miles, nomine *Benedictus*, ingressus fuit templum, visâ parvuli JESU in sinu Virginis imagine, advertit JESUli statuam tenerrrimas effundere lachrymas, tantâ copiâ & inundantiâ, ut totum altare humectaretur. Quo spectaculo divinitùs illustratus *Benedictus*, quia agnovit gravia sua scelera causam esse illarũ lacrymarum, quiescere non potuit, donec factâ universali totius vitæ exomologesi, cor suum expiasset; tam ingenti delibutus fuit gaudio; scio nullum ex vobis tam esse perditæ vitæ, ut præbeat Jesulo gravem causam flendi. Ut tamen gaudia nostra Natalitia sint majora & suaviora, hoc suadeo, ut nos inspiciamus, an non saltem aliqui defectus in conscientia nostra lateant absconditi, qui Jesulum contristare possint, ut eluantur, &c. ad hoc Jesulus offert suas lachrymulas, ut hoc modo, in stabulo, in præsepio, &c. Deus sit in Jesulo, *mundum reconcilians sibi,* 2. Corinth. 5. v. 5. factâ hâc reconciliatione, Deo & Jesulo erit gloria, nobis pax & gaudium.

§. 6. *Remissio peccatorum petenda est à DEO Patre, per infantiam JESUli.* Talem pacem, tale gaudium expertus fuit ille pœnitens peccator, qui cùm nesciret, quò se verteret ad impetrandam peccatorum veniam; cùm sub natales Jesu dies, in Parvuli è sinu Matris blandientis Jesu imaginem incidisset, ejusque aspectu fortissimè motus, pœnitentialibus lachrymis cor contritum coram Parvulo effunderet, per omnes tenerrimæ illius infantiæ delitias, per dulcissimos vagitus, per nunquam satis admirandam & amandam divinæ Majestatis, ad infantiam usque se se exinanientis humilitatem; per illam, cujus Filius esse dignatus est, Matrem Virginem; per omnes facilè ad miserationem flexanimæ infantiæ titulos, obtestatus est, ut sibi parceret tenellus ille Agnus, ideo pro nobis natus, ut peccatores salvos faceret; quæ oratio & obtesta-

tio adeo fuit ardens & efficax, ut vox de cœlo illi dixerit: *Ob allegatum in misericordiæ argumentum Infantiam DEI, peccata tua tibi dimissa sunt.* O felices contriti cordis lachrymas! quæ claves esse videntur ad conclave cordis Pueri JESU! & ad portas misericordiæ: Quin & tu ad ejus præsepe prostratus exclamas: Domine! amabilis Puer JESU! Parvule amabilissime, Parvule misericordissime, &c. per infantiam tuam, per lachrymulas tuas, &c. *propitius esto mihi peccatori!* O tenelle Agne, tolle peccata mea! JESULE, esto nobis DEUS reconcilians! Ita DEO in excelsis erit gloria, nobis pax & gaudium.

Sed post hanc reconciliationem solliciti esse debemus, ne agamus aliquid, quod Parvulo JESULO displiceat. (Habes locum pro pulchris invectivis, in certos defectus, vel scelera, quæ odit JESULUS; sed invectivæ hæ accommodandæ sunt ad Auditores.) Audiendus est S. Leo, dum serm. de Nat. Dom. quemvis nostrûm ita monet: *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ,* (in JESULO) *noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, & cujus corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus es de potestate tenebrarum, translatus es in DEI lumen, & regnum.* Teste S. Augustino, per Nativitatem Christi *instruimur, quanta sit dignitas humanæ naturæ, ne eam coinquinemus peccando. Demonstravit nobis DEUS, quàm excelsum locum inter creaturas, humana natura in hoc habeat, quòd hominibus in vero Homine apparuit.* Ex quibus clarè sequitur, quâ curâ debeamus cavere peccata, à quibus natura humana tantâ contumeliâ afficitur. §. 7. *Cavenda deinde illa, quæ JESULO displicere possunt.*

Emundato corde & conscientiâ, si devotio langueat, si adhuc tristetur cor tuum, iterum suadeo, ut accedas cunas JESULI: S. Gertrudis Virgo in div. insin. l. 2. c. 6. fusè explicat, quas de cœlo hausit delicias sacrosanctâ nocte Nativitatis. Sensit enim sibi porrigi, & recipi à se, tanquam in corde, tenerrimum quendam Puerulum, quem cùm intra se teneret, anima tota mutata videbatur cum ipsa; introeunte hoc Puerulo in cor, sensit statim suavissimas emissiones Divinitatis, statimq; sensit se positam in illa intellectus luce, in illo ardore voluntatis, in illa dulcedine devotionis, §. 8. *JESULUS in corde hominis receptus, operatur mira.*

tionis, ut tota DEO plena, exultaret quasi jam recepta in cœlo. Tentemus RR. PP. an harum gratiarum possimus his feriis nos reddere participes. Conducet ad hoc, ut in sacra Synaxi in corda nostra recipiamus Parvulum JESULUM! ad ejus præsentiam noster quoque illuminabitur intellectus, accendetur voluntas, & omnis devotio inardescet. Hoc suasit S. Arnulphus, dicens: *O quicunque DEUM amatis, hîc adeste. Si DEO frui vultis, DEUS hîc est. Hîc est DEUS,* (hîc Parvulus) *adeste omnes, adeste, adeste.* Et S. Chrysost. hom. 2. in Matth. *Mente consurge, nihilque humile suspiceris,* (licèt videas præsepium, stramen, panniculos, &c.) *quia cùm* (hic Parvulus) *verus & dilectus Filius sit sempiterni DEI, etiam filius David esse dignatus est, ut te filium faceret DEI.* Et S. August. *Magnus es Domine, & laudabilis valde. Et tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ, & homo circumferens mortalitatem suam, &c. Tu excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Hi, & similes affectus, sunt radices illius gaudii, cujus his feriis Natalitiis cuperem nos omnes fieri participes.

§. 9. Epilogus. Finio hanc exhortationem, verbis cœlestis cujusdam Genii, quibus B. Henricum Susonem fuit allocutus, ostendens illi JESULUM: *O quantopere is te amat!* Roga Spiritum S. ut occasione horum verborum, affectuosum tibi suggerat Epilogum.

EXHORTATIO III.

DE NATIVITATE CHRISTI DOMINI.

Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio, Luc. 2. v. 12.

SYNOPSIS.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRæcipua erga JESUlum devotio consistit in inflammata erga ipsum charitate.

GAudere in DEO Jesulo! offerre illi cor purum! admirari infinitas illius excellentias! illas laudare, benedicere & magnificare! invitare omnes creaturas ad præsepium, ut idem faciant! ut omnes unanimi, quâ possunt, voce, conclament: *Sanctus! sanctus! sanctus! O amor! ô amor! ô amor! sit illi laus, benedictio, honor, gloria in sæcula!* Hi inquam, & similes affectus sunt pretiosæ illæ occupationes, in quibus his feriis Natalitiis cum jubilo cordis exercent & occupant; de quibus aliqua in duabus Exhortationibus vobis proposui. Supereſt occupatio sive exercitium devotionis omnium excellentissimum, scilicet, Amor, & inflammata charitas dilectissimi Jesuli. Hæc erit materia exhortationis præsentis. §. 1. *Repetitio priorũ Exhortationũ.*

Eritne possibile, ut his feriis aliquis ex vobis sit, qui non ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus diligat Salvatorem nostrum JESUM Christum; *Vbi enim quæso*, (ut S. Bonav. loquitur p. 1. stim. c. 4.) *magis apparet diffusio bonitatis divinæ, & clementiæ, dulcissimi & amantissimi DEI, & D. N. IESV Christi*, quam §. 2. *Ingens amoris illecebra est Parvulus de Bethleem.*

 dum

dum parvulus jacet in præsepio? Ubi magis sapit amanti, supereminens dulcedo diviniſſimi hujus Corculi? Aut quæ uſpiam potentior amoris illecebra, quàm in illo divinæ charitatis incomprehenſibili prodigio, in Verbo DEI adeo abbreviato, ut non tantùm in Virginali utero ante menſes novem Caro factum ſit, ſed hâc nocte natus, adeo ſit depreſſum & humiliatum, ut parvulus Infans jaceat in fœno & ſtramine, propter nos, & propter noſtram ſalutem.

§. 3. *Quot in corde humano generet delitias, & motus.*

Has cunas, hunc PUERUM accedite, & in ejus Corculo, veluti accensâ fornace amoris & charitatis, invenietis pabulum, & ligna, quibus amorem veſtrum poteritis accendere & inflammare. Has cunas, hunc PUERUM accedite! & locum invenietis delitiarum. Neque enim poſt ipſum Divinitatis ſinum, intra quem quietè imperturbabili perfruuntur beatæ mentes conſummatâ beatitudine, lectulum invenietis ſuaviorem, quàm paleas, fœnum, panniculos, & præſepium, in quo jacet JESULUS! *Hic amans, ſolus cum ſolo converſatur, & circa divinos honores, circa æternas divitias, circa immenſas DEI delitias negotiatur. Hic* - (S. Bonav.) amans - *habitat, hic requieſcit.* In JESULO ſuo *dulcoratur cor, liqueſcit pectus, mens ſupra ſe elevatur; inebriatur anima ſpiritualibus delitiis, & in eis ſepelitur.* O floridum lectulum! Et ego cum S. Bonav. *nihil ſcio in hoc mundo, quod tantum ad cæleſtia contemplanda elevet, tantum ad ſapiendum DEVM illuminet*, ſicut Nativitas Parvuli de Bethleem. Scio S. Bernardum ſer. 20. in Cant. dixiſſe de Chriſto patiente, quibus ego utor de hoc Parvulo jacente in cunis: *Super omnia, ô IESVle, te mihi reddit amabilem Nativitas tua. Hæc amorem meum facilè totum ſibi vendicat.* Hæc, inquam eſt, quæ noſtram devotionem & blandiùs allicit, & juſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs.

§. 4. *Amabilis viſio S. Mechtildis.*

S. Mechtildis vidit aliquando in raptu elegantem arborem, ex cujus ramis aurea corda, veluti totidem ardentes lampades pendebant, quarum flamma alebatur odoratiſſimo oleo ac balſamo, quod ex eadem arbore copiosè ſtillabat. Si ego hodie eſſem cæleſtis Hortulanus, in pulcherrimo horto Bethlemitici ſtabuli, coram JESULO, ſimilem hodie vellem plantare arborem; ecce ar-

boris, vitæ pulcherrimos ramos; ecce manus! ecce brachia! ecce humeros! ecce collum! ecce caput pulcherrimi JESULI. non quærite lampades, sed corda vestra in hoc stabulo suspendite, ut ardeant flammâ divini amoris: eædem manus! eadem brachia! præsertim cor parvuli, stillat oleum & balsamum pretiosissimum: ideo flammæ, imò incendio nostri amoris, pabulum non deerit. Amoris pabulum indeficiens est ipse dulcissimus parvulus de Bethleem. Pabulum amoris est pueri omnipotentia, &c. (hoc modo poterit fieri pulchra inductio, per eximias Christi excellentias, & idiomatum divinorum communicationem) quis talem Puerum non amet?

§. 5. Amor JESUis non debet sistere in sensibili dulcedine, sed &c.

Sed notandum est; Quamvis excellentissimum, utilissimumque exercitium, quod quidem in hac vita mortali habere quis possit, sit DEUM amare; illud tamen non consistere in perceptione magnæ dulcedinis, neque in consolationum (quas cœlum his feriis depluere solet,) affluentia; sed aliud adhuc longè excellentius, utiliusque exercitium esse, quod in hoc situm est, ut quis se & omnia pro DEI amore relinquat, se verè abneget, atque mortificet, & voluntate propriâ, in voluntatem DEI integrè transfusâ, liber, tranquillusque in omnibus, quæ sibi eveniunt, permaneat, ac DEO adhæreat, unus spiritus cum DEO effectus. Hæc est prima amoris lectio, quam Parvulus de Bethleem, non ore, sed exemplo, de cathedra præsepii nos docet.

§. 6. Divinitas per se est infinitè amabilis! sed suo modo amabilior in Humanitate.

Sed redeo ad motiva amoris erga Parvulum de Bethleem; Ipsa quidem per se Divinitas infinita est amoris illecebra, quippe quæ per sese purum est, & summum, ac infinitum bonum, & ut S. Aug. loquitur in ps. 83. *Pulchritudo insatiabilis*. In cujus proinde claro ac felici intuitu, æterno stupore defixæ hærent beatæ mentes; cujus contemplatione satiari nequeunt Seraphinorum oculi, &c. & proinde eos ardores ac flammas concipiunt, quibus continuò ardent, & æternùm ardebunt. Veruntamen, uti nunc se habet infirmitas mortalis vitæ nostræ, & exilii, sive peregrinationis nostræ, in hac lachrymarum valle conditio; admirabilis illa & ineffabilis pulchritudo Divinitatis, non jam per se ipsam nobis proposita; sed per interpositam quasi nubem, nostræ assumptæ

Humanitatis, transparens; nescio quo modo animos nostros ad amorem sui blandiùs allicit, potentiùs trahit, retinetque jucundiùs; sive id fortassis efficit ob consortium naturæ major similitudo, & velut cognatio cum DEO; quæ duo, similitudo & cognatio plerumque amorem solent efficaciter conciliare: sive etiam ipsa Divinitas, per susceptam carnem nobis propior & familiarior effecta, vim suam intendat, & magis exerat: sive (quæ suavior est, & S. Augustino valde familiaris cogitatio) ille ipse nativus Divinitatis fulgor, qui plenâ luce incurrens in sensus mortalium, eorum aciem perstringeret, hebetaretque; idem per eam Humanitatis nubem, quasi refrictus & attemperatus humanis oculis, eos blandiùs rapit ad sese, afficitque familiariùs. *Nube enim tegitur*, (inquit S. Aug. tr. 34. in Joan. *non ut obscuretur, sed ut temperetur.* Idem dico de Parvulo de Bethleem. Puer hic DEUS est: sed si Divinitatis fulgor per formam pulcherrimi pueri temperaretur, utique oculi nostri tantum splendorem non ferrent. Sed quia Divinitas in hoc puero tam pulchrâ nube tamen obscurata est, intuemur illum cum gaudio. *Ut ita quædam monstrando de se* (S. Greg. M. l. 16. mor. c. 13.) *occultâ nos inspiratione in suo amore succendat, & tamen abscondendo Majestatis suæ gloriam, amoris sui vim per æstum desiderii magis augeat*; ut in admirabili hoc mysterio Nativitatis Christi multa *eò sint dulciora, quò obscuriora*, ut inquit S. Aug.

§. 7. *Testimonium S. Augustini.* De qua re idem eleganter & dulciter ita discurrit in l. 13. Conf. c. 15. *Attendit per retia carnis, & blanditur, & inflammat, & currimus post odorem ejus.* (Est locus pro eleganti descriptione Parvuli de Bethleem, per præcipua illius membra, v. g. retia sunt oculi, quibus &c.)

§. 8. *Et S. Bernardi.* Quod mellifluus S. Bernardus, non minus eleganter, quàm dulciter in ser. 70. in Cant. cùm Dominum nostrum considerans, & ut regnantem super sidera, & ut inter lilia, hoc est, mortales commorantem, ait: *Qui in altissimis est Dominus, in imis* (in præsepio, in stabulo, &c.) *est dilectus: super sidera regnans, & inter lilia amans. Amabat & super sidera, quia nusquam, & nunquam non amare potuit, quia amor est; sed donec ad lilia descendit, & pasci inter*

lilia

lilia compertus est, nec amatus est, nec factus dilectus. Positus inter lilia; quid dico lilia? positus in præsepio, inter fœnum & paleas, plus à nobis diligitur & amatur. *Sic enim* (S. Bern. serm. 15. in Cant.) *Majestatis & potentiæ nomen, in id, quod est pietatis & gratiæ, quodammodo transfunditur. Nomen, verbi causa, quod DEVS est, nonne in id, quod est Emanuel, hoc est, nobiscum DEVS, liquescit & deficit.* Quid est, nomen DEI liquescere, resolvi, & quodammodo deficere? nisi nomen Emanuelis illi comparatum, esse mollius & amabilius, & dulcius. *Et proinde*, (ut S. Hilarius loquitur lib. 6. de Trinit.) in *Verbo humanato, vel Incarnato*; dicam ego, in JESulo, in Parvulo de Bethleem, *non habemus causas terroris, sed amoris duntaxat illecebras.*

Olim, cùm DEUS justitiæ suæ indulgens, vindictæ multum, misericordiæ perparum concederet, & non nisi fulmina meditans, tonitrua loquens, cædes tantùm spiraret & sanguinem; & vel igne immisso de cœlo, vel terræ hiatu, vel ignitis serpentibus in rebelles sibi mortales sæviret, meritò audiebat, DEUS *magnus & fortis, & terribilis in consiliis super filios hominum, Dominus exercituum, & DEVS ultionum.* Quâ cogitatione perculsus Jeremias c. 10. v. 7. exclamavit: *Quis non timebit te, ô Rex gentium!* Nunc autem, cùm deposito rigore, idem ipse Humanitatem induit, cùm Parvulus jacet in præsepio, &c. neque jam DEUS *ultionum* dicitur, sed *Pater misericordiarum*; nec jam manus habet armatas fulmine, sed pannis & vinculis, sive funiculis amoris ligatas; commutemus Prophetæ voces, & dicamus: Quis non amabit te, ô Rex cordium! ô Rex amoris, &c. O pupule dilectissime! ô JEsule benignissime! lustrate præsepium, fœnum, stramen, &c. *Omnia hæc habent voces suas, Amoris.* Lustrate JEsulum! videtis ocellos, genas, &c. (NB. pulchri ex Cant.) omnia hæc habent voces suas Amoris!

§. 9. In V. Test. DEVS fuit DEVS ultionum: in novo, est Rex Amoris.

Has voces amoris audivit S. Bonaventura, cùm respondit p. 1. stim. c. 2. *O amor! ô desiderium cordis! ô dulcedo & suavitas mentis! ô ardor & inflammatio pectoris! ô lux & claritas oculorum! ô aurium pulchra symphonia! ô melliflua gustatio! ô amantissima palpatio! ô anima mea! ô vita mea! ô viscera cordis mei! ô medulla ossium! ô vege-*

§. 10. Tenerrimi affectus, & simul elogia JESVli, ex S. Bonav.

 geta-

getatio carnium! intellectus inspiratio! & exultatio mea! (adverte pulcherrima Jesuli elogia) *Cur ego non sum conversus totus in amorem tuum? quare aliquid est in me, nisi amor? Quomodo possum aliud cogitare vel meditari? Et quid amore tuo dulcius? quid amplius cupio? Cur ergo non sum illo illaqueatus & passus? undique me circumdat amor tuus, & nescio, quid sit amor.* (Roga Spiritum S. ut ex his tibi suggerat affectuosas apostrophes & affectus ad Jesulum.)

§. 11. Epilogus. Jam facilè adverto causam, quare piissima illa Virgo ferias Christi nascentis vocaverit *Dies dilectos, dies lætos, & amabiles*: quare alius *dies sanctissimos*; quare alius *Festa felicia*! quare S. Bernardus dixerit ser. de Nat. Dom. *Non me capio præ lætitia! quòd tanta Majestas, naturam meam assumens, tantum me elevat, & me miserum in divitias gloriæ, non ad horam, sed in sempiternum includit.* (Ex his fiat affectuosus Epilogus.)

[*Pro ornatu* §. 9. *vide Lectiones noct. fer. 2. post Dom. ult. post Pentecost.*]

EXHORTATIO IV.

DE ADMIRABILI PARTU B. VIRGINIS MARIÆ.

Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio,
Luc 2. cap. v. 7.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

SUmmum Nativitatis Christi miraculum est Virginitas Matris, ante, in, & post partum.

§. 1. *Nocte Nativitatis Christi contigère plurima miracula.*

§. 2. *Nativitas Christi ob varias causas fuit mirabilis, præsertim quòd MARIA genuerit Virgo, & sine doloribus.*

§. 3.

ADmirabilem Virginis partum, & stupendum Christi D. ortum, stupenda præcesserunt miracula. In Hispania apparuerunt tres Soles, in unum coeuntes. Nocte partus Virginis, fons olei manavit in Civitate Romana trans Tyberim, & floruerunt vineæ Engaddi in illa nocte, in terra Judææ. Augustus Imperator vidit in cœlo Virginem gestantem Filium, ad ostensionem Sibyllæ; & ex tunc prohibuit, ne quis eum Dominum appellaret, quia natus esset Rex Regum. Templum Pacis funditùs corruit. Romani siquidem pro pace, quæ Orbi sub Augusto imminebat, Templum Pacis construxerunt; de quo consulentes, quàm diu deberet durare, responsum est, *Donec Virgo pariat.* Qui dixerunt, *Ergo erit in æternum, quia nunquam Virgo pariet.* Sed in hora Mariani partus funditùs corruit. Hoc fuit lugubre portentum. Sodomitæ in toto orbe morte subitaneâ interierunt. Audiant & contremiscant illi, qui & hodie, dum Christi Nativitatem celebramus, vivunt gravissimorum scelerum rei, & de seria pœnitentia nihil cogitant. Petrus de Natalibus ex Damasceno, super versum 12. Psalmi 138. *Nox sicut dies illuminabitur,* ait: quòd istud nocte Nativitatis impletum est, quæ nox in hora partus Mariæ videlicet, in claritatem diei conversa est. Et quia ipsa lux ad Patres, qui erant in limbo, descendere non poterat, terra se in pluribus locis aperuit, & per ejus rimas lux ad Patres usque

§. 1. *Nocte Nativitatis Christi contigêre plurima miracula.*

usque descendit, & tunc impleta est Prophetia Isaiæ 9. v. 2. *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Ægyptii cum stupore mane in die Nativitatis, viderunt omnia idola corruisse: nihil dicam de miraculis, quæ nocte Nativitatis contigerunt in Bethleem, de apparitione Angelorum, de illorum cœlesti Musicâ, de adventu Pastorum ad præsepium, & similibus circumstantiis. Miraculorum maximum fuit Virgineus partus, de quo hâc exhortatione pauca vobis proponam.

§. 2. Nativitas Christi ob varias causas fuit mirabilis; præsertim quòd Maria genuerit Virgo, & sine doloribus.

Ob varias causas Virginis partus & Nativitas Christi fuit mirabilis. Evæ à DEO fuit dictum Gen. 3. v. 16. *In dolore paries*, cui maledicto vel pœnæ omnes parturientes subjectæ sunt, nisi, *quòd sola inter mulieres Virgo* (S. Bern.) *à communi maledicto & dolore parturientium fuerit aliena*: *Ideoq;* (D. Hier. ait) *nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit. Ipsa & mater, & obstetrix fuit, ipsa pannis infantem involvit*: In admirabili hoc partu Filius DEI cœlesti Patri potuit dicere ex ps. 21. v. 10. *Tu es, qui extraxisti me de utero.* Cassiodorus: *Ex utero Matris dicit se Christus extractum à Patre, ut ostenderet Nativitatem suam divinâ virtute perfectam, ne incredibilis videretur Virginis partus.* S. Chrysologus ser. 141. *Qui ingreditur, & egreditur, & introitus sui & exitus nulla vestigia reliquit; divinus habitator fuit, & qui conceptu suo Virginem servavit, & ortu suo reliquit Virginem.*

§. 3. Quædam quæstiuncula de nato Puero.

An Virgo prodeuntem ex virginali thalamo puerum virgineis exceperit manibus; an puer ultrò se reclinaverit in terram; an Angelorum manibus fuit positus inter brachia Virginis, à SS. Patribus quæritur, & omnes opiniones pene probabiles. Cogitationem Cassiani l. 2. c. 4. non rejicio, dum ait, Virginem in partu speciosissimâ fuisse obtectam nube, ne etiam à dilectissimo Sponso conspiceretur.

§. 4. Alia quæstiuncula de panniculis. & splendore Pueri.

De panniculis, quibus Mater puerulum involvit, pia est quæstio, an Maria illos secum attulerit, an obviis fuerit usa, & quidem aliquibus ex virgineis velamentis. Dion. Carthus. ait: *Communiter asseritur, quòd pannis vilibus, & obviis, & veteribus Virgo Christum involverit*; Veruntamen in Revelationibus D. Brigittæ Virgo inducitur ad illam loqui, *quòd sciverit se parituram*

in Bethleem, ut adimpleretur Scriptura; idcirco de mundissimis & decentissimis lineis panniculis sibi providit, quibus Filium suum reverenter involvit. Ex illo versu 2. capitis 9. Isaiæ, *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Quidam voluerunt asserere, Parvulum & prodeuntem ex utero, & reclinatum in præsepio, radiasse instar Solis. B. Virgo ad S. Brig. l.5. c.1. *Cùm pro partu edendo in lucem preces ardentes DEO Virgo obtulisset; illico in momento, & in ictu oculi Filium ante se editum vidit; & in illo momento sensit Virgo, quasi dimidium cordis sui exiisse; ex quo tantus fulgor prodibat, & splendor, ut vix Sol ei possit comparari.* Sed quid opus fuit radiis Solis, cùm natus Puer infinitâ pulchritudine Solem excederet & superaret.

Videtur tamen prior sententia fundata in sacris literis. Isaias enim ait cap.62. v.1. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Iustus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Prædixit Isaias, Christum ex Virgine proditurum, veluti splendorem crystalli, vel instar lucidissimæ lampadis. Unde S. Paulus ad Hebræos cap.1.v.9. ait de Puero, *Cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Per quæ verba S. Paulus exprimere voluit infinitam illam puritatem & pulchritudinem, quâ per æternam generationem exit à Patre; qui candor, vel quæ puritas, (ut cum D. Athanasio loquar,) *emanatio quædam est claritatis, omnipotentis DEI sincera; & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula DEI Majestatis.* Addit D. Athan. *Quemadmodum Sol idem manens non minuitur, radiis ab ipso effusis; ita nec substantia Patris mutationem perpessa est, cùm habeat imaginem Filium suum.* In hoc discursu insinuantur pulcherrima, imò divina elogia Parvuli de Bethleem, præcipuè quæ divinam naturam concernunt. O admirabilem partum! hic Puer est splendor Divinitatis! hic Puer est lampas accensa à Spiritu S.! hic Puer est Salvator mundi! hic Puer est figura substantiæ Patris! In hoc Puero translucet emanatio divinæ claritatis! In hoc Puero nihil est coinquinatum. Hic Puer est candor lucis æternæ! Hic Puer est speculum sine macula! Hic Puer est imago Patris. Hæc elogia Divinitatis in Puero, sanctis

§.5. Puerum ex utero prodiisse lucidissimum, probatur ex sacris literis, cum eximiis elogiis IESVli.

patribus dederunt causam, quòd dixerint, divinissimum puerum jacuisse in præsepio, tantâ luce & claritate circumfusum, ut etiam quoad Humanitatem dici potuerit splendor Divinitatis! accensa lampas! lucidissima crystallus, Salvator mundi! figura substantiæ patris! candorem lucis æternæ! speculum sine macula! imaginem patris. per me licet, propter talia dicite, JESULUM in præsepio radiasse instar Solis: ut pater cœlestis de cœlo illi dicere potuerit ex psalmo 109. v. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Vel, ut alii legunt, *Ex utero Mariæ!* Quæ profectò *emissio (* D. Hier. ad Eustoch. *) tanti est luminis, ut supernorum omnium civium, sit hortus & Paradisus.* Hunc hortum! hunc paradisum! hunc lucidissimum puerulum! hunc Solem hodie quærite in Bethleem. Accurrite ad stabulum cum pastoribus, ibi invenietis.

§. 6. *Descriptio Virginei partus ex S. Cypriano & S. Bernardo.*

Sed redeo ad Virgineum partum, quem S. Cyprianus eleganter ita describit: *Genitrix est obstetrix, & devotam dilectæ soboli exhibet clientelam. Attrectat, amplectitur, jungit oscula, porrigit mammam; totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia; ultro maturus ab arbore bajulâ fructus elapsus est, nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat*, cum ineffabili Virginis Matris gaudio; ideo D. Bern. serm. 1. in Virg. Nativ. *O partus solus sine dolore! Quare? quia solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non reserans, sed consecrans Virginalis uteri Templum.* Conceptio fuit mundissima, obumbrante Spiritu Sancto: talis quoque debuit esse Nativitas. Ser. 4. *O verè nova miracula! Conceptus fuit sine pudore voluptatis! partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra Evæ maledictio; peperit enim filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem; sicut prædictum est per Angelum: Benedicta tu in mulieribus. O beata sola inter mulieres benedicta, sola generali maledicto libera, & à dolore parturientis aliena.*

§. 7. *Deipara puerpera fuit lilium inter spinas.*

Applaudit propterea Genitrici Sponsus, dum Cant. 2. v. 2. de illa ait: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Pulchrè Wilhelmus: *Filiæ Evæ spinæ sunt vulneratæ in partu*; hoc est, sentiunt spinas, sive dolores; *Virgo lilium fuit in partu, quia peperit gaudium, & habuit lætitiam; & erat ei parienti, in voce exultationis,* *quasi*

quasi sonus epulantis, quia nihil in eam de maledicentia Matris Evæ transierat. Peperit ut cæteræ, sed non in dolore, ut cæteræ. O lætum partum! in quo pariens Virgo est lilium inter spinas.

Gloriosa de Virgineo partu protulit S. Ildephonsus lib. de Virg. & partu Mariæ: *Ergo, per quam tanta benedictio effloruit, & gratia manavit, non est credendum, quòd ejus puerperium doloribus & gemitibus more fœminarum subjacuit.* Deinde: *Beata Maria, plena gratiâ, nec dolorem sensit, nec corruptionem viscerum pertulit. Quia quantum aliena fuit à culpa, Spiritu S. in ea cooperante, in tantum extranea fuit à maledicto primæ damnationis; & tantùm immunis permansit à corruptione carnis, nec non & à gemitu, & doloribus, quibus vexantur omnes filiæ Evæ, cùm pariunt.* Maria peperit in gaudio & exultatione! §. 8. *Alia elogia Virg. nei puerperii.*

Cujus, si volumus, omnes possumus esse participes. Ideo Angelus de cœlo descendens, Pastoribus dixit, Lucæ 2. v. 10. *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator. Et subitò facta est cum eo multitudo cœlestis laudantium, & dicentium: Gloria in altissimis DEO.* Lætissimum hunc diem prævidit Regius Psaltes, cùm jubilo cecinit ps. 117. v. 24. *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* S. Chrysost. *Christi juxta carnem Nativitas est festum omnium festorum maximè venerandum; ab hoc enim festum Epiphaniæ, Pascha, Ascensio & Pentecostes originem & fundamentum ducunt.* Item ser. de Nat. *Licèt cunctos dies DEUS creaverit, singulariter tamen hunc diem fecisse dicitur, qui Christi Domini Nativitate sacratus est. In quo meritò exultare convenit, & lætari, quia in eo & diabolus jus perdidit, & salutem mundus accepit.* §. 9. *Invitat omnes ad gaudia natalitia.*

Psalmo 95. v. 11. canit David: *Lætentur cœli, & exultet terra à facie Domini, quoniam venit.* Ubi Dion. Carth. *Lætentur cœli,* id est, Angeli sancti: nam Christo nato, facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium DEUM. *Et exultet terra,* id est, genus humanum, in terra exilium ducens. *A facie Domini,* id est, ex consideratione præsentiæ Christi. Isaias c. 49. v. 13. ita loquitur: *Laudate cœli, exultet terra, quia consolatus est* §. 10. *Prosecutio.*

 Domi-

Dominus populum suum. Strabus ait in ps. 138. *Deliciæ nostræ Christus natus, in quo exultamus.* S. Ambr. ser. 12. de Nat. *Cùm nascitur Christus, exultant Angeli, Pastores pervigilant, Magi advertunt, stella præcedit; & cuncta, quæ sunt in cælis, terrisque pulcherrima, ipsi Domino offeruntur.* Cùm in cœlo, & in terra, hoc puero nihil sit pulchriùs, nec formosiùs.

§. 11. *Quantum fuerit gaudium SS. Parentum, Mariæ & Iosephi.*

Ineffabile gaudium sanctissimorum Parentum, Mariæ & Josephi quis explicabit? De gaudio Deiparæ ait B. Petrus Dam. ser. de Nat. *O Bethleem civitas DEI summi: & in te, & in suburbiis tuis visa sunt mirabilia hodie. DEVS pendet ab uberibus, alludit Virgini Matri, arridet, & blandientes oculos convertit ad Mariam. Adest multitudo cælestis, Pastores veniunt, & inveniunt Puerum & Puellam; præcedit stella Reges, adorant Filium, Matrem venerantur.* Quid Reginæ jucundiùs? (amplificetur pulchrè hæc quæstio,) de S. Josepho ait S. Chrysost. *Videns Ioseph Puerum natum, maximâ exultatione repletus est.* B. Damianus: *Adest & Ioseph, in excessu mentis admirans, & mirari satis non potens, qualiter fit, ad tantæ dignitatis admissus arcanum.* (iterum de S. Josepho potest fieri pulchra descriptio.)

§. 12. *Imitatio S. Augustini ad gaudia natalitia.*

Ad tantorum gaudiorum societatem nos omnes vocat S. Augustinus ser. 22. de diversis: *Cesset hodie fratres dilectissimi, omnis sollicitudo; Christus nobis vera securitas advenit: cessent bella, desinant lites, hodie pax vera de cælo descendit: cesset omnis amaritudo, hodie per totum mundum melliti facti sunt cæli, fugiat mors, quia vita de cælo hodie nobis est data. Hodie super terram canunt Angeli, lætantur Archangeli, invitantur Sancti, & omnes justi.*

§. 13. *Epilogus.*

Cur ait, *invitantur justi?* quia peccatoribus non est gaudium vel lætitia! (ecce locum pro vehementi detestatione peccatorum! quæ nos faciunt incapaces tantæ lætitiæ, &c.)

EXHOR-

EXHORTATIO

DE EXCELLENTIIS ET BONIS CONTENTIS IN NOMINE JESU.

Vocatum est nomen ejus JESUS, Luc. 2. v. 21.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit illam titulus Exhortationis.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *Elegantes quæstiones S. Augustini de nomine IESV.*
§. 3. *In nomine IESV sunt omnia bona.*
§. 4. *Elogia varia hujus Nominis.*
§. 5. *Ad cujus laudem invitantur omnes, quia omnibus est salutare.*
§. 6. *In Nomine* Jesu *vera pax.*
§. 7. *Invocatio Nominis* Jesu *certum attrahit auxilium.*
§. 8. *In Nomine* Jesu *omnis felicitas!*
§. 9. *Et victoria!*
§. 10. *Et omnis suavitas.*
§. 11. *Testimonium S. Bernardi: &*
§. 12. *Gilliberti Abbatis.*

ANnum novum, sive annum 1674. feliciùs auspicari non possum, quàm cum nomine Jesu! Brevissimum hoc exordium hujus exhortationis mihi suggerit S. Augustinus ser. 43. ad fratres; ejus verba cùm fusiori explicatione vobis proponam, si parati estis, ut meam dictionem benevolâ attentione prosequamini; de quo cùm non dubitem, pergo in nomine Jesu! §. 1. *Propositio.*

Felix annus, Auditores amantissimi! Sed, *O vos mundi amatores! qui terrena sapitis, quid agitis sine IESV? quid concupiscitis? quid sapitis? quid speratis? Nunquid sine IESV pax vobis esse poterit? nunquid felicitas vel victoria, sine* Jesu *esse poterit? O fratres mei absit! Quærite ergo* Jesum, *dum inveniri potest; invocate eum, dum* §. 2. *Elegantes quæstiones S. Augustini de nomine IESV.*

 prope

prope est. In ipso namque sunt omnes thesauri, &c.! Si unquam; quid dico? si frequenter volui dicere, mihi placuit S. Augustinus, placet mihi in his verbis.

§. 5. *In Nomine JESU sunt omnia bona.*

Felix annus, Religiosi Patres; si felicem desideratis annum, hoc est, omnibus bonis abundanter, amate nomen JESU; in hoc nomine sunt omnia bona! dicitisne cum Davide, ps. 4. v. 6. Sed *quis ostendit nobis bona?* id hodie facit Beatissima puerpera, dum dilectissimum Filiolum suum vocavit JESUM! Hic JESUS, hic Puerulus Deus est: continet ergo in se omnia bona. S. Bern. ser. de Circumc. *Circumcisio veritatem susceptæ probat Humanitatis: & nomen Iesu, quod est super omne nomen, gloriam indicat Majestatis.* Ideo eleganter S. Ambrosius, lib. 3. epist. 11. *Quis ostendit nobis bona? & ostendit Iesum esse bona; subjiciens: Signatum est in nobis lumen vultus tui Domine. Iesus ergo est summum bonum. Hoc bonum veniat in animam nostram, quod propitius Deus dat petentibus se. Hic est thesaurus noster, vita nostra, sapientia nostra, justitia nostra, Pastor noster, via nostra; vides quanta bona, in uno bono!* Ut bene dixerit Isaias cap. 26. v. 8. *Domine, nomen tuum in desiderio animæ:* id est, solum Jesu nomen implet omne desiderium animæ. Et S. Chrysost. hom. 9. in ep. ad Coloss. *Omnia in nomine Domini facias, & prosperè succedent omnia.* Monuit hoc S. Paulus, ad Coloss. 3. v. 17. *Omne quodcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine* JESU *facite.* D. Bernardinus t. 1. ser. 49. *Optimus ordo est, ut totius verbi, vel operis, à nomine* JESU *nobis origo, & initium sumatur, & in* JESUM *consummatio referatur.*

§. 4. *Elogia varia hujus Nominis.*

Quo fructu id fiat, ex cujusdam S. Bernardini festivis exclamationibus intelligemus. *O triumphale nomen! O lætitia justorum! O pavor inferorum! In te omnis spes veniæ, omnis spes gratiæ, in te omnis spes gloriæ. O nomen dulcorosum! tu peccatoribus veniam præstas; tu mores renovas, tu mentes divina dulcedine reples; tu phantasmata pellis! O nomen gratiosum! per te alta mysteria revelantur, per te ad divinum amorem animæ inflammantur, roborantur in pugna, & à cunctis periculis liberantur. O nomen gloriosum! nomen desiderabile, nomen delectabile, nomen admirabile, nomen venerabile!*

rabile! Tu dulcissimum nomen Regis JESU, *sic paulatim ad cœli fastigia, per gratiarum charismata mentes fidelium sursum rapis, ut omnis, qui ad devotionem hujus Nominis intrat, virtute ejus Omnia inveniat per* JESUM. In uno bono! in uno nomine! quanta bona!

Et ideo Regius Psaltes ps.112. v. 3. ita cecinit: *A Solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.* Et ps.148. v. 11. *Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes Iudices terræ, juvenes & Virgines laudent nomen Domini.* His verbis omnes hominum status excitantur ad laudationem Nominis JESU; quia cuncti status à nomine JESU cœlestibus donantur muneribus. Reges feliciter imperant, populi gaudent pace, Judices prudenter jura decernunt; juvenes fiunt charitate ferventes; Virgines castitate fulgent, &c. & omnes laudant nomen Domini, ut nullus status ab ejus laude intelligatur excludi. Quia scilicet à Solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini. §. 5. *Ad cujus laudem invitantur omnes, quia omnibus est salutare.*

Felix annus, Auditores! ut felix sit, desideratis sine dubio, pacem amate, colite, invocate nomen JESU; in hoc nomine pax est, teste S. Augustino, dum quærit: *Nunquid sine* JESU *pax vobis esse poterit?* de quâ pace sit sermo, nobis exponit Angelus, qui Pastoribus felicē Christi D. añuntiavit Nativitatē, dicens, Luc. 2. v. 14. *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Per pacem multi SS. Patres intelligunt Spiritum Sanctum, qui est bona voluntas, & infinitus amor: & huc trahunt verba Apostoli, ex ep. 1. ad Corinth. cap. 12, 3. *Nemo potest dicere, Dominus* JESUS, *nisi in Spiritu S.* hoc est, (ex mente Angelici Doctoris,) *nemo, nisi habendo Spiritum Sanctum, potest dicere* JESUM *Dominum; ita scilicet, quòd non solùm hoc ore confiteatur, sed etiam corde revereatur ipsum ut Dominum, & opere obediat ipsi, quasi Domino.* Clarior adhuc est hæc expositio doctissimi Interpretis, & ad rem meam: *Nemo potest dicere* JESUS, *nisi habendo simul Spiritum S. qui ad invocationem Nominis* JESU *advolet, & invocanti infundat bonam voluntatem, & conscientiæ quietem, sive animi pacem, animatam ab amore* DEI, *& redundantem omnium cœlestium charismatum, sive donorum Spiritus S. copiâ & abundantiâ.* Hanc pacem, hanc quie- §. 6. *In Nomine IESV vera Pax.*

quietem, hanc lætitiam secum trahit invocatio & amor Nominis JESU. Unde suadet D. Laur. Justinianus serm. de Circumc. *Si tentaris à diabolo, si ab omnibus hominibus opprimeris, si conficeris ægritudine, si doloribus fatigaris, si desperationis agitaris spiritu, si concuteris formidine, si dubietate pulsaris,* JESU *nomen edito. In arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in solitudine, in fluctibus: ubicunque extiteris,* JESU *profer nomen, non ex ore tantùm, sed etiam ex corde!* Aderit Spiritus Sanctus, qui bonæ voluntatis pacem, cunctas tribulationes sedaturam, tribuet.

§. 7. *Invocatio Nominis IESU, certum attrahit auxilium.*

Cùm David in tribulationum profundum esset demersus, hâc oratione ad DEUM fuit usus, ps. 53. v. 1. DEUS, *in nomine tuo salvum me fac.* D. Ephrem: *Dicamus igitur & nos semper,* DEUS *in nomine tuo salva nos: & mox emittet auxilium suum ab alto.* Pergit: *Hoc nomen Daniel proclamans, in lacu etiam ferarum agrestium fauces effugit. Hujus quoque Propheta meminit Ionas in ventre cæti, & ab omni interitu salvata est vita ejus. Et medio ardentis ignis sanctissimum hoc Nomen tres pueros liberavit.*

§. 8. *In Nomine IESU omnis felicitas.*

Felix annus, Auditores, invocate nomen JESU, in hoc nomine est omnis felicitas. Ideo S. August. *Nunquid vobis sine* JESU *potest esse felicitas?* Hoc est certum; omnia, quæcunque conferunt ad obtinendam æternam felicitatem, præstat nomen JESU! S. Bernardinus: *Est enim nomen IESU signum, repræsentans nobis omnia, quæcunque Deus undique fecit propter salutem hominum.* Quisquis piè & affectuosè invocat nomen JESU, jam tam egregia consequendæ salutis spe fruitur, ut quodammodo jam æternâ gloriâ & felicitate potiatur. Unde S. Ephrem ausus fuit dicere tomo 3. *Nihil mihi desperandum est: novi Raab meretricem in porta civitatis sui peccati misericordiam obtinuisse. Qui enim servavit illam,* JESUS *filius Nave,* JESU *veri figuram præferebat. Sic enim jam tum nomen* JESU *salutem & remissionem tribuit.* Jerechontini cives erant internecioni destinati; Urbs funditùs evertenda; at sola meretrix Rahab salute fuit donata, Jos. 6. v. 17. O felix mulier, apud quem invenisti salutem? unde tibi illa felicitas? à Josue, qui fuit figura Salvatoris JESU! à funiculo coccineo, qui sangui-

sanguinem à Salvatore JESU pro salute omnium fundendum præfigurabat. Ubi JESUS est! ubi ejus sanguis pro nobis clamat, non potest non esse remissio peccatorum, & quod inde sequitur, spes æternæ felicitatis.

Felix annus, Auditores; sed amate & invocate nomen JESU; *Nunquid enim sine* JESU *victoria vobis esse potest?* quærit S. Aug. In hoc triumphali & terribili nomine certa est victoria! & quis illi resistet, cui inseparabilis comes Divinitas est conjuncta. S. Ambrosius l. 3. de Spiritu S. c. 18. *Non agnosco*, (inquit in persona Christi,) *nomen meum, ubi non est sempiterna Divinitas. Non est nomen meum, quod à Patre dividitur, ab Spiritu Sancto separatur.* Si tota Trinitas, si omnipotentia DEI inest huic sanctissimo Nomini, quis illi resistet? Hoc nomen S. Paulo validissima præbuit arma contra hostes Christi. *Vas fuit electionis ad portandum Nomen Domini coram Regibus*; super quæ verba ex c. 9. Actor. S. Bernardus serm. 18. in Cant. dixit: *Hoc denique nomen coram Regibus portare jussus est Paulus, & portabat Nomen tanquam lumen, & illuminabat, & clamabat: Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, & monstrabat omnibus lucernam.* Nomen JESU proferebat, quod lucidissimum nomen expavescunt principes tenebrarum. S. Ambrosius l. 7. in Lucam: *Tantum est Christi nomen*, ut omnibus statim *opituletur ad præsidium.* Et S. Chrysologus ser. 71. *Hoc nomen est, quod Potestates pavent, quod tremendâ suscipiunt servitute: hoc nomen est, quod mundo perdito dat salutem.* Origenes super verba illa Jobi, *Sit nomen Domini benedictum. Nomen Domini* (inquit in persona Jobi,) *propter quod omnia sustineo, atque suffero; propter quod omnibus, quæ mihi obvenerunt, superior existo. Hoc Nomen sit benedictum, quod iram avertit, quod maledictum abstulit, quod Dæmones terruit.* Ecce victoriosum, regium, & triumphale nomen! (Vide Interpretes super cap. 3. v. 12. Apoc. de illis verbis, *Qui vicerit, scribam super eum nomen meum novum.*)

§. 9. *In nomine IESV. Victoria.*

Felix annus, Auditores. Amate, invocate hoc anno nomen JESU. In hoc nomine est omnimoda suavitas. Gillibertus ser. 20.

§. 10. *In nomine IESV omnis suavitas.*

ſer. 20. in Cant. *Verè efficax eſt, & violenta* - hujus nominis pronuntiatio, - *quæ amantium in ſe rapit affectus.* Laur. Juſtin. ſer. de Circumciſione: *Senties indubitanter amœnitatem quandam ſpiritualem, & ſapidam, non ſolùm in corde, ſed etiam ore, quoties Nomen hoc ſanctum à te fuerit cum devotione prolatum. Habet enim virtutem ſibi adhibitam, quæ mentem paſcit, nutrit devotionem, &c.* S. Bernardus ſerm. 15. in Cant. *Nomen IESV paſcit cogitatum. Aridus eſt omnis cibus, ſi non oleum Nominis IESV infunditur. Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur; ſi ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi IESVM.* S. Bernardinus t. 2. ſer. 49. *Si dormitum accedis, ſi inde reſurgis, ſi cibum vel potum ſumere incipis, vel deſinis; ſi ſcribis, vel legis, aut aliquid aliud operaris, Nomen IESV reverentialiter interponas exemplo Pauli, qui hoc ſervabat,* ut ſcilicet cunctæ ejus actiones ſuaviſsimè exercerentur. Juxta illud Act. 17. v. 17. *Diſputabat Paulus in ſynagoga; interponens Nomen Domini IESV, ſuadebatq; Iudæis & Græcis hoc nomen.*

§. 11. Teſtimonii S. Bernardi.

Elegantiſsimè S. Bernardus cit. *Cui in periculis palpitanti & trepidanti, invocatum virtutis Nomen, non ſtatim fiduciam præſtitit, depulit metum? Cui in adverſis diffidenti, jam jamque deficienti, ſi nomen Adjutoris ſonuit, defuit fortitudo? triſtatur aliquis veſtrûm? Veniat in cor IESVS, & inde ſaliat in os; & ecce ad exortum Nominis lumen redit ſerenum.*

§. 12. Gilliberti abb.

Gillibertus ſerm. 5. in Cant. *Quæſtuoſa res nomen eſt Chriſti; nihil pretioſius, nihil optatius: felix, qui Nominis hujus virtutem ſectatur: tractetur, diſputetur ſuper hoc Nomine, &c. Nobis ſatis eſt, ſi noſtris in clauſtris, ſaltem adametur.* Ab hoc amore ſuavitas, quies, ſancta deſideria, felicitas, jucunditas, omnia bona, &c.

EXHOR-

EXHORTATIONES
DE PASSIONE D.N. JESU CHRISTI.

EXHORTATIO I.

Dicebat omnibus, (S. Ignatius) *ut de Christi D Passione nullo non tempore cogitarent; nec ejus aliquando memoriam deponerent, quia uti affirmabat, hæc vera consolatio est.* Ex actis Canonizationis S. Ignatii.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

SUadetur frequens memoria Passionis D. N. Jesu Christi.

§.1. *Quàm serio S. Ignatius omnibus suaserit meditationem Passionis.*
§.2. *Encomium memoriæ.*
§.3. *Differentia inter potentias animæ.*
§.4. *Quos fructus hauserit S. Ignatius ex meditatione Passionis.*
§.5. *Prosecutio.*
§.6. *Et ejus exemplo, alii ejus filii.*
§.7. *Prosecutio.*
§.8. *Quantum Christo D. placeat, cùm sumus memores ejus Passionis.*
§.9. *Conglobatio fructuum ex meditatione Passionis.*

MAteriam præsentis Exhortationis mihi suggerunt acta Canonizationis de S.Ignatio, cùm dicunt: *Dicebat omnibus, ut de Christi D. Passione, nullo non tempore cogitarent, nec ejus aliquando* memo-

§. 1 *Quàm seriò S. Ignatius omnibus suaserit*

meditationē Passionis. *memoriam deponerent, quia, utì affirmabat, hæc vera consolatio est.* Praxim & fructus hujus exercitii, sive devotionis erga Passionem Christi paucis exponam. Non dubito fore vobis volupe, audire aliquid de hac materia.

§. 2. Encomium Memoriæ. Fundamentum hujus exercitii vel devotionis, radicaliter consistit in tribus animæ potentiis, sive facultatibus, in *Memoria, Intellectu, & Voluntate.* *Memoriâ,* quid potest esse præstantiùs? quæ illius est capacitatis, ut immensa rerum congeries, & præteritarum, & præsentium, & futurarum, illam non modò non exæquet, & impleat, vel expleat, sed dilatet etiam, atque ampliùs laxet. Quid admirabiliùs, quàm tot verborum multitudinem & varietatem in illa, veluti quâdam cistâ, vel arcâ, non modò confusè, sed distinctè, posse conservari, indeque quoties libuerit, ordinatè, velut in aciem produci? Quid magis commendandum, quàm velut in thesauro latere in illa collata à DEO in nos beneficia, sive confertim universa, sive singula ordinatim proferre velimus. Unde memoria nostra est veluti primum organum & instrumentum, vel subsidium, quo DEO pro collatis beneficiis nos gratos exhibere possumus. Prout à contrario bene dixit Seneca l.3. de benef. c.1. *Quis tam ingratus est, quàm qui, quod in prima parte animi positum esse debuit, & semper occurrere, ita seposuit & abjecit, ut in ignorantiam, vel oblivionem verteretur,* contra tam clarum præceptum à Moyse prolatum Deuter. 24. v. 9. *Mementote, quid vobis fecerit Dominus Deus vester.*

§. 3. Differentia inter potentias animæ. Antequam in particulari descendam ad memoriam Passionis, observandum est, inter potentias animæ, esse quasi quendam ordinem specierum, quarum una ex alterâ veluti nascitur. Prima species est nuda cogitatio, sive mentis occupatio, circa objectum, quod memoriæ objicitur. Ex hac specie sequitur 2. Consideratio, quæ nihil est aliud, quàm propositæ rei expensio, cujus partes sunt apprehensio, æstimatio singulorum, cautio & circumspectio; quænam in his cavenda, sive assumenda sint. Succedit 3. Meditatio, quâ conquisitis operâ intellectus argumentis affectus in bonum moveantur & inflammentur, quod plerumque fit per varios discursus circa varias rei circumstantias, & media, quorum

usus

usus prodesse potest, ad aliquid fugiendum vel amplectendum. Unde 4. sequitur ipsa operatio, vel actus volitivus, sive exercitium potentiæ tendentis in bonum ab intellectu cognitum, atque à voluntate amatum, omni socordiâ, desidiâque procul facessere ex animo jussis. Puto vos advertere, me paucis verbis vobis proposuisse essentiam illius exercitii, quod S. Pater noster vocat Meditationem, pro qua regulæ quotidie nobis horam integram proscribunt, Societatique universæ tantâ est curâ, ut ab omnibus exactè observetur.

§. 4. *Quos fructus hauserit S. Ignatius ex meditatione Passionis.*

Quo fructu S. Ignatius suas de Passione Christi (de qua hâc exhortatione mihi præcipuè sermo est) peregerit meditationes, ex variis effectis colligere possumus; v. g. Peractâ mane meditatione de quocunque mysterio Passionis, de die (Acta Canoniz.) *tanto erga DEUM amore flagrabat, ut totâ die illum exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quàm DEO per multas perpessiones, Christi passi exemplo, deservire.* Ludovicus Consalvius refert in vita, quòd postquam in meditatione Passionis cœlesti ardore fuisset accensus, ordinariè deinde in Missa, quam audiebat, solitus fuerit legere historiam Passionis, cum lachrymis, & ingenti devotione. Hoc facite RR. Patres, quotidie, *Hac vera consolatio est.* A meditatione & auditione Sacri tali modo peractâ, pendet decursus reliquæ diei.

§. 5. *Prosecutio.*

Ita S. Ignatius mane fuit meditatus de Christi D. Passione, ut per diem palmarem Christi Crucifixi imaginem, assiduè secum pectori suo applicatam, ad patientis Domini memoriam circumgestaret, fuitque illa Crux, quam infelicis hominis pectori, postquam se suspendisset, imposuit, & invocato nomine JESU, eundem vitæ restituit. S. Ignatius ita fuit meditatus passionem, ut si gravis illi inferretur injuria, si sperneretur, si convitiis & maledictis proscinderetur, nihil commoveretur, sed interea species patientis Christi sibi objiceret, gauderetque se ejus opprobriorum factum esse participem. *Hac est vera consolatio,* ita meditari passionem, ut qui, &c. Notissimum est, quo amore prosecutus fuerit suavissimum nomen JESUS; sed cùm illud pro Societatis symbolo elegit, ejus vertici imposuit Crucem, subjectis tribus

clavis, eo consilio, ut intelligerent omnes, nequaquam se in sacro hoc nomine quæsivisse tantùm mellifluam suavitatem, sed & in illo glorioso vexillo, memorem se esse Crucis, clavorum, ac mortis denique, quam Filius Dei pro nobis toleravit. Inter illas rosas, quæsivit etiam spinas. Hæ fuerunt S. Ignatii veræ consolationes.

§. 6. *Et ejus exemplo alii ejus filii.* Valde dubito, an non primogenitus S. Ignatii, B. Petrus Faber, à sanctissimo parente hanc didicerit devotionem memorandi Christi D. passionem. *Inchoaturus Horas Canonicas* (inquit Nic. Orland. l. 3. hist. Soc. n. 37.) *in acerbissimos Christi cruciatus, indignamque necem sua mentis figebat aspectum; & ut psallendo, canendoq; progrediebatur, ita in reputandis acrioribus ejus pœnis atque doloribus procedebat. Cum hac peculiari reflexione, ut proinde v. g. in trihorio Crucis, creverunt dolores Christi D. de hora in horam, in pede sinistro, in pede dextero, &c. ita augmentum sumeret devotio & ardor amoris erga Christum Crucifixum, & desiderium DEUM laudandi, glorificandi, &c. Cum tanto fervore, ut cùm in Horis pervenisset ad Nonam, sentire quodammodo sibi videretur dira illa tormenta & angores, atque angustias mortis, quas Christus D. illâ horâ sustinuit, spiritum in Patris paternos amplexus commendans, atque ita fiebat deinde per diem, ut assiduè recordaretur mortis Christi D. & identidem suspiraret, Memoriâ memor ero* (Thren. 3. v. 20.) *& tabescet in me anima mea.* Vel, ut LXX. legunt, *Confabulabitur mecum anima mea.* Ita meditari! ita recitare Horas! ita recordari passionis & mortis Christi D. *est vera consolatio.*

§. 7. *Prosecutio.* Sed quo fructu Indiarum Apostolus S. Franciscus Xaverius quotidie meditatus fuit passionem Christi? Ita, ut DEI Filio, qui suum caput pro nostrâ salute devovisset, invicem totum se, pro ipsius gloria, & hominum salute ei perpetuum devoveret. Cujus ne unquam irreperet oblivio, Crucem æneam digitalis magnitudinis collo suspensam, placuit circumferre, quâcum, cùm dulcia colloquia sereret, quos animi fervores incendere solitus fuerit, novit ille, quem in effigie venerans, præsentem sibi statuebat, ac cujus vicissim benevolentiâ recreabatur. Simon Rodericius, unus è primis S. Ignatii Lojolæ sociis, dicere fuit solitus: *Si oblitus fuero*

fuero tui, Crux Domini mei, oblivioni detur cor meum. P. Balthasar Alvarez, cujus materia meditationum ordinaria erat Passio Christi D. hoc frequenter in suis Exhortationibus domesticis repetiit: *Non existimemus nos aliquid fecisse, donec eò perveniamus, ut semper Christum ipsum Crucifixum in corde nostro gestemus.* Hæc est vera consolatio!

B. Joannes Columbinus, morti proximus, hoc commendavit circumstantibus: *Maximè vobis semper sit in memoria Vita & Passio* JESU *Christi.* S. Gertrudis lib. 3. c. 41. Insin. cùm quâdam feriâ sextâ, die inclinante ad vesperam, coram Crucifixi imagine genibus incumbens, dixisset ad Dominum, (ô si talia loqueremur in nostris examinibus,) *Eja dulcissime Creator meus & amator, quanta & qualia tu pro salute mea hodie pertulisti; Quòd ego infidelissima, heu! vili pendens sic diem istum, aliis occupata præterivi; cùm ad memoriam non revocavi, quid tu æterna salus, pro me sis passus, & amore, amoris mei sis mortuus!* Et respondet illi Dominus de Cruce: *Quod tu neglexisti, hoc ego pro te supplevi; nam singulis horis ego collegi in cor meum, quod tu debuisti recoluisse in corde tuo.*

Sed audiamus, quantum placeat Christo D. cùm memores sumus ejus passionis, sanctæ cuidam Virgini revelavit: *Opto omnes homines satagere, ut corde affligentur ob Passionis meæ venerationem, veluti mihi compatientes: quod si vel solâ lachrymâ egerint, magnum aliquid se egisse arbitrentur; nulla enim mortalium lingua explicuit, quantum jucunditatis mihi illa lachryma apportet.* Et B. Virgo ad S. Brigittam l. 1. Revel. c. 7. *Monile est consideratio Passionis Filii mei, hoc sit jugiter fixum in pectore tuo, quomodo derisus & flagellatus, quomodo vivus stabat in Cruce; quomodo in morte totum corpus intremuit; quomodo in manus Patris spiritum commendavit.* Et de se ipsâ illi dixit l. 2. Revel. c. 21. *In sepulchro Filii mei semper cogitatio mea, & cor meum versabatur.* Exemplo dolorosæ Matris, S. Brigitta se totam dedit meditationi passionis, ejusque filia Catharina, instinctu Matris eò pervenit, ut quotidie ante somnum per quatuor horas continuò genibus nixa, peccatoris tunsionibus, & lachrymis multis, ob recordationem amarissimæ passionis

§. 8. *Quantum Christo D. placeat, cùm memores sumus Passionis.*

sionis Christi, omni vespere, in holocaustum se totam DEO offerret.

§. 9. *Complobatio fructuum ex meditatione Passionis.* Ita adhærere Cruci Christi, est utilissimum. Juxta Crucem S. Joannes in matrem accepit Mariam; latro in cruce pœnitens, Paradisum; Judæi multi videntes signa, reversi sunt percutientes pectora sua. Centurio magnâ voce exclamavit: *Verè Filius* DEI *erat iste.* Ipsi crucifixores & lictores juxta crucem tam fuerunt felices, ut Christus D. pro illis dixerit: *Pater ignosce illis.* Si similes quærimus gratias, quis non quærat, adhæreamus cruci, hæc est vera consolatio. Quod expertus fuit mellifluus S. Bern. ser. 43. in Cant. *Hæc meditari, (*NNN.*) dixi sapientiam; in his justitiæ perfectionem mihi constitui; in his plenitudinem scientiæ; in his divitias salutis; in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, & inter læta, tristiaque vitæ præsentis, viâ regiâ incedenti, tutum præbent utrobique ducatum.* Ideoq; vir sanctus ita scripsit ad sororem suam: *Sit tibi IESVS in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat; hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum, & desiderium tuum, lectio tua, & meditatio tua; vita, mors, & resurrectio tua. Quid præstantiùs!* Et Laur. Justin. l. de casto connub. c. 8. *Præ omnibus Incarnati Verbi passio in exemplum proponenda est; hæc siquidem roborat debiles, fovet pusillanimes, excitat pigros, nutrit parvulos, currentes provocat, accendit perfectos. Quoties adversa premunt, tentamenta gravant, vires animi in Crucifixi speculo reparantur. Habemus in isto exemplum, habemus & adjutorium ab eodem. In ipso instruimur, & ab ipso promovemur.* Denique S. Bonav. *Si vis homo de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie, quantâ potes devotione, mediteris Domini Passionem:* addit causam, *Passio meditatorem alienat, & non solum reddit angelicum, sed divinum.* Quanta consolatio! S. Gertrudis, l. 4. c. 41. *Semper benigniùs respicitur à Domino, qui Passionis memoriam non omittit celebrare.* L. 4. c. 25. Christus D. dixit Gertrudi: *Si credis me in Cruce DEO Patri oblatum, crede etiam indubitanter, quod adhuc quotidie desidero, eodem amore, pro quolibet peccatore*

DEO

DEO *Patri offerri; unde quicumque, quantumlibet gravi pondere peccatorum se senserit oppressum, respirare poterit in spem veniæ, offerendo DEO Patri meam innocentissimam Passionem & mortem; & credat se per hoc saluberrimum fructum indulgentiæ obtinere.*

EXHORTATIO II.

DE HABITATIONE ANIMÆ PIÆ IN VULNERIBUS SALVATORIS.

Surge amica mea, speciosa mea, & veni; Columba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, Cant. 2. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRroponit illam titulus Exhortationis.

§. 1. *Aureum monitum, ut anima pia habitet in vulneribus Salvatoris.*

§. 2. *Affectuosa testimonia SS. Patrum.*

§. 3. *Præsertim S. Bonaventuræ, & S. Augustini.*

§. 4. *Quid sit hoc? Habitare in vulneribus Christi. Responsio I.*

§. 5. *Responsio altera, & tertia.*

§. 6. *Quænam sint commoda habitationis in vulneribus Salvatoris.*

§. 7. *Et quoad corpus, & quoad animam.*

§. 8. *Quod experientiâ didicerunt, S. Elzearius, S. Gertrudis, S. Melchtildis, B. Lydvvina.*

§. 9. *Quando potissimùm confugere debeamus ad illa vulnera.*

§. 10. *Devotiò pulchra B. Gertrudis.*

§. 11. *Tres affectuosæ SS. Vulnerum salutationes.* Prima.

§. 12. *Altera.*

§. 13. *Tertia.*

FRequens est apud Scriptores Asceticos, & passim obvium monitum, animæ Christum amanti, & ad spiritualis vitæ perfectio- *§. 1. Aureum monitum, ut anima*

pia habitet in Vulneribus Salvatoris. fectionem anhelanti; præsertim tempore Quadragesimæ, enitendum esse studiosè, ut in sacris Crucifixi Vulneribus assiduè habitet; & relictis omnibus sæcularibus curis, in sacris illis foraminibus, adeoque in ipso Christi pectore, ut in Templo atque palatio quodam, securè habitet, atque conquiescat. Propositionem hanc, sive aureum hoc monitum, hâc exhortatione paulò fusiùs, breviter tamen exponam.

§. 2. Affectuosa testimonia SS. Patrum. Piissimus Ludovicus Blosius, tener & ardens amator Dominicæ Passionis, in Institutione sua spirituali, hominem perfectionis amantem, & aspirantem ad sanctitatem, frequenter monet, *Vt in Cruce, seu crucifixâ Christi imagine;* (hoc est, in illis sanctissimis Vulneribus, quæ clavi & lancea fecerunt, in pedibus, manibus & latere Salvatoris affixi ad Crucem,) *nidulum sibi collocet, & in mellifluis Vulneribus ejusdem benignissimi IESV commoretur & requiescat.* Æquè affectuosè ait Joannes Rusbrochius apud eundem: *Contemplare quæso, cum affectu Vulnera, quæ Dominus* JESUS *pro te ex amore suscepit; atque hic pasceris & reficieris. In patulo latere ejus, unde omnes gratiarum promanant rivi, commorare: ut in amantissimo corde illius vivas, in quo est Sancti Spiritus, & æternæ charitatis plenitudo.* Thomas à Kempis: *Requiesce in Passione Christi, & in sacris ejus Vulneribus libenter habita.* Sic passim alii.

§. 3. Præsertim S. Bonaventura, & S. August. S. Bonaventura, postquam contemplatus fuisset admirandam metamorphosin, & transfigurationem, non quâ in monte Thabor, Matth. 17. v. 2. 3. apparuit gloriosus Rex gloriæ, sed quâ in monte Calvariæ, Matth. 27. deformatus fuit in virum dolorum; amore ardens atque liquescens, nec volens à Christo Crucifixo, vel ad punctum temporis separari, exclamavit: *Bonum est cum Christo esse, & ego in ipso volo tria tabernacula facere; unum in manibus, unum in pedibus; & aliud continuum in latere, ubi volo quiescere, dormire, vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, & omnia mea negotia pertractare. Ibi loquar ad cor ejus; & ab ipso, quod voluero, impetrabo.* Subdit alibi: *Vbique & semper habitabo in illis, ut sim quasi in castro, securus ab omni impulsu maligno.* Imitatus fortè S. Augustinum, cujus ista leguntur in Manuali, c. 21. *Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus in Vulneribus Salvatoris. Securus illic*

illic habito. Et cap. 13. *Longinus aperuit mihi lanceâ latus Christi, & ego intravi, & ibi requiesco securus.* Ex quibus omnibus satis patet, hanc phrasim, *Habitare in vulneribus Salvatoris*, esse phrasim communem, & frequenter usitatam.

Sed quæritur, quidnam illud sit, quod appellamus *Habitare in vulneribus Christi?* Respondeo 1. Ille in illis habitat, qui de illis assiduè recogitat; illaque mentis oculis, veluti coram astitisset in monte Calvariæ, intuetur & contemplatur; nam veluti si quis amici vel dilecti vultum semper observat, etiam Tullianâ phrasi, in alterius oculis dicitur habitare; aut quemadmodum verbo S. Scripturæ, is habitat in adjutorio Altissimi, cujus oculi conversi, & intenti sunt ad Dominum; sic illum dicimus habitare in plagis Christi, qui nunquam cogitationem ab illis avertit, sed mente, animo, oculisque semper in illis versatur. Ob quam causam S. Bernardus ser. 62. in Cant. de Sponsa ait, *quòd fuerit columba in foraminibus petræ*; quòd in Christi vulneribus totâ devotione fuerit versata, & jugi meditatione in illis morata. *§. 4. Quid sit hoc, Habitare in vulneribus Christi. Responsio 1.*

Respondeo 2. Si ad pias cogitationes de vulneribus Christi, ardens quidam accedat amor, qui nihil desiderat, nihil exquirit, nisi amare Christum crucifixum; Respondeo 3. Si præter hunc amorem exardescat desiderium, ut Crucifixi legibus, Crucifixi moribus vivat, Crucifixi veste induatur, Crucifixi linguâ loquatur; verbo, ut Christo crucifixo in omnibus assimiletur; talis habitat in vulneribus Salvatoris; quod expertus fuit S. Bonaventura; nam cùm aliquando vi eximiæ contemplationis, in amantissima vulnera Domini Jesu Christi, ut ipse ait, subintrasset, & oculis jam oppletis sanguine, veluti palpando ad intima viscera divinæ charitatis ejus pervenisset, neque exitum reperire posset, itaque dixit: *Hic habito, quibus vescitur cibis, vescor, ac ibi inebrior suo potu.* *§. 5. Responsio altera, & tertia.*

Verùm, quæ sunt commoda hujus habitationis? Ah, quid quæritis? quis respondebit? O quanta felicitas manere in Christo! Quanta securitas in illis foraminibus petræ; in illa sublimi & munitissima arce pectoris Christi! Quanta pax & quies in illo secreto tabernaculo, atrio cœli, vestibulo beatitatis! Quantæ deliciæ, in *§. 6. Quænam sint commoda illius habitationis in vulneribus Christi.*

 corde

corde Crucifixi! Quantæ divitiæ in illo gazophylacio Divinitatis? Ibi nimirum est securitas à malis, vacuitas à curis, quies à laboribus, silentium cupiditatum, soporatio sensuum, ebrietas animæ, transformatio spiritus, oblivio mundi, amissio sui, sapor, gustus, amplexus, & intima possessio dilecti.

§. 7. *Et quoad corpus, & quoad animam.* In quibus hoc bene advertit S. Bonaventura p. 1. stim. c. 1. *Crede mihi, ô homo, quia si in ipsum, scilicet Christum, per hæc angusta foramina intrare volueris, non solùm anima, sed etiam quietem ac dulcedinem mirabilem inveniet corpus tuum.* Clariùs: *Et quod carnale est, & ad carnalia tendit, ex illo vulnerum introitu, fiet adeo spirituale, ut cæteras, præter eas, quas ibi reperit delicias, reputet esse nihil.* Vnde post pauca ita concludit: *Et si ita accidit de corpore, quantâ credis animam frui dulcedine, quæ per illa foramina conjungitur cordi Christi? Certè exprimere tibi nequeo; sed experire & scies.*

§. 8. *Quod experientia didicerunt S. Elzearius, S. Gert. S. Melch. B. Lydvvina.* Expertus fuit sanctus Comes Elzearius; cujus absentis desiderium cùm jam non ferret Delphina conjux, quæsivissetq; proinde per literas, ubi hæreret; respondit Comes: *Sanus corpore sum, & sospes; quòd si verò videre me cupis, quære me in vulnere lateris Christi, ibi enim habito, ibi quiesco,* &c. *Frustrà me alibi quæsitura.* Expertæ fuerunt dilectissimæ Christi sponsæ, S. Gertrudis, & S. Melchtildis, quæ à vulneribus Christi, ob admirabiles delicias, quas hauriebant, divelli non poterant. Potissimùm autem in corde JESU, quasi in thalamo totâ die commorantes, ibi tectum, ibi mensam, ibi lectulum, ibi quietem à curis, securitatem à tentationibus, ibi dolorum solatium, laborum levamentum, bonorum operum, sanctorumque desideriorum officinam, ibi cœlum, ibi DEUM, ibi omnia invenerunt. Inde illos divinos sensus, ardoresque Seraphicos, inde tanta conceperunt gaudia, & suspiria, quarum scintillas tantùm legimus in illarum libris. Experimini quæso & vos? S. Gertrudi pro quâdam sorore impensiùs oranti, dixit Christus D. *Vt in omni conversatione sua, nidificaret in caverna maceriæ sanctissimi lateris Domini* JESU; *& in summo ore foraminis repausando, sugeret mel de petra, id est, dulcedinem intentionis, de corde* JESU *deificato.* Hoc fecit, & experientiâ didicit, in hoc

corde:

corde latere omnes delicias. Experta quoque fuit B. Lydvvina, de qua ita scribit Auctor Vitæ: *Nimirum sic in illa crevit amor* JESU *Crucifixi, & meditatio acerbissimæ Passionis ejus, ut nihil ei esset majori solatio, quàm in illis foraminibus & plagis nidificare.*

Observandæ verò sunt circumstantiæ temporis, in quibus potissimùm confugere debemus ad vulnera Crucifixi. Contingit v. g. quæ est humana infirmitas, ut in via spiritus ambulanti, torpor obrepat, obnubiletur mens, nauseet anima, arescat spiritus, remittat ardor (potest hîc fieri elegans descriptio vitæ, quam Ascetæ vocant *tepidam*, vel *frigidam*,) languescat devotio. Hîc faciendum nobis est, quod olim Numerorum 20. v. 8. Deus præcepit Moysi: *Loquere ad petram*, hoc est, ita exponente Apostolo, ad Christum crucifixum, *& illa dabit aquas.* Complectere inquam Christum crucifixum, piè appella sacra ejus Vulnera, ingredere has cavernas doloris, & amoris; sollicita oculis, osculis, palpa manibus inexhaustos illos omnis boni & gratiæ fontes; & confestim egredientur aquæ largissimæ, aquæ devotionis, compunctionis, consolationis, fluenta lachrymarum sanctarum, quibus ut quodam rore cœli, irrigabitur mens, revirescet charitas, reflorescet devotio. §. 9. *Quando præsertim confugere debeamus ad vulnera Salvatoris.*

Hoc pietatis exercitium nos docuit B. Gertrudis, quæ si quando, ut fieri assolet, quodam afficeretur tædio, repentè consurgens, evolabat ad locum orationis, & projecta ad pedes Crucifixi, dicebat: *Ecce Domine mi! tædet me omnium creaturarum, & tui solius libet mihi frui consortio, & alloquio. Omni creaturæ valedicens, convertor ad te unicum & totum bonum, ac gaudium cordis & animæ meæ.* Sicque in Crucifixi amplexus blandè effusa, dissuaviabatur quinque ejus vulnera, adjectâ ad singulas osculationes hâc amicabili salutatione: *Ave* Jesu! *Sponse floride, cum delectamento Divinitatis tuæ, ex affectu totius universitatis salutans, amplector te, & sic in vulnere amoris, deosculor te.* Quâ piâ §. 10. *Devotio particularis S. Gertrudis*

 & sa-

& familiari erga dilectum suum Crucifixum exercitatione, illud consequebatur, ut in dulci complexu, omne tædium suum, tanquam per vulnera Domini evaporatum, & exsudatum, ex animo amitteret, & pro amaritudine cordis liquidissimam spiritus suavitatem reportaret. Tum fervebat spiritu, tum ardebat charitate, &c. (sic describatur vita fervida alicujus Religiosi, præsertim in oratione, & mortificatione.)

§. 11. Tres affectuosæ salutationes ad vulnera Salv. Prima.

Tres piissimas salutationes Ludovici Blosii cuperem vobis esse familiares. Prima est: *Saluto, devotione quâ possum, quinque præcipua vulnera tua, ô amantissime* JESU! *salvete! salvete! roseæ, fulgentes, & melliflua, plagæ Redemptoris mei, Regis mei. Salvete præclara sigilla reconciliationis, & salutis meæ. Peto, ut in vobis commorer, ac delitescam, atque ita ab omni malo securus sim.*

§. 12. Altera.

Altera est. *Amplector brachiis animæ meæ venerandam Crucem tuam, & eam pro tui honore, atque amore osculor. Saluto rosea & suaviflua vulnera tua, quæ suscepisti pro me, & in quibus descripsisti me. Salvete, salvete, salvete, vernantes & salutiferæ plagæ Domini mei, ac amatoris mei.*

§. 13. Tertia.

Tertia. *Ecce prædilecte, ecce vulnera tua rosea, & suaviflua, ego saluto, & veneror illa. Salve benignissimum cor amatoris mei, pro me vulneratum. Salve totius boni, totiusque beatitudinis amœnissimum gazophylacium. Christe* JESU, *gratias tibi ago pro his colendis vulneribus tuis. Eja, immerge me in illa, absconde me in eis; inscribe, & imprime illa cordi meo intimè, ut tui amore totus ardeam, ac medullitùs tibi compatiar.* Sed de similibus affectibus, & dulcissimo corde Christi, proximè plura vobis proponam. Hâc Exhortatione audivistis, quid sit, *Habitare in vulneribus Salvatoris.*

EXHOR-

EXHORTATIO III.

EST CONTINUATIO EXHORTATIONIS prioris, de habitatione animæ piæ in vulneribus Salvatoris.

Surge amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea, in foraminibus petræ, & caverna maceriæ, Cant. 2. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit admirabiles delitias, quas anima devota reperit in corde JESU crucifixi.

FElices sunt illæ animæ, quæ à rebus abductæ mortalibus, divinum illud cor devotâ contemplatione subintrant, in eoque non modò diversari, atque morari, sed etiam assiduè habitare, ac velut in centro votorum omnium conquiescere student. In ultima Exhortatione locutus fui de SS. Christi D. Vulneribus in communi; modò in particulari ostendam, quales delitias animæ sanctæ repererint in benedicto corde Jesu cruci- §. 1. *Propositio.*

crucifixi. Advertitis esse materiam, quæ congruit Quadragesimali tempori; proinde attendite.

§. 2. Cor IESV crucifixi est paradisus.

Primum locum sibi vendicat S. Gertrudis, quæ in divinis suis insinuationibus, de materia hac talia profert testimonia, ut primùm legenti videantur intelligenda de ipsa cœlesti gloria, & æterna beatitudine, quæ tamen protulit de suavissima habitatione animæ sanctæ in pectore Christi. Nimirum animæ DEUM amanti, & adhuc in hoc exilio peregrinanti, Crucifixi cor pro paradiso est, teste Blosio: *Qui os animæ suæ, patulo lateri ejus convenienter admovere, ibique commorari, & ad intima cordis illius pertingere novit; is utique vinum æternæ vitæ degustat, & perspectum habet, quàm amœnus Paradisus, sit* JESUS. Unde citata S. Gertrudis in melliflua hæc verba linguam suam effudit.

§. 3. Deliciæ cordis IESV crucifixi variè à S. Gertrude explicantur.

Cor JESU crucifixi! -- *O æternale solstitium, mansio secura, locus totum continens quod delectat, paradisus perennium delitiarum, præterfluens rivulus inæstimabilium voluptatum, alliciens florigerâ vernantia omnigenarum amœnitatum, demulcens suavi sono, imò suaviter afficiente melodiâ intellectualium Musicorum, reficiens odorifera spiramine vitalium aromatum, inebrians reficiente dulcedine internorum saporum; immutans mirâ blanditate secretorum amplexuum.* (Videtur S.P.N. Ignatius ex hoc loco hausisse exercitium applicationis sensuum, quod pulchrè hîc poterit describi,) *ô ter felix, quaterque beatus, & (si dici potest,) centupliciter sanctus, qui gratiâ ductrice permotus, innocens manibus, & mundo corde, purisque labiis, illuc meruit appropinquare, ubi Dilecto suo intimè vult uniri, & incorporari. O quid vidit? quid audit? quid olfacit? quid gustat? quid sentit?* O qualia genera delitiarum! Quid S. Gertrudis dicere posset aliud, si rapta usque in tertium cœlum, & apertâ DEI visione dignata, ad nos redivisset in terras. O anima! ingredere & tu, quoad licet, in amœnum paradisum pectoris Christi; in ardentem pulchri amoris officinam, in apothecam cœlestium gratiarum. Ingredere cum amore, & fiducia; hæ siquidem sunt veluti claves istius cellæ vinariæ, in qua cœli mustum ebullit, exundat: quo semel libato, atque degustato, desipient profectò cætera, comperiesque nihil esse uspiam dulcius, quàm in corde

Cruci-

Crucifixi assiduè commorari, ejusdem inebriari sanguine, pasci vulneribus; ejus denique opprobria, summam gloriam, dolores, summas delitias computare.

Alter testis est, Seraphicus Doctor S. Bonaventura, qui cùm aliquando, (uti suprà memoratum est,) arcana quadam ratione, amantissima Christi Vulnera subintrasset; demumque ad intima viscera charitatis ejus pervenisset, tanta illic affectus & completus est dulcedine, quantam se se neget posse dicendo exprimere; quapropter ingemiscens exclamat: *O cæcitas filiorum Adæ! qui per hæc vulnera, nesciunt in Christum introire! supra vires suas laborant in vanum, & aperta sunt ostia ad quietem. An ignoratis, quòd Christus est gaudium Beatorum? cur ergo tardatis, per sui corporis foramina in gaudium illud introire?* tum accedit ad cor Christi, & ait: *Ecce, aperta est janua Paradisi, & per lanceam militis, gladius versatilis est amotus. Ecce apertus est thesaurus divinæ sapientiæ, & charitatis æternæ. Intra ergo per vulnerum aperturam, & cum cognitione magnas delitias obtinebis.* Parte 2. stim. c. 8. divino amore colliquescens, & tantis absorptus delitiis, quas in corde Christi degustaverat, ait: *O felix amor! qui nos facis languidos sponsi nostri amplexibus sustentari! O desiderabilis amor! qui summis deliciis reples egentes! sed si liquefacta es ad verbum ejus, ô anima, quomodo sustines amplexus ejus? quomodo non es consumpta ad oscula ejus? si liquefacta es ad affatum ejus, quomodo non es absorpta, cùm intres per vulnera, & pervenis ad cor ejus.* §. 4. Prosecutio ex Seraphico Doctore S. Bonaventura.

Ludovicus Blosius, postquam omnes invitat, ut Christo D. dilecto nostro, liberali corde totum demus, quod sumus, quod habemus, & quòd possumus; promittit vicissim Christum D. fore erga nos liberalem. *Nam patefaciet*, inquit, *tibi gloriosum atque amantissimum latus suum; patefaciet intima animæ suæ penetralia, plena gloriæ, gratiæ, gaudii ac felicitatis. Patulum lateris ejus vulnus, porta tibi erit & introitus in vitalem (qui ipse est,) paradisum, ubi fructum gustabis vitæ æternæ. Nam Christus vitalis noster paradisus est; quandoquidem in ipso, & ex ipso sempiternæ salutis fons emanat; atque ex ipsius vulneribus balsamum fluit, morborum omnium medicina.* Et paulò pòst: *Cæterùm in intimis Domini* Jesu, §. 5. Prosecutio ex Lud. Blosio.

mellis manant flumina, omni (qui quidem excogitari possit) sapore ac suavitate dulciora: in qua si tibi datum erit, ingredi, eaque gustare ac sentire, nullo negotio mundum, te ipsum, & omnia vinces.

§. 6. Ex S. Bernardo. Sed quis savior in hac materia, quis facundior S. Bernardo? in l. de pass. cordis Christi memoriâ innectâ, talia profert ore mellifluo: *Sed quia semel venimus ad cor dulcissimum* Jesu, *& bonum est hîc esse, non sinamus nos facilè avelli ab eo, de quo scriptum est: Recedentes à te in terra scribentur. Accedamus ergo ad te, & exultabimus & lætabimur in te, memores cordis tui. O quàm bonum est, & quàm jucundum, habitare in corde hoc.* Et mox: *Ad hoc templum, ad hæc sancta sanctorum, ad hanc arcam testamenti, adorabo, & laudabo nomen Domini. O omnium pulcherrime & speciosissime* Jesu; *ampliùs lava me ab iniquitate mea, ut purificatus per te, ad te purissimum possim accedere, & in corde tuo, omnibus diebus vitæ meæ merear habitare. Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut omnibus patescat introitus. Ad hoc vulneratum est cor tuum, ut in illo & in te, ab exterioribus perturbationibus absoluti, habitare possimus. Nihilominus, & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus.*

§. 7. Ex Guilhelmo Abbate. Æquè melliflué ait Guilhelmus Abbas, Christum D. sic alloquens: *Quò autem Domine trahis eos, quos amplecteris, nisi ad cor tuum? Cor tuum dulce est illud manna Divinitatis tuæ, quod intus habes,* ô Jesu! *in urna aurea animæ tuæ. Beatos! quos ad eam tuus trahit amplexus! Beati, quos in abscondito illius absconditi, abscondisti! in medio cordis tui! ut scapulis tuis obumbrentur à conturbatione hominum: nec habeant spem, nisi sub pennis tuis protegentibus, & foventibus, Scapulis enim virtutis tuæ obumbrantur, qui in abscondito cordis tui absconduntur, suaviter dormientes, & dulci exspectatione lætantes.* Ideo, ô mi Jesu! *Si te ostium invenio apertum, ingredior. Et bene mihi est, quàm diu licet. O si videbo! ô si durabo! ô si unquam aliquando audiero: Intra in gaudium Domini tui: ut sic introeam, & ultra non exeam.*

§. 8. Testimoniū S. Petri de Alcantara. O beatum S. Petrum de Alcantara, ex Ordine S. Francisci! qui his gaudiis in corde Crucifixi adeo delibutus fuit, ut post medi-

meditationem de lanceâ, quæ aperuit latus Christi, dixerit: *Exivit sanguis & aqua ad mundi peccata sananda. O fluvius egrediens de paradiso, ad irrigandam universam superficiem terræ. O pretiosi lateris vulnus, quod amoris potiùs cauterio, quàm inimica lanceæ ferro apertum est. O porta cœli! fenestra paradisi! locus quietis, turris fortitudinis, justorum sanctuarium, nidus turturum sanctarum, sepultura peregrinorum, lectulus floridus sponsæ Salomonis. Salve divini lateris vulnus amabile, quo piorum corda sauciantur; Rosa miræ pulchritudinis, carbunculus valoris inæstimabilis, aditus ad cor* JESU, *argumentum amoris ejus, & pignus vitæ sempiternæ.* Mihi non occurrit, neque alibi reperio, quod ad pios motus accommodatiùs dici possit.

Utinam nobis accidat id, quod de philomela referunt Physici; ubi enim advertit, mortem sibi imminere, primo diluculo arboris ramo insidens, suavissimè cantillando orientem salutat auroram; tum verò, prout lux & calor Solis magis ac magis intenditur, ipsa quoque magis magisque vocem contendit, adeoque cantando inardescit, ut tandem sensim deficiat, & disruptis corpusculi venis, sub diei exitum exanimis denique concidat, suavissimè moriens. §. 9. *Suavis & fervens mors philomela.*

Philomelæ tales sunt pii illi JESU crucifixi amatores, qui DEUM benedicere, laudare; qui anhelare, suspirare, amare, &c. non desinunt, donec præ sancti amoris vehementia, & Spiritus fervore, disrupto corde, ad pedes Christi crucifixi, felicem spiritum exhalant: Talis philomela fuit ille moribundus, cujus suprema cantilena fuit: O si liceat! *In caverna lateris nidum ponere, & extremum spiritum illic exhalare.* Talis philomela fuit S. Bernardus, dum piè & suaviter cecinit: *Horâ mortis meus spiritus exspiret* JESU *dulce latus.* Talis philomela fuit Seraphicus S. Franciscus, cùm cecinit: *Absorbeat quæso, Domine* JESU, *mentem meam, ignita & melliflua vis amoris tui, ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris nostri dignatus es mori.* Talis philomela fuit ille peregrinus, qui Jerosolymam veniens, in monte Calvariæ dixit: *Hunc locum passionis & mortis tuæ æquo animo videre non possum; ubi clavis crucifigi, terebrari lan-* §. 10. *Tales philomela in arbore Crucis fuerunt S. Bernardus, &c.*

ceâ, & animam pro nobis tradere voluisti. Hæc, ut beatus ille peroravit, exclamans, ruptis vitalibus cordis venis, spiritum exhalavit. O mysticam philomelam! ad pedem Crucis, vel in corde JESU deficientem & emorientem.

§. II. *Ludovicus Blosius, & alii.* Dulcissima philomela fuit Lud. Blosius, cùm suspiravit: *Voluisti* mi JESU-, *mellifluum cor tuum vulnerari propter me; utinam cor meum lanceâ amoris tui profundissimè saucies, illudque sacratissimo cordi tuo unias, ita ut aliud non possim velle, quàm quod tu vis.* Bono animo esto fili mi! (S. Bonav. p. 1. c. 1.) *præ nimio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat cor suum.* Ibique advertit, *quòd apertio lateris cor cordi conjungat.* Cor inquam, Crucifixum amantis, cum corde Crucifixi. Et addit: *Si bene Passionem fueris meditatus, & multùm intraveris in latus ejus, citò perveneris ad cor ejus. O felix cor, quod sic cordi Christi colligatur.* Majorem felicitatem, pro tota æternitate ego mihi non opto. Meæ opinionis iterum fuit Lud. Blosius, cùm dixit: *Voluisti-mi* JESU, *-mellifluum cor tuum vulnerari, propter me. Utinam cor meum lanceâ amoris tui, profundissimè saucies, illudque sacratissimo Cordi tuo unias, ita ut aliud non possim velle, quàm quod tu vis.* O utinam! utinam! inter hos affectus liceat nobis mori, & spiritum exhalare, in dulcissimum cor JESU crucifixi!

EXHORTATIO IV.

EST CONTINUATIO DUARUM EXHORTATIONUM de Vulneribus JESU crucifixi.

Surge amica mea, &c. Columba mea in foraminibus petræ, &c. Cant. 2. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AGit de unione cordis humani, cum corde JESU crucifixi. §. I.

QUæ in fine prioris exhortationis dixi de unione humani cordis, cum corde Jesu crucifixi, non ita intelligenda ſunt, ut illæ cordium conſociationes, commutationes, ſubſtitutiones, & ſimilia, fiant phyſicâ quâdam ratione; ſed per viſum duntaxat, aut ſpeciem quandam imaginariam, quo modo etiam Prophetis multa fuerunt repræſentata. Ita B. Catharina Genuenſis viſa ſibi fuit aliquando admoveri ad pectus Domini Jesu, in eoque conſpicere Crucifixi cor, totum ignitum atque accenſum; unde ipſius mens eâ dulcedine divini amoris liquefacta fuit, & velut in ipſum dilectum ſuum reſoluta, ut diceret: Jam animâ meâ, & corde deſtituta ſum, quia anima mea, & cor meum, eſt ipſa anima & cor dulcis amoris mei Chriſti Jesu, in quem mihi immerſa videor, & transformata. Quæ omnia, ut dixi, intelligenda ſunt, propter tenerrimã voluntatis ſuæ, cum dilecti ſui voluntate conſenſionem, ſic ut per omnia idem ipſa vellet, idemq; nollet, quod dilectus. Atque ita idem cor, eandemque cum illo animam haberet. Ita cùm Catharina Riccia gloriaretur, accepiſſe ſe cor B. Virginis, addit auctor vitæ: Quod nos intelligimus per ſimilitudinem, ſive, quòd accepiſſet cor ſimile cordi

§. 1. Quomodo ſint intelligenda, quæ dicuntur de mutatione, conjunctione, &c. inter cor amantis, & IESV crucifixi.

cordi B. Virginis, per imitationem. Pari ratione ego discurro de unione cordis humani cum corde Crucifixi.

§. 2. *Explicatur eadem unio ex Landtspergio.*

Talem unionem desideravit Joan. Landtspergius in pharetra d.am.l.1.p.5. *Mi* Jesu, *fac ut uniatur cor meum suavissimo cordi tuo; voluntas mea, voluntati tuæ; ut nunquam alia velim; nunquam aliter velle possim, quàm tu vis, & tibi placet. Attrahe cor meum, per pretiosissimum vulnus lateris tui, ad amantissimum cordis tui arcanum, ut cor meum cum sanctissimo Corde tuo, indissolubili dilectionis vinculo uniatur, atque in te ita absorbeatur, quatenus tu in me, & ego in te habitem.*

§. 3. *Cor Crucifixi est thalamus amantium.*

Hic amor! hæc unio! hæc voluntatum consensio! hæc dilectio & charitas! hæc desideria, & suspiria, sunt fontes illarum delitiarum, quas animæ sanctæ reperiunt in vulneribus Salvatoris, & præsertim in suavissimo Christi crucifixi corde. Ideo Landspergius, cùm sibi gratularetur, se in vulnere dexteri pedis Crucifixi reperisse salutare balneum; in vulnere pedis sinistri, apothecam salutarium pharmacorum; in plagâ manus dexteræ sanctarum virtutum & meritorum Christi vestiarium; in plaga manus sinistræ tutum propugnaculum adversus omnes hostes; subdit demum, in divinissimo corde reperisse se floridum thalamum omnium delitiarum; in quo castissimo amore, cœlesti Sponso inter admirabiles delitias conjungimur & copulamur. Hic thalamus placuit Sponsæ, cùm Sponso dixit: *Lectulus noster floridus est.*

§. 4. *Piissimæ salutationes, petitiones, obtestationes, desideria, suspiria, &c. ad Vulnera IESV, præsertim dulcissimũ ejus cor.*

Ejusdem opinionis fuit piissimus Abbas Lectiensis, dicere solitus: Humiliter, & quâ possum devotione, osculor roseum vulnus dexteri pedis Jesu; atque hîc peto plenam veniam peccatorum meorum, ut Domino placeam. Ecce salutare balneum! Osculor (humiliter, & devotione quâ possum) roseum vulnus sinistri pedis Jesu, atque hîc peto veram perfectamq; innocentiam, ut Domino placeam. Osculor floridum vulnus dexteræ manûs Jesu, atque hîc peto ornatum sanctarum virtutum, ut Domino placeam. Ecce vestiarium! Osculor floridum vulnus sinistræ manus Jesu, (humiliter, ut supra) atque hîc peto necessarias vires ad debellandum meos hostes. Ecce turrim! ecce armamenta-

mentarium. Osculor amorosum vulnus sacri Lateris JESU; O splendida Paradisi porta! O conclave miræ fragrantiæ! O fons totius suavitatis! Saluto, veneror, & rursum osculor hoc vulnus mellifluum, atque hic peto inextinguibilem divinæ charitatis ardorem, ut Domino placeam; & inter delicias conquiescam in dulcissimo thalamo suavissimi cordis JESU crucifixi. Tum eudologiam hanc ita concludit: Utinam dulcis JESUS vulnera sua cordi meo inscribat! Utinam per illa me totum purificet, sicque amore prorsus accendat & inebriet. Utinam mihi concedat, ut in iisdem beatis Vulneribus, (præsertim dulcissimo ejus corde) sanctè commorer, & ab insidiis inimici semper securus sim. Sancto huic desiderio addit piissimas oblectationes, & ardentes preces: Tu, Domine, in ipsis beatis Vulneribus me include, & præsta, ut ex eis verum tui amorem, æternamque salutem hauriam; scribe illa in corde meo pretiosissimo sanguine tuo, ut in eis legam tuum dolorem pariter & amorem. Eorum memoria semper in conclavi pectoris mei permaneat, ut in me erga te, & dolor compassionis excitetur, & ardor dilectionis accendatur. Sit mihi omni tempore, ac præcipuè in hora mortis meæ, certum in illis refugium, & protectio secura. - Addo, & locus quietis, & floridus lectulus, & thalamus dulcissimæ quietis.

Si dulcissimum cor JESU sit amœnus hortus deliciarum, bene suasit S. Bernardus l. de pass. c. 44. *Convenit, ut apes simus, quæ sciant sugere mel de petra. Idem enim hortus, & petra est Christus. Si ergo flores quærendi sunt, ubi promptiores invenientur, quàm in dulcissimo Christo? Manifesti sunt flores vulnerum & virtutum ejus. Stat ecce expansis manibus, nudo corpore, manibus simul & pedibus perforatis, capite inclinato. Consurge nunc, & elevare anima mea misera & infirma; & alis fidei, & spei, ad hunc hortum charitatis enitere, & totum mentis intuitum, per varia dispersum, in unum collige; ac apum sedulitatem imitans, ad conficiendum mel devotionis, ad Paradisum charitatis ascende, accedens ad cor altum, quia ecce quem quæris, exaltatus est, & humiliatus.* -- Nec breviter amplexandus est hic paradisus, sed volandum est per singulos istius paradisi flores, & singulorum florum folia sunt sugenda; nunc ad dexteram,

§. 5. Cor IESU crucifixi est hortus: Animæ piæ sunt apiculæ.

nunc

nunc ad sinistram, rivulos & guttas sanguinis spargentem, propiùs & interiùs accedendum. Undelib:t quærenda est devotio, & charitas, &c. & dulcedo.

§. 6. *Quomodo apes debeamus imitari.* Placuit hæc metaphora ipsi B. Virgini, ut per Angelum S. Brigittæ l.4.c.86. dici curavit: Quemadmodum apis arva florida circumvolans, universa mellifera gramina diligentiùs perscrutatur, quia ex naturali scientia novit discernere, ubi pullulet flos amœnior; simili modo, ait Lud. Blosius, *instar apis sedulæ huc studiosè advolemus, de vulnere ad vulnus transeuntes; nec aliunde nobis pabula carpamus, cùm hæc melle scateant.* Et S. Ambrosius ad piam Virginem, lib.1. de virg. *Quàm te velim filia imitatricem esse hujus apiculæ, cui cibus flos est. Florem quoque tibi demonstro, carpendum illum utique, qui dixit: Ego flos campi, & lilium convallium, tanquam lilium in medio spinarum.*

§. 7. *Et ipsum Spiritum S.* Cùm S. Bernardus ser. 2. de adv. de Beatissima Virgine Maria dixisset, *Apis erat,* (scilicet in virginali suo conclavi,) *quæ pascebatur inter lilia; quæ etiam in terris florigeram inhabitabat patriam Angelorum. Vnde & in civitate Nazareth, (quod interpretatur flos,) morabatur.* Et ideo Spiritus Sanctus instar apis *advolavit, & ad suaveolentem perpetuæ virginitatis florem advenit, illi insedit, illi adhæsit.* O si inter pulcherrimas rosas SS. Vulnerum Christi, nos essemus tales apiculæ! Prov.6.v.6. *Vade ad apem, & disce, quomodo operaria est.* Mel amoris! mel devotionis! mel omnis suavitatis, &c.! in vulneribus Salvatoris, præsertim vulnerato corde, reperiemus infallibiliter.

§. 8. *Quinque illa Vulnera sunt quinq; viæ, per quas venire debemus ad veras delitias spiritus.* Si tamen advertamus, non subitò nobis ascendendum esse ad cor Christi; sed necesse esse, ut per quasdam quasi vias & semitas eò penetremus. Quod Joannes Taulerus videtur voluisse insinuare, in ep.28. de *Exercitio per vulnera Christi, in ejus Divinitatem transeundi,* dum asserit, in Christi vulneribus esse nobis apertas totidem vias & semitas, per quas tuti pervenire possimus ad illum hortum & paradisum cœlestium delitiarum.-- *Prima via,* inquit, *per vulnus sinistri pedis, est sitibunda nostræ sensualitatis, inordinatæ naturæ, & cupiditatum mortificatio. Secunda via, per vulnus dextri pedis, est fortis ac vehemens in DEVM penetratio, per omnia*

omnia adversa, cum perseveranti gratiarum actione & laude, superessentialis doni, quod est Deus. Tertia, *per vulnus sinistræ manus, est actuum virtutum omnium exercitatio, in obedientia humili, & integra sui ipsius in manus DEI resignatione; in interna & externa paupertate, &c.* Quarta, *semita, per vulnus manus dexteræ est profundissima humilitas,* &c. Sic tandem viam quintam ingredimur per vulnus diviniſſimi cordis, quod non aliud eſt, quàm cum ignitis deſideriis, & exercitationibus, per actualem amorem, ſe conſumere, & in amore eſſentiali liqueſcere, & per amabilem quandam fruitionem, in caliginoſum divinæ Majeſtatis pelagum ſe ſe immergere. *Et hoc modo*, (inquit Taulerus) anima pia *per cælestes radicantium vulnerum portas, toto corde in DEUM nititur, contendit, ac penetrat.* Hinc vera quies, &c.

Iterum, iterumque moneo cum Nicolao Eſchio, rogandum eſſe Dominum Jesum, ut ſibi, per ardentem & reſignatum ſpiritum; per compatientem, & mortificatam animam, per affectum & excruciatum corpus, ſanctiſſimæ ſuæ crucifixæ Humanitati, membra noſtra conformare dignetur; aut ſaltem, per quamcunque mortificationem nos monere dignetur, ut ſuæ Paſſionis nunquam obliviſcamur. Verbo, ſine mortificatione, latentes & abſconditas in corde Crucifixi delicias, nunquam reperiemus. Ita ſenſit S. Bonav. p. 1. ſtim. c. 4. *Nunc ergo, chariſſimi, felle & absynthio, atque myrrhâ inebriemur, & ejus vulnera sentiamus; transfigant cordis nostri intima, ejus convitia, flagella & vulnera; nec in nobis sit, quod non perfundatur compassionis dolore, & affligatur intensè.* Hæc eſt via ad cœleſtes delitias iſtius dulciſſimi cordis. Hoc idem fuit deſiderium B. Henrici Suſonis: *Non sit, mi Domine, ullum corporis mei membrum, quod non speciatim tuam mortem suo modo meditetur, tuaq; Passionis quandam similitudinem amabiliter præ se ferat, exhibeatq;!* Ecce viam, &c.

§. 9. *Illas delitias nunquam obtinebimus sine mortificatione.*

Iterum S. Bonav. p. 1. c. 2. *Quantò ferventiùs diliges eum, tantò magis sua compatieris Passioni,* tantò ardentiùs multa & gravia deſiderabis pro illo pati,) *& quantò plus ei compatieris* (& patieris,) *tantò plus erga eum tuus accendetur affectus.* Et tantò teneriores in

§. 10. *Affectus dilectionis, cõ- passionis & gaudii se mutuò accendunt.*

ejus corde reperies delicias, si mutuò dilectio, compassio, & gaudium se accendunt.

§. 11. *Epilogus ex Taulero.* *Et quid possit amanti animæ esse suaviùs*, (inquit Taulerus, Lætiensis Abbas,) *quàm ut post labores, mortificationes, perturbationesque multas in hac lachrymarum valle* (velit, nolit,) *ei occurrentes, eamque fatigantes, sub salutifera Crucis umbra respiret, sese reficiat, sensus dispersos colligat, animamque exhaustam delectabili arboris hujus fructu se confortet; & quidem in dulcissimo* JESU *crucifixi corde*, &c.

EXHORTATIO V.

DE IMITATIONE CHRISTI PATIENTIS, præsertim in rebus arduis.

Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, 1. Petri 2. cap. v. 21.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit illam titulus Exhortationis.

§. 1. *Quinam sit perfectissima Imitatio Christi D.*

§. 2. *Imitationis illius praxis, ex S. Bonaventura.*

§. 3. *In quibus hæc imitatio consistat. Et primùm quidem, in innocentia & puritate cordis.*

§. 2. *Secundò, In exercitio virtutum.*

§. 5. *Tertiò, & præcipuè, in imitatione Passionis Christi.*

§. 6. *Quam S. Pater Ignatius in 1. §. eleganter exposuit.*

§. 7. *P. Petrus Faber hanc imitationem ad 4. puncta contraxit.*

§. 8. *Imitatrix Christi patientis eximia fuit S. Elisabetha.*

§. 9.

NOn est mihi sermo de quavis Christi D. imitatione; sed de perfectissima, quam S. Pater noster Ignatius, his verbis nobis proposuit: *Etiamsi nullo superaddito, laus DEI par foret,* ad majorem tamen imitationem Christi, eligendum potiùs dicebat, cum eo paupere, spreto & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum, quàm opes, honores, & sapientiæ existimationem sectari. De aurea praxi hujus imitationis, hâc exhortatione pauca vobis proponam. §. 1. *Quam sit perfectissima imitatio Christi Domini.*

Seraphicus Sanctus Bonaventura, ita illam nobis proponit: §. 2. *Imitationis illius praxis ex S. Bonav.* *In omnibus virtutibus & bonis moribus, propone semper clarissimum speculum, & totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet virtutes & mores Filii DEI, Domini nostri IESV Christi, qui ad hoc nobis de cœlis missus est, ut aperiret nobis viam virtutum, & legem disciplinæ suo exemplo daret; & erudiret nos per semetipsum, ut sicut ad imaginem ejus naturaliter creati sumus, ita ad morum ejus similitudinem, per imitationem virtutis, pro nostra possibilitate reformemur, qui ejus imaginem deformavimus per peccatum; quantò enim quisque se ei, in virtutis imitatione, hîc conformare studuerit, tantò ei in gloria appropinquabit, & similior erit. Describe tibi in corde tuo mores, & actus suos,* &c. *ut in omnibus factis & verbis tuis, semper ad hunc quasi ad exemplar respicias, incedens, stans, sedens, comedens, tacens & loquens: solus, & cùm aliis. Et ex hoc magis diliges eum, & familiaritatis ejus gratiam, & fiduciam obtinebis, & in omni virtute,* (in omni opere, v.g. in surgendo, orando, &c.) *perfectior erit. Et hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de illo cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel ad eum amandum afficiaris.* Legite, perpendite bene Constitutiones & Regulas S.P.N. & reperietis, in hoc unum intendisse S. Ignatium, quoad se, ita Christum imitari, & quoad nos, nobis eundem ita imitandum proponere.

§. 3. *In quibus hac imitatio consistat. Et primùm quidem in innocentiâ sive puritate cordis.*

In particulari quærendum est obiter, in quibus potissimùm hæc imitandi ratio posita sit, ut hunc scopum imitationis nobis propositum eò certiùs attingamus. D. Chrysostomus inprimis ait : *Innocentia est Domini imitatio.* Illa scilicet innocentia, de qua Psaltes ait, ps. 100. v. 2. *Perambulabam in innocentia cordis mei.* Per quam animi sanctitatem, puram illam, atque ab omni vitiorum labe semotam intellexit munditiem. Hujus mentis fuit Dionysius Areopagita, cùm dixit: *Si ejus societatis cupiditate ducimur, divinam vitam, quam ut homo egit, proponere debemus, ejus in non peccando imitatione.* Et S. Ambrosius l. de bon. mor. c. 5. *Fuga malorum est similitudo DEI, & virtutibus*, præsertim puritate, *imago DEI acquiritur.* S. Leo ser. 1. de jejun. *Non aliter in nobis erit dignitas divinæ Majestatis, nisi imitatio fuerit ejus voluntatis*; quæ est purissima, ab omni labe alienissima. Denique Tertullianus breviter: *Vbi DEVS est, ibi pudicitia est.* Idem dicamus de imitatione Christi, ubi hæc est, puritas est & innocentia.

§ 4. *2. In exercitio virtutū.*

Suppositâ puritate cordis, bene monet S. Augustinus ser. 8. de temp. venisse Christum D. in hunc mundum, *ut quos à peccatis sanguine suo redemerat, non solùm doctrinæ auxilio & gratiæ, sed exemplo etiam suo ad studium sanctitatis accenderet. Et ut non modò præcipientem Dominum, sed suo etiam exemplo ad virtutis suffragia provocantem, majore alacritate sequeremur, & pium patrem, secundùm sententiam D. Petri, pii filii, imitatione coleremus.*

§. 5. *3 Et præcipuè in imitatione Passionis Christi.*

Verùm, ne materiam nimis latam de omnibus virtutibus, in quibus Christum imitari debemus, ingrediar; de illa imitatione in particulari loquor, de qua S. Petrus dixit ep. 1. c. 2. v. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et S. Paulus ad Hebræos 12. v. 2. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contemptâ.* q. d. Proposui vobis antè, ô Hebræi, variorum Sanctorum exempla, nunc autem ipsum exemplar omnium virtutum, præsertim patientiæ, vobis propono, ut in illud assiduè intuentes, ejus patientiam & constantiam in vobis exprimere & imitari studeatis : perfectæ namque imitationis ratio hoc flagitare videtur, ut ad ea quoque se extendat,

quæ

quæ DEI Filius pro nobis ſuſtinuit; non tantùm, ut dixi, ut nos redimeret, ſed & exempla proponeret, quæ imitaremur.

§. 6. *Quam S. P. Ignatius ſupra citatis verbis eleganter expreſſit.*

Summam & altiſsimam imitationis hujus perfectionem videtur attigiſſe S. Ignatius, cùm dixit: *Etiamſi nullo ſuperaddito laus DEI par foret*, (ut ſupra) q. d. licèt admitti poſſent honores & divitiæ, abſque peccato etiam veniali; imò non ſolùm ſine peccato, ſed etiam eo caſu, quo iis admittendis, aut rejiciendis, major DEI gloria, & major animæ noſtræ utilitas ſe non proderet; nihilominùs, quò nos magis conformemus, ſimileſque Chriſto D. efficiamus, eligendam magis paupertatem cum Chriſto, quàm divitias; & optandas magis injurias & opprobria, cum Chriſto iis ſaturato, quàm mundi hujus vanos honores, ab ipſo ſpretos; magiſque deſiderandum contemni, & pro Jesu Chriſti amore, ſtultos haberi, quàm coram mundo prudentes. Hoc eſt, quod S. Joannes Chryſoſtomus hom. 13. in ep. ad Philip. quæſivit & ſuaſit: *None eſt crucifixus Dominus tuus? Imitare Dominum, crucifige te ipſum. Dominus crucifixus eſt, & tu requiem quæris? Dominus tuus affixus cruci eſt, & tu deliciaris?*

§. 7. *P. Petrus Faber hanc imitationē ad quatuor puncta contraxit.*

Cùm Madriti, unus è primoribus regni, à P. Petro Fabro, uno ex decem primis Patribus, petiviſſet puncta quædam piæ meditationis, pius Pater hæc illi ſuggeſsit, dicens: *Hæc tecum quandoque perpende: Chriſtus in ſumma inopia, ego in opulentia: Chriſtus in fame & ſiti, ego in exquiſitis epulis: Chriſtus nudus, & ego pretioſè conveſtitus: Chriſtus in doloribus, & ego in delitiis.* Hæc puncta tam altè ſubiêre pectus ejus, ut cùm non diu pòſt, ad lautiſsimum invitatus convivium, cupedias & luxum admiraretur, una ex quatuor iſtis cogitationibus tam efficaciter animum ſubiit, Chriſtus in fame & ſiti, ego in exquiſitis epulis, & in uberrimas effuſus lachrymas, menſâ abſcedere, convivas relinquere, ad ſolitudinem ſe recipere ſit coactus, conſideraturus, quomodo Chriſtum Salvatorem vellet imitari.

§. 8. *Imitatrix Chriſti D. eximia fuit S. Eliſabetha.*

Eodem Sancto Spiritu fuit afflata S. Eliſabeth, Thuringiæ Princeps; ubi enim Sponſum ſuum nudum in cruce pendentem conſideravit; *Nimirum*, dixit, *me terræ vermiculum purpurâ involvit*;

volvit; & meus Christus nudus pendet in Cruce! Mihi corona auro & gemmis, Christo spinis & sentibus riget. Ego pulvinaria calco, IESVS in Cruce capiti locum circumspicit, nec, eheu! invenit. Me aulæ servitia vallant, illum soli hostes stipant. Ite gemmæ! nobiliores legam sub Cruce. Abi gravis auro corona, rosas mihi è spinis nectam. Tollite pulvinaria, Crux sponsi erit mihi lectulus, &c. His cogitationibus adeo incaluit pectus S. Elisabethæ, ut exemplo Christi, plus amaverit Crucem, & contemptum, &c. quàm regium ornatum. Ah, auditores! nunquid idem Christus est Dominus vester? ut quid ergo quæritis delitias, &c. Crucifigite vos, Christus passus est, &c. Nolite timere, fore vobis hoc nimis arduum & difficile, probate! & experiemini, bene dixisse Thomam de Kempis: *Dulciùs est, esse cum* JESU *in cruce, quàm sine illo in paradiso.* (NB. Per 4. superiora puncta dulciùs est esse in inopia,) &c.

§. 9. *Item Anna de S. BartHol. ex Ordine S. Theresiæ.* Fervens S. Theresiæ filia & imitatrix fuit Anna de S. Bartholomæo; in feriis antecineralibus juvencula fuerat deducta ad choræas, cùm à florido adolescente evocaretur ad saltum, oculos fortè cum animo sustulit in cœlum, & ecce! in ictu oculi exhibuit ei se Christus, totus cruentus; hoc unum piè questus: *Pergeret se dare vanitati, dum ille in tormentis hæreret.* Disparuit ille, sed ipsa, ocyor Euro, generoso saltu, relicto mundo, confugit ad Carmelum, ad imitandum Sponsum crucifixum, (poterit, si tempus patiatur, pulchrè ostendi, quomodo hæc puella executa fuerit consilium S. Ignatii, *Etiamsi nullo superaddito,* &c. Nobis considerandum est, in quibus & nos obsequi possimus.)

§. 10. *Aurea monita Idiotæ, circa hanc Christi passi imitatione.* Religiosissimam hujus imitationis praxin omnibus Religiosis præscripsit Idiota: *Recordemur non solùm, non esse ægrè ferendam hanc pugnam, sed optandam! etiamsi nullum nobis inde præmium proveniret, solùm ut conformemur Christo, DEO & Domino nostro. Quoties etiam resistendo alicui tentationi, alicui ex sensibus tuis vim facis, cogita, cuinam parti Crucis Christi, conformis reddaris. Vt quando gulæ resistens, gustum affligis, recordare illum felle potatum & aceto. Quando manus retrahis à rapina alicujus rei, quæ tibi placet,*

cet, cogita manus illius pro te ligno Crucis affixas; & si resistis superbiæ, recordare illum, qui cùm in forma DEI esset, pro te formam servi accepisse, & humiliatum usque ad mortem Crucis; & cùm irâ tentaris, recordare illum, qui DEUS erat, & omnium hominum justissimus, cùm tamen videret, se quasi latronem, & illudi, & conspui, & flagellari, & opprobriis omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamen unquam aut iræ, aut indignationis signum ostendit; sed patientissimè omnia ferens, omnibus mansuetissimè respondebat. Hæc ille, in his imitare Christum.

Etiamsi nullo superaddito, par DEI gloria foret, &c. inquit S. Ignatius; quod videtur legisse in S. Leone, ser. de Transfig. ubi exemplum Christi D. ita nobis proponit: *Inter tentationes hujus vitæ, prius, - & potius, - nobis tolerantia postulanda est, quàm gloria: cui Salvator noster illustrissimo sanè nobis prolusit exemplo, cùm licèt æqualem redemptionis nostræ fructum vidisset posse accidere, etiamsi ipse in deliciis sanctis, gaudio, honoreque terreno vitam institueret, acerbiora nihilominus sectari voluit, crucemque amplecti.* Quod S. Gregorius Nazianz. his verbis expressit: *Cùm liceret sibi paternis frui delitiis, nec mortem gustare, confusione tamen & ignominiâ contemptâ, sustinuit crucem.* Et S. Anselmus: *Proposito sibi à turbis gaudio, cùm vellent eum facere Regem, noluit ille, sed potiùs crucem sustinuit, & illusiones, & opprobria; bona verò terrena omnia contempsit.* Hoc est, quod S. Pater noster Ignatius vult imitari, dicens: *Etiamsi nullo superaddito, par DEI gloria foret*, &c. (Repete verba S. Ign.) §. 11. Et S. Leonis.

Electionis hujus pulcherrimum exemplum nobis reliquit S. Catharina Senensis. Addixerat se servitio mulieris fœdo carcinomate laborantis; nec aliam mercedem præter calumnias ab illa accipiebat. Subtristi eam ob causam nonnihil, ecce Christus adest, geminam manu coronam prætendens, hanc auro, illam spinis rigentem; jubetq; optionem facere. Illa, non nescia, quâ Sponsus corollâ ornatus esset, spinas invadit; jam meliùs animata, impensiùs pergit servire ingratæ; malens ad majorē Sponsi imitationem, cum eo paupere, spreto, & illuso pauperiē, contemptum, §. 12. Imitanda nobis est electio facta à S. Catharina Sen.

&in-

& insipientiæ titulum, quàm honores, opes, aut sapientiæ æstimationem comparare. Hæc elatio placuit spiritui S. Ignatii, ideo dixit, &c.

§. 13. *Prudens responsum alicujus Coadjutoris ex Societate.*

Spiritum hunc S. Ignatii hauserat ille Coadjutor Hispanus, qui cùm in detrita & consarcinata veste aulam regiam negotiorum causâ fuisset ingressus, & procerum aliquis illi diceret: *Quid tu in obsoleta hac veste palatium suæ Majestatis ingressus es?* Respondit: *Domine, audivi in aulis hunc morem observari, ut quâ vestium formâ Rex utitur, eâ & Palatini utantur, quoque delectatur colore, eo delectari & reliquos. Dudum jam inquisivi, quanam vestis maximè placeat Regi Regum Christo D. & audio,* &c. proinde. Responsum & virtutem fratris ille aulicus summopere fuit admiratus, (fiat ex his pulcher epilogus.)

ADMO-

ADMONITIO AD LECTOREM.

MEminerit Benevolus Lector, septem primos Tomos Nili mei Mystici, exponere totam Historiam Passionis Domini nostri JESU Christi, totidem Concionibus comprehensam. In Primo & Secundo Auctario, sive Incremento ejusdem Nili, eandem Historiam ex aliis Auctoribus, alio modo & methodo cœpi explanare. Cùm verò dubium mihi sit, an, ingravescente ætate, & propter alias occupationes, quatuor reliqua Auctaria, tam citò evulgaturus sim, totam saltem Historiam Passionis hîc subjungam, ut eadem pro variis Exhortationibus, de mysteriis Christi Patientis, & Ascetis, & Concionatoribus inservire possit.

HISTORIÆ
DE CRUENTA PASSIONE
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
PARS III.
PRO AUCTARIO III.
NILI MYSTICI.

At illi tenentes JESUM, duxerunt ad Caipham, Principem Sacerdotum, Matth. 26. cap. v. 57.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

IN *primo Puncto* agitur potissimùm de nocturnâ illusione, in domo Caiphæ. *In 2.* De accusatione Christi coram Pilato. *In 3.* De illusione in aula Herodis. *In 4.* De flagellatione. *In 5.* De spinea coronatione, &c.

§. *1. O funestam noctem! in qua Filius DEI veluti latro fuit captus!*

§. *2. In qua, coram Anna, illi fuit inflicta alapa!*

§. *3. In qua ex domo Annæ deductus fuit ad Caipham.*

§. *4. In qua à Caipha fuit condemnatus ad mortem.*

§. *5. In subterranea specu percussus alapis, & mille modis illusus.*

§. *6. Cum horrore Christi D.*

§. *7.* JESUS *consputus.*

§. *8. Prosecutio.*

§. *9. De velata Christi D. facie.*

§. *10. De aliis injuriis ipsi illatis.*

§. *11. Quid inter has injurias fecerit*

PUNCTUM I.

Nocturnæ injuriæ illatæ Christo Domino, in domo Caiphæ, in nocturno carcere.

§. 1. *O funestam noctem! in qua Filius DEI, veluti latro fuit captus.*

TRistis! funesta! tragica! luctuosa nox præteriit, in qua in horto Oliveti, in domo Annæ & Caiphæ, Summorum apud Judæos Pontificum, ad infernales faces, quas ira, furor, odium, rabies, imò tenebrarum princeps Lucifer, accenderunt; exhibita est tragœdia, qualem à mundo condito, non spectavit Orbis. O luctuosam noctem! hâc nocte! scelerata Judæorum & lictorum turba, in horto manus injecerunt Filio DEI, agno innocenti, atque immaculato; ligarunt vinculis, percusserunt alapis, pugnis prostraverunt in terram, pedibus proculcarunt, funem collo injecerunt, captum, ligatum, non duxerunt; sed veluti ligatam bestiam, volo dicere, ligatum mitissimum agniculum, abduxerunt, & cum ingenti furore traxerunt in urbem!

§. 2. *In qua! coram Anna, illi fuit inflicta alapa.*

Hâc nocte! ô tragœdiam! Regem gloriæ ligatum, veluti malefactorem, in ingressu urbis, primùm adduxerunt ad Annam, coram quo, dum paucis & suavissimis verbis, quæstioni de sua doctrina, respondit, sceleratus minister ei immanem alapam inflixit, dicens, Joan. 18. v. 22. *Sic respondes Pontifici?* Considerate gravitatem injuriæ: ex parte percussoris, qui fuit sceleratus minister alicujus Pontificis. Ex parte percussi, qui est Rex gloriæ, & Filius DEI. Ex parte ictus, qui fuit alapa, in sanctissimam faciem, in faciem inquam illam, in quam desiderant Angeli prospicere. Ex parte loci, & circumstantium; in aula Pontificis, coram summo Sacerdote, & ingenti famulorum, militumque multitudine. Ex parte temporis, quo, accusato licitum fuit innocentiam suam defendere; sed, an ex omnibus nullus fuit, qui crudele facinus impro-

improbaret, nullus, qui percusso compateretur? nullus! ad unum omnes cum plausu exultarunt de inflicto hoc colapho. Quid fecit Jesus! tres voculas reposuit: *Quid me cadis?* Heu me, mi JESU! cur & ego tot alapas tibi meis infinitis peccatis inflixi! Per alapam, coram Anna inflictam, obtestor, miserere mei! propitius esto mihi peccatori, præsertim in hora mortis meæ.

§. 3. In qua! deductus fuit ex domo Annæ ad Caipham.

Præteritâ nocte! ex domo Annæ innocentissimum Agnum, novo furore abduxerunt ad domum Caiphæ, in qua totum majus Judæorum Concilium erat congregatum. Quis, obsecro! explicet acerbitatem hujus viæ? quantâ illum traxerint scurrilitate, quantis verberibus, quantis tunsionibus! alii, impulerunt ad festinandum; alii, festinantem retraxerunt; manibus, vinculis, catenis, fustibus! alii, raptarunt ad prolapsum; alii, prolabentem percusserunt, & pedibus conculcarunt. O mi Jesu! siccine permittis tuas miraculis plenas manus duris catenis ligare! Siccine patiaris, te fustibus adeo crudeliter percutere, in terram dejicere, & pedibus conculcare, &c.? Ubi majestas, ubi potentia, ubi gloria, &c.? Verùm, quid Christus? tacet, non resistit, tolerat omnia, vultu sereno, modesto, tranquillo! voluntate promptâ, corde amabili, offerendo omnem ictum, omnes injurias, omnem vexationem, omnes passus, pro nostris peccatis; catenas & vincula fuit amplexatus, ad solvendum laqueos peccatorum: acerbam illam viam obtulit æterno Patri, pro omnibus passibus, quos fecimus in via iniquitatis. O mi Jesu! quantum tibi debemus! quomodo pro his omnibus poterimus satisfacere? O bone Jesu! per hos passus tuos, ab Anna ad domum Caiphæ, dirige aliquando feliciter illos passus, quibus in agone supremo ingrediemur viam longissimæ æternitatis!

§. 4. In qua! à Caipha cõdemnatus fuit ad mortem.

Præteritâ nocte! Caiphas, cùm post varia allata falsa testimonia, ex ore æternæ Veritatis, & Verbi Patris, audivit illa mitissima verba, *Ego sum,* cum toto Concilio debuisset procumbere in terram ad pedes Christi, venerari Dominum & Messiam: debuissent omnes adorare Filium Dei, petere veniam, inclamare misericordiam, à clementissimo vivorum & mortuorum Judice! sed contra, nequissimus Caiphas, laceratâ veste, contra illum vel-

uti blaſphemum, ſanguinariam protulit ſententiam, *Reus eſt mortis*! applauſit totum ſceleratum Concilium, conclamarunt omnes, *Reus eſt mortis*! in ſententiæ confirmationem, lictores repetierunt pugnos & alapas; exſpuerunt in faciem, & arctiùs ligatum, in ſubterraneam deduxerunt ſpecum, ibi à ſceleſtis militibus cuſtodiendum.

§. 5. In ſubterranea ſpecu, percuſſus alapis, & mille modis illuſus.

Præteritâ nocte! O tragœdiam! ô cœli! accendite veſtras ſtellulas, & faces, ut videamus partem tragœdiæ, quæ ſequitur. Hâc nocte! Rex gloriæ, in ſubterranea ſpecu, forti catenâ alligatus fuit ad columnam, & humili impoſitus ſcabello, ad omnem nequiſſimorum lictorum ludificationem. O mi JESU! quàm triſtem ages noctem! Modi ludificandi, ſpernendi, deridendi, blaſphemandi, vexandi, quos nequiſſimi ſervi excogitarunt, fuerunt ſimul atroces. Alii enim pugnis, alii alapis, ejus ſanctiſſimam faciem percuſſuerunt. O dolorem! ô ignominiam! hic caput pulſavit pugnis, ille collum! ille humeros, ille genas percuſſit alapis, nullo diſcrimine! De una alapa, quam paulò antè coram Anna unus miniſtrorum inflixit in faciem JESU, exclamavit Rupertus Abbas: *O immaniſſima ſervi manus! qua exples inexplebilem Domini ſitim!* & *Quàm bonus eſt* JESUS! *qui ſaturatus eſt opprobriis, dans ſe percutienti maxillam.* De una, inquam, alapa, talia dixit Rupertus, quid dicemus de alapis centum duabus, de colaphis quinquaginta, de triginta percuſſionibus in auguſtiſſimum caput, de aliis innumeris tunſionibus omnium membrorum ſanctiſſimi corporis; iterum nullo diſcrimine! quid, inquam, dicam, niſi illud Jeremiæ ex c.3. Thren. v.30. Ita *ſaturatus eſt opprobriis.* Hoc eſt, tam immane fuit alaparum tormentum, & tam ignominioſum, tanta confuſio & verecundia! ut licèt nec flagra, nec ſpinæ, nec clavi, nec patibulum crucis, nec vulnera, nec tanta profuſio ſanguinis, explere potuerint inexplebilem in Chriſto D. patiendi ſitim! imò his inſtrumentis accenſa fuerit magis, ut palam in Cruce proclamarit, *Sitio*! hoc præſtiterint alapæ; his fuit quaſi ſaturatus! tam enim propudioſum! tam vile! tam pœnoſum fuit, Filium DEI percuti alapis, & colaphis, ut nihil propudioſiùs infernus, & dira Judæorum rabies potuerit

exco-

excogitare, ut dici possit, Christum D. his opprobriis fuisse saturatum.

§. 6. Cum horrore Christi Domini.

De Juda proditore, quòd ausus fuerit, cum osculo pacis tradere Magistrum suum in manus inimicorum, dixit S. Cyrillus l. 6. in S. Joannem : *Verisimile mihi videtur, non potuisse Christum audax facinus ita sufferre, ut aliquantisper non horruerit.* Idem potuit contigisse hâc nocte in subterraneâ specu, in domo Caiphæ; percussit ille genas! puto cohorruisse Jesum! alius sanctissimo ori impegit pugnum! cohorruit sine dubio mitissimus Jesus.

§. 7. Jesus consputus.

Et multò magis, cùm alapis addiderunt sputa, tantâ rabie & copiâ multorum exspuentium, ut oculi, frons, labia, genæ, capilli, & vestes, in humeris potissimùm, & pectore, ut omnia fuerint consputa & defœdata spurcissimis sputis Judæorum. Si & hîc bonus Jesus, præ amoris magnitudine, & patiendi desiderio, non cohorruit, puto cohorruisse Angelos & Seraphinos in cœlis, dum hoc spectaculum viderunt. Scio Davidem dixisse ps. 43. v. 16. *Verecundia mea contra me est; & confusio faciei operuit me.* Major longè fuit confusio Christi D. dum non tantùm purpura virginei sanguinis, sed Judæorum sputa cooperuerunt faciem ejus. Quæso vos animæ piæ! altùm animis vestris imprimite pauculas has voculas: Jesus *meus!* *amabilissimus meus* Jesus! *percussus alapis*! Jesus *meus consputus*! & non deerunt nobis piissimæ cogitationes, & affectus compassionis, doloris, amoris, aliarumque virtutum.

§. 8. Prosecutio.

Exspuerunt in faciem ejus! Cujus faciem? Filii Dei! Quinam? Nebulones. Qualia sputa? crassa! fœtida! redolentia Judaicas cæpas! Quò? in faciem! in ipsum os! in collum & fauces! eò pervenire potuit mortalium nequitia, ut judicarit, faciem Christi esse locum, dignum tam sordidis, fœtidis & crassis sputis! Et hæc omnia cum delectatione, cum risu, cum applausu, cum jubilo! Sed eheu! cum quo dolore amantissimi Jesu! Pulchrè Jacobus de Voragine ser. 90. in Quadrag. *Si possibile fuisset, flevisset etiam* Deus, *videns Filium suum tam ignominiosè tractari.*

Adjun-

§. 9. *De velata Christi D. facie.* Adjungit Evangelista alium vexationis modum, quòd velatâ Domini facie, impactis alapis, jusserint illum divinare, quis eum percussisset. Quasi dicerent: Tu! Prophetam hactenus egisti; & cognitionem rerum latentium professus es; itaque, divina! prophetiza! quis tibi hunc inflixit colaphum? quis hunc pugnum? quis hanc alapam? divina! Quis hoc sputum conjecit in os? quis vellicavit capillos? quis barbam? quis genas laceravit unguibus? quis tuum latus trusit pede? quis baculo? O scelesti nebulones! quis hunc ludum vobis suggerere potuit, nisi princeps tenebrarum?

§. 10. *De aliis injuriis ipsi illatis.* Non inhærebo his contumeliis, non evulsioni barbæ, & capillorum, non lacerationi unguium, non mille blasphemiis, quibus totâ nocte exsaturarunt patientiam & charitatem Christi. Aliàs hæc & similia fusiùs exposui: hoc unum modò addo ex S. Theodoro: *Cogitemus! cogitemus, ô fratres! ingens hoc, atque ineffabile arcanum, sive mysterium, & causas, propter quas benignissimus Redemptor noster, nocturno tempore, tam atrocia voluerit proferre supplicia* ! & reperiemus, causam præbuisse, horrenda illa scelera, quibus in tenebris divina offenditur Majestas. (En locum pro acerba invectiva, in gravia quædam scelera, accommodanda loco & Auditoribus.)

§. 11. *Quid inter has injurias fecerit Christus D.* Restat unum circa præsens mysterium; quid egerit, quid cogitaverit bonus JESUS, in his horis tenebrarum? Quid locutus fuerit, sacer textus non refert; probabile est, siluisse! Ut aliàs, sic inter atroces has injurias, obmutuit instar Agni. Alterum quod attinet, puto illum fecisse, quod ante paucas horas fecit in horto; quod paulò pòst faciet pendens in Cruce! puto cum S. Paulo ad Hebr. c. 5. v. 7. illum *preces, supplicationesque, cum clamore valido & lachrymis, obtulisse æterno Patri.* Quod viris sanctis causam & occasionem præbet, ut nunquam nocte evigilent, quin recordentur funestæ hujus noctis, ut per vigilias Christi D. per inflictas alapas, & colaphos; per alias injurias, nocturno tempore illi illatas; & ipsi clamore valido, & cum lachrymis, petant sanctam mortem.

Memi-

Meminiſtiſne dicti Senecæ, quod ſæpiùs vobis propoſui: *Magna res eſt hæc, & diu diſcenda, cùm adventat hora illa inevitabilis, æquo animo abire! ideo neceſſarium judico, quod viri magni fecerunt, interponere ſubinde aliquot horas, quibus nos imaginariâ morte ad veram exerceamus.* Tempus aptiſſimum ego eſſe judico, cùm ſubinde nocte, in vigilia, nobis occurrunt præfata myſteria! ſed atra nox præteriit! aurora & Sol exoritur; ſurgite animæ piæ, ut videamus, quid porrò paſſus ſit JESUS!

§. 12. *Adhortatio ad piam præparationem, ad ſanctam mortē.*

PUNCTUM II.

ACCUSATIO CHRISTI D. CORAM PILATO.

Mane autem facto, conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, adverſus JESUM, ut eum morti traderent, & vinctum adduxerunt ad eum, & tradiderunt Pilato, Matth. 27. v. 1.

POſt funeſtiſſimam noctem, in qua Chriſtus D. tam atrocia pertulit, illuxit Sol: non coronatus roſis, vel amœnis radiis, ſed atris & ſanguineis tectus nubibus, qui diem protulit, præteritâ nocte longè funeſtiorem. Albeſcente enim cœlo, ſummi Sacerdotes, Scribæ, Principes populi, Phariſæi, & omnes Seniores, veluti furiæ, aut rabidi canes, concurrerunt ad domum Caiphæ, adverſus animam juſti, ut ſanguinem innocentem condemnarent, ait Campenſis: *Mane autem facto,* Syrus legit, *Cùm eſſet diluculum*; cum gaudio in domo Caiphæ intellexerunt, Chriſtum captivum adhuc teneri in vinculis; timuerant enim, ne, cùm faceret mirabilia, altiori quâdam virtute & potentiâ, ex illis ſe expediviſſet. Pleni itaque gaudio, inierunt rurſum conſilium, adverſus JESUM, ut eum morti traderent; conclamantes magnis vocibus: *Venite, & eradamus eum de terra viventium.*

§. 13. *Mane Paraſceves cōcurrerunt Iudæi ad domum Caiphæ.*

tium. Venite! sapienter opprimamus eum; sapienter, hoc eſt, *arte ac fallaciâ affligamus eum.* Ita habet textus græcus, ſive, Qualiſcunque demum ſit, moriatur.

§. 14. *Peroratio Caiphæ contra IESVM.*

Itaque poſtquam bonus JESUS, oppletus ſputis, laceratâ facie, tumidis genis & labiis; effluente ex naribus, auribus, & ore ſanguine, ob alaparum violentiam; poſtquam talis ex nocturno carcere in Concilii conſpectũ adductus fuit, Caiphas, omniũ Præſes, fortaſſis ſic dixit: Quid facimus, fratres, quia hic homo multa ſigna facit; ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. Meo judicio *expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Scelerate Pontifex; Quis debet mori? innocentiſſimus! ſanctiſſimus! ſic expedit, moriatur! Veſter Rex & Meſſias? qui tot mirabilia fecit? ſic expedit, moriatur. Mi JESU! ex intimo corde tibi compatior, ob tantam injuriam, innocentiæ & ſanctitati tuæ illatam. Execror & deteſtor ſynagogæ malitiam, cujus nomine Caiphas hæc verba protulit, ut innocentem ſanguinem fundas, & moriaris! Alio tamen ſenſu; ignoſce mi amantiſſime JESU! omninò expedit, ut moriaris. O Seraphini! O cœleſtes ſpiritus! quid vos dicitis? Expedit, ut moriatur. O Patriarchæ! quæ veſtra eſt ſententia? Expedit, ut moriatur: niſi hoc fiat, non aliqua gens, ſed totum humanum genus æternùm peribit.

§. 15. *Quare omnis multitudo populi concurrerit ad Pilatum.*

Unum terruit Judæorum Concilium: quòd non haberent, de quibus illum coram Pilato accuſarent. Unde manifeſtè patet, quòd paſſio invidiæ, & livoris contra Chriſtum; hoc eſt, rationes meræ politicæ, ſubverterint in hoſtibus Chriſti judicium rectæ rationis; quia in nullo caſu licet interficere innocentem. Prudentia enim, vel ſapientia vera non eſt, quæ juſta non eſt. Sed prævaluit invidia, variis collectis contumeliis, & iterum auditis falſis teſtibus, clamarunt: *Reus eſt mortis! Et ſurgens omnis multitudo eorũ, duxerunt eum ad Pilatũ.* Omnis multitudo; *hoc eſt,* inquit Cajetanus, *Omnes concurrerunt,* tum, ne Pilatus differret damnationem JESU, ſervando illũ in carcere, ut plenè exerceret cauſam; tum, ne aliquis favere crederetur JESU, ipſis omnibus præſentibus, ſurrexit omnis multitudo, ut quem nec ratio, nec lex, nec teſtis

ſtis aliquis de crimine convincere poſſet, multitudo malignantium infamaret, accuſaret, & reum ageret apud Judicem. Itaque modum judicii non curarunt, dummodo JESUS moreretur.

Surgente multitudine Concilii, lictores *confeſtim* de novo illi injecerunt manus. Siſtite ſceleſti! quid tantâ feſtinatione opus eſt? ſed feſtinant, ut oſtendant, quòd licèt totâ nocte benigniſſimum JESUM miſerabiliter afflixerint, licèt percuſſerint alapis; (poteſt fieri brevis repetitio,) tamen non ſint ſaturati; ideo renovato furore, paratiſſimi ſunt, ut JESUM novis doloribus & ignominiis afficiant; ideo *confeſtim vincientes* JESUM, ait S. Marcus; S. Joannes ait, *ligaverunt eum.* Ad quæ verba bene advertit Dion. Carthuſ. non eſſe intelligenda, quòd tunc primò eum vinxerunt, quia cùm comprehenderunt eum in horto, & per totam noctem ligaverunt eum; ſed, vel, quòd fortiùs, vel inhoneſtiùs ligaverunt eum, cùm eum ad Pilatum ducere voluerunt, forſitan manibus retrò ligatis; ut omnes per plateas adverterent, illum rapi, veluti magnum malefactorem. § 16. *Exp onuntur illa vocula Confeſtim vincientes JESUM.*

Sic confeſtim, & fortiùs ligatum duxerunt eum. Aliæ verſiones habent, *abduxerunt,* in quo verbo magna latet emphaſis: ad ſignificandum modum, quo eum duxerunt. Ducere aliquem, eſt idem, quod oſtendere alicui viam, in plano, & cum benevolentia. Abducere, idem eſt, quod rapere, trudere, urgere cum violentia. Ita Judith cap. 2. v. 16. Holofernes *abduxit omnes filios Madian, in captivitatem, veluti mancipia.* Hoc ſenſu queritur Nahum c. 1. v. 7. *Et miles captivus abductus eſt.* Ita ait Zacharias c. 10. v. 2. de quibuſdam peccatoribus: *Abducti ſunt, quaſi grex in inferno.* Hoc quoque ſenſu ex domo Caiphæ, abduxerunt JESUM ad Pilatum, veluti captivum, veluti mancipium, veluti beſtiam ad victimam, crudeli & peſſimo modo; ſine omni compaſſione & miſericordia, trudendo, impellendo, trahendo vinculis & catenis, percutiendo baculis, impingendo pugnos, urgendo clamoribus & blaſphemiis; imò, *pedes ejus ſubverterunt,* Job. 30, 12. hoc eſt, cadentem impulerunt, & lapſus ejus adjuverunt; nec *ullus fuit, qui ferret auxilium.* Potius cum riſu & cachinnis, § 17. *Duxerunt, vel abduxerunt.*

nis, infames lictores sibi applauserunt, quòd mansuetissimum Agnum, quòd benignissimum JESUM ita tractarent.

§. 18. *Sistitur IESUS Pilato.* Hoc itaque modo pervenerunt ad domum Pilati. Hic obstupuit, quando advertit strepitum, & tumultum adventantis populi; ut audivit, & vidit, quòd reum adducerent, sedit pro tribunali. Cùm instanter, impetuosè, & sine ulla accusatione, peterent JESUM condemnari ad mortem, Pilatus illis dixit: *Non est Romanis consuetudo, damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores; locumque defendendi se, reus accipiat, ad abluenda crimina;* nam (teste Tacito) *rei inauditi, & indefensi, tanquam innocentes pereunt.* Item: *Nulla res potest eadem esse festinata, & examinata.* Et Seneca: *Dandum est semper tempus; veritatem enim dies aperit.* Plutarchus: *Prope est, ut libenter damnet, qui citò.* Ita Daniel ad Judices, qui præcipitanter damnaverant Susannam, cap. 13. v. 8. *Sic fatui filii Israël; non judicantes, neque quod verum est, cognoscentes, condemnastis filiam Israël.* Ideoque prudenter dixit Pilatus: *Quam ergo accusationem adfertis adversus hominem hunc?* Fare Caipha, dicite Sacerdotes, loquimini Pharisæi; quid dicitis adversus Christum!

§. 19. *Iudæi vocant IESUM malefactorem.* Loco accusationis clamaverunt omnes, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* O ingrate popule! hiccine malefactor, qui te liberavit ex tam gravi jugo, & miserabili captivitate. Hiccine malefactor, qui te deduxit per mare rubrum, qui in illo submersit Pharaonem, Exod. 14. v. 24. (hoc modo poterit fieri pulchra inductio.) Sed quid ego enumero beneficia collata vestris progenitoribus, ante longum tempus? Hic Christus JESUS, quem vinctum adduxistis, & petitis, ut moriatur, estne malefactor? *Interrogentur, interrogentur,* inquit S. Augustinus tr. 114. in Joan. *atque respondeant, à spiritibus immundis liberati; sanati languidi, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes; & quod omnia superat, stulti sapientes, utrum sit malefactor* JESUS? Tota illorum probatio, quòd sit malefactor, consistit in hoc, *Si non esset;* quasi dicerent: Nos sumus tantæ veritatis & justitiæ, quòd nobis deberet credi; simplici verbo, sine alia disquisitione. Nos enim factum diligenter examinavimus,

vimus, & invenimus eum dignum morte, non oporteret ergo aliam examinationem facere.

Verùm, cùm viderunt Pilati indignationem, nec satis persuaderent sententiam mortis, has protulêre accusationes: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram; & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem, se Christum Regem esse.* Ecce quærelas Judæorum contra Christum! *Sed advertendum est,* inquit S. Bonaventura in Lucam, *quòd licèt de tribus accusaretur, Pilatus non examinavit nisi unum; quia sciebat, quòd alia erant falsa; nam cùm sanctitas & bonitas Christi appareret per miracula, & ejus famam; cùm evidens esset, quòd non prohiberet tributa dari Cæsari; solùm de tertio dubitarat, & de eo quærit, Tu es Rex Judæorum?* Respondit Christus D. intrepidè: *Tu dicis, ego sum!* ego sum ille Rex, &c. (vide in Concordantiis, Rex, & locus hic fusè poterit amplificari.) Advertit Pilatus ex aspectu Christi, & ejus loquelâ, altiorem quandam Majestatem, quæ ipsum adeo terruit, ut statim cogitaverit de modis, illum liberandi. Primus modus, qui occurrit, fuit hic, cujus meminit sacer textus, *Ut cognovit, quòd Galilæus esset, remisit illum ad Herodem.* Si placet, & eò JESUM prosequamur. §. 20. *Triplex contra JESUM accusatio.*

PUNCTUM III.

JESUS ILLUDITUR AB HERODE.

Pilatus ut cognovit, quòd JESUS de Herodis potestate esset, remisit ad Herodem, Lucæ 23. v. 7.

DE hoc mysterio ait Didacus Stella in Luc. c. 23. *Vide, quòd cùm Christus mane venisset de domo Caiphæ, in prætorium Pilati, quod ab illa septingentis quinquaginta quatuor passibus distat, modò remittitur ad Herodem; per viam acrem nimis, & acclivem ductus, quæ nimirum viginti & ducentos passus complectitur. Sciens autem Pilatus,* (ut B. Virgo S. Anselmo §. 21. *Illusio Christi D. coram Herode.*

 reve-

revelavit,) *quantâ immanitate & crudelitate, in mortem ejus conspirassent Iudæi, præmisit quosdam, qui* JESUM *ab Herode reducerent, ne ipsum in via interficerent.* Herodes, quia ex multo tempore cupiens erat videre eum, & aliquod signum, gavisus fuit; *non ut crederet, sed ut oculos oblectaret*; ait Theophylactus: imò, teste S. Anselmo, posuit Herodes coronam super caput ejus; promittens, quòd si faceret ei signum, ipsum regni sui participem faceret, & pariter cohæredem. Sed quia Christus D. post multos sermones Herodis, non respondit illi verbum; sprevit eum Herodes, cum exercitu suo, & illusit eum veste albâ. D. Ambrosius in c. 23. S. Lucæ. *O admirabilem candidatum! Candidatus est, non consulatus aut præturæ; sed, Crucis! Crucem ambit, crucem desiderat, ad crucem candidatus innocentiâ properat. Candidatus erat regni, non terreni, sed cœlestis. Regnum affectabat, non caducum, sed sempiternum: affectavit, inquam nobis, & emit sanguine suo, & consecutus est.*

§. 22. *Professio.* Jansenius ait: *Herodes satis habuit contemnere eum, à quo videbatur contemni, eique illudere, tanquam abjectissimo homini, cui nihil inesset prudentiæ, qui fatuâ quâdam simplicitate potiùs, quàm superbâ audaciâ regium nomen sibi vendicasset.* S. Bonaventura: *Sprevit eum, tanquam impotentem, quia signum non fecit; tanquam ignorantem, quia verbum non respondit; tanquam stolidum, quia coram accusantibus se non defendit.* Itaque Herodes Christum D. albâ veste indutum, veluti stultum remisit ad Pilatum.

PUNCTUM IV.

DE CHRISTI DOMINI FLAGELLATIONE.

Tunc ergo apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit, Joannis 19. cap. v. 1.

§. 23. *Initium flagellationis.* SEquitur tristissimum mysterium. Christi D. flagellatio, quam Pilatus imperavit, ut ex una parte Judæorum furori satisfaceret,

ret, ex altera verò Christum D. liberaret à morte crucis. *Corripiam eum*, ait Pilatus, *& demittam.* Aliquot ergo lictores JESUM abduxerunt ad quandam aulam, in qua saxea stabat columna, cui, postquam immani furore omnes vestes detraxissent, denudatum, manibus, brachiis, pedibus, & toto corpore, fortissimis vinculis alligarunt. *Tanta verò, (* teste S. Anselmo *) fuit pudoris Christi vis, ut nec oculos audens levare; ut quasi non audiret sævientium militum strepitum, nec sentiret flagella, quæ degustabat.* Alligato Christo D. ad columnam, triplicis generis instrumenta ante oculos ejus projecerunt in terram; apta, sed horrida, & terribilia, ad horribilem flagellationem. Fasciculos aliquot ex virgis & spinis; alios, ex nodosis funibus; alios, ex uncis, catenis, & scorpionibus, ut vocant. Qualia instrumenta furoris! *Corpus verò Christi D. fuit tenerrimum, pulcherrimum, nobilissimum, optimè constitutum, & temperatum; quale optimo jure esse debuit, quod auctore Spiritu Sancto, ex virgineo, purissimoque sanguine, confirmatum, fabricatumq; fuit*, inquit Card. Bellarminus.

Factum fuit à corporis denudatione.

Cogitate, qualem Christus D. in tenerrimo hoc corpore senserit dolorem, cùm virgis! cùm spinis! cùm bacillis! cùm funibus! cùm scorpionibus & catenis! à robustissimis lictoribus fuit dilaniatum: Initio flagellationis, carnificum fuerunt numero sex, quorum duo per vices Christum D. inceperunt flagellare, duo cum funibus, alii duo cum virgis, reliqui cum aculeatis catenis. Quibus defatigatis, successerunt alii sex, novis flagris, novis spinis, novis catenis Christum verberantes, donec junctis viribus & animis, veluti obsessi à dæmone, una simul mitissimum Agnum, toto corpore flagellarunt. Fundamentum habemus in ps. 34. v. 15. *Congregata sunt super me flagella.* Versio Hebraica: *Congregati sunt super me flagellatores.* §. 24.

Dira flagellationis instrumenta.

Vidistisne in Vulcani alicujus officina, sex vel plures Cyclopes, super incudem pulsantes ferrum, vel chalybem? taliter vobis imaginamini Christi D. flagellationem! quod simile fundatum est in ps. 128. v. 3. in quo regius Psaltes ait, in persona Christi flagellati: *Fabricaverunt super dorsum meum peccatores.* Ex vulneribus & plagis percussi JESU, cum guttis sanguinis, eruperunt ignitæ §. 25.

Similia.

scin-

ſcintillæ immenſæ charitatis,ex oculis verò tenerrimæ lachrymæ! Vidiſtis olivam ſpecioſam in campis, qualiter ab ingruente grandine, & irruentibus undiq; ventis concutitur, percutitur, laceratur, devaſtatur! Taliter vobis imaginamini, pulcherrimum JESU flagellati corpus, ab ictibus tot verberũ percuſſum, dilaceratum, dilaniatum! Vidiſtis in tempeſtuoſo mari jactatam naviculam, qualiter alliſione fluctuum percutitur, & laceratur? talis navicula in ſanguineo mari fuit ſanctiſſimum JESU flagellati corpus, tot ictuum millibus percuſſum & laceratum.

§. 26. *Deſcriptio diriſſimæ flagellationis ex SS. Patribus.* Ideo, ut S. Bernardinus ait: *Crura, & coſtæ, & corporis latera, atque dorſum, & univerſaliter alia membra in dura flagellatione afflicta fuerunt.* Ideo, teſte S. Auguſtino, *Ecce! Dominus aptatur ad verbera; ecce! jam cæditur; rumpit ſanctam cutem flagellorum violentia; repetitis ictibus crudelia verbera ſcapularum terga conſcindunt.* Ideo, (ita S. Bonaventura,) *ſtat nudus coram omnibus, juvenis elegans, & verecundus; ſpecioſus formâ præ filiis hominum, ſuſcipit ſpurciſſimorum dura flagella, flos omnis carnis, & totius humanæ naturæ; repletur livoribus & fracturis. Fluit undique regius ſanguis, de omnibus partibus corporis.* B. Virgo ad S. Brigittam l. 4. c. 70. *Erat autem Filius meus adeo teneræ & delicatæ naturæ, ut nunquam ita leviter flagellaretur, quin ſtatim ſanguis accurreret.* Ideo, (Hugo Cardinalis) *Chriſti cutis, flagellis undique lacerata, ſecta, perforata, & concuſſa fuit.* Ideo (S. Bern.) *Corpus totum adeo vulneribus conſciſſum habuit, ut à plantâ pedis, uſque ad verticem capitis, non fuerit in eo ſanitas.* Ideo (ita P. Spinola in medit.) *multæ particulæ cutis & carnis, avulſæ à corpore, volaverunt per aërem, parietibus alliſæ.* Ideo, plurimæ plagæ penetrarunt uſque ad oſſa; ideo, in lateribus apparuerunt candidiſſimæ coſtæ; ideo, multum ſanguinis defluentis in terram, conculcatum fuit pedibus lictorum; inſtrumenta etiam omnia diriſſimæ lanienæ oppleta fuerunt ſanguine.

§. 27. *Alia crudeliſſimæ flagellationis circumſtantia.* Obſervandæ ſunt & aliæ affectuoſæ circumſtantiæ. Unius meminit Iſaias cap. 1. v. 6. *Vulnus & livor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* (Eſt locus pro piiſſimo affectu.) Crudeliorem adhuc circumſtantiam addit

Regius

Regius Psaltes ps.34.v.16. *Dissipati sunt, nec compuncti:* quæ verba ita legunt alii: *Dissoluti sunt viribus proscindentes, nec compuncti, sine ullo miserationis affectu.* Ideo S. Anselmus inducit Matrem Dolorosam, sibi ita loquentem: *Existimabam siquidem, ut nudato corpore, formosis membrorum lineamentis victi, parcerent: sed eheu! in momento temporis, totalis corporis ejus superficies ita sanguine superfundebatur, ac si purpurâ circumdatus, & in stuporem, & deformitatem transformatus, omnibus apparuit, quasi leprâ percussus.* Neque tamen illum flagellantes compuncti sunt; fatigati sunt, sed absque ullo miserationis affectu: P. Suarez: *Si flagellatio facta est, animo satisfaciendi Iudæis, ut essent contenti illâ pœnâ: est verisimile, fuisse acerbissimam, sine miserationis affectu.* Dicite Auditores: Quis vobis est animus? num flagellatio Christi vos movet ad compassionem, vel non? Tangitne vos aliquis miserationis affectus? cogitatisne: O si hæc vulnera Christi potuissem circumligare? O si fovere oleo & balsamo! O si disrumpere vincula! &c. (affectus hic compassionis pulchrè poterit deduci.)

Perpendite quoque circumstantiam, cujus meminit Isaias c.53.v.2.&3. *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, unde nec reputavimus eum.* Super quæ verba nobilis Interpres ita ait: *Sic igitur,* (hoc est, quandoquidem Christus D. tam crudeliter sit flagellatus, & tam variis instrumentis, à tot lictoribus percussus,) *additur plaga super plagam, livor super livorem, fractura super fracturam, vulnus super vulnus, sanguis super sanguinem, donec corpus illud speciosum totum deformaretur, ut secundùm Prophetæ testimonium, non remaneret ei species, neque decor.* Hæc circumstantia confirmatur à Jobo c.16.v.15. *Concidit me vulnere super vulnus.* Pineda legit, *Mille complicatis malis sum afflictus. Dirupit me diruptione super diruptionem.* S. Hieronymus in persona Christi flagellati: *Dùm languoribus atque vulneribus meis adduntur plagæ innumerabiles, dividor totus resolutus, atque comminuor; ita ut nullum in me membrum residuum sit, quod aliquâ soliditate subsistat.* Pineda in persona Christi inquit: *Neque tantùm in extima cute dissecor, quia intimis etiam vulneribus proscindor; nam transfixos habeo renes, omnesque mollissimas atque tener-*

§. 21. *Crudelitas flagellationis ex Isaia & Iobo: quòd toto corpore fuerit vulneratus.*

rimas, tum animi, tum corporis partes, gravissimè transfixas. D. Laur. Justinianum quæso audite, quomodo hanc flagellationem describat: *Ligatur, caditur, totoque flagris corpore dissipatur. Nunc scapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc crura tingunt, vulnera vulneribus, plagis recentibus addunt alias. Hinc livor, inde sanguis erumpens, variatum cute decoriatâ, reddit corpus, ut membrorum compages visibiles fuerint.* S. Brigitta l. 6. cap. 20. *Christus flagellatus est, usque ad interiora.* Et l. 1. c. 10. *Totus sic laceratus stabat, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quid flagellaretur.*

§. 29. *Confirmatio ex Jobo.* De Jobo ait caput 2. v. 7. *Egressus Sathan à facie Domini, percussit Iob ulcere pessimo.* Cur unico? cur non pluribus? cùm intentio Sathanæ fuerit, commovere Jobum ad impatientiam? Respondit Orig. *Propterea una plaga memoratur, quia totum corpus, & omnia ejus membra, uno contexit ulcere, atque ad unum convertit dolorem.* Favet Isaias, cap. 1. v. 6. dum inquit: *A planta pedis, usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Olearius legit: *Non est in eo integritas.* Textus Hebræus, *Non est in eo forma humana.* Propter hæc omnia Benedictus Fernandinus, super verba illa psalmi, *Dolor meus in conspectu meo semper*, ita discurrit: *Fuit adeo acerbum hoc supplicium flagellationis, ut per antonomasiam appellet Dominus dolorem suum; & ad quem, uti omnium, quos in passione perpessus est, crudelissimum perferendum; à primo conceptionis suæ momento, & oculos, animumque intenderit, & corpus ipsum carnificinæ paraverit;* millies suspirans ad æternum Patrem: *Ego in flagella paratus sum.*

§. 30. *De lapsu Christi ante columnā.* Fatigatis tandem lictoribus, & quòd non superesset in sanctissimo Christi corpore, quod flagellarent, scissis vinculis, contigit amantissimo JESU, quod olim Eleazaro, viro fortissimo, de quo Josephus Judæus refert. Cùm hæc Eleazarus diceret, *armatorum, qui circumstabant, manibus traditur, ad pœnam; nudatur, suspenditur, flagellatur.* Magnanimus autem Eleazarus, nec flagellis, nec tormentorum ictibus fatigabatur. Tamen fragilitatis humanæ conditione, quæ cruciatus tam exquisitos ferre non poterat, in faciem semilaceram ruit. Ecce figuram flagellati JESU! (applica hæc illi, cum affectuosa repetitione, & descriptione,

quo-

quomodo JESUS ante columnam lapsus fuerit in terram.)

§. 31. *Qu m SS. Patres pathetice descripserunt.*

O commiserationem! ô tyrannidem! *Postquam solutus fuit à columna, præ fatigatione ultro prolabentem, prostraverunt in terram, & humi jacentem, acerrimè flagellarunt*, inquit S. Aug. apud S. Thomam. Item: *Prô dolor! jacet extensus ante hominem DEUS, & supplicium patitur, in quo nullum peccati vestigium potuit reperiri.* O commiserationem! ô crudelitatem! quæ implevit versum 18. capitis 22. Isaiæ: *Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram.* Oleaster ita legit: *Volvendo volvet te, revolutione sicut pilam.* Ergo? pila fuit Jesus? hoc sensu: Jesum flagellatum unus lictorum ita impulit ad latus dexterum, alius ad sinistrum, alius antrorsum, alius retrorsum, verteruntque in gyrum, volvendo, & revolvendo, ut luserint cum illo, quasi cum pila. O lusum! de quo Tertullianus dixit: *Dominicum corpus à columna ad terram delapsum, tanquam pilam pedibus sacrilegis exagitabant.* Ideo,

§. 32. *Prosecutio.*

Redeo ad Eleazarum, de quo iterum Josephus: *Vnus ex armigeris percitus furore, atque insaniâ, ut Regi se fidelem præberet, jacentem calcibus suppressit.* Idem de Christo Domino asserit D. Laurentius Justinianus de tr. ag. cap. 19. *Quid, quòd nonnulli calcibus Dominum pessundantes, scapulas, os, & omne corpus ejus livoribus compleverunt; ille beatior! ille præstantior! celebrabatur, qui in contumeliis irrogandis, infligendisque verberibus, crudelior extitisset.*

§. 33. *Quomodo Christus D. in flagellatione à Davide vocetur Vermis.*

Talia, cùm in spiritu prævidit Regius Psaltes, in persona Christi ingemuit, ps. 21. v. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Hoc est, prout revelatum fuit S. Brigittæ: *Ego reputor quasi vermis*, (non quilibet, sed) *qui quasi mortuus in hyeme jacet; in quem transeuntes exspuunt, & calcant in dorso ejus: sic fecerunt mihi Iudæi, quasi vermi; quia abjectissimus, & indignissimus ab eis reputatus sum;* quod tum contigit, cùm in jacentem ante columnam exspuerunt, & pedibus eundem conculcarunt. Nunquid tunc piissimus Jesus cum eodem Davide ad Patrem suspirare potuit, ex ps. 55. vers. 1. *Miserere mei*

DEUS! *quoniam conculcavit me homo, conculcaverunt me inimici mei, quoniam multi bellantes adversum me.*

§. 34. *Apostrophe ad Auditores, cum pathetico affectu.* Iterum vos compello Auditores! quis, dum talia auditis, vobis est animus? Mihi, nil lubet, quàm flere! Seraphicus S. Franciscus, visus aliquando tenerrimas profundere lachrymas, causam rogatus, dixit: *Video, qualia bonus IESVS pro nobis sit passus; & tamen tam pauci sunt, qui illi compatiantur.* An fortassis ex me quæritis Auditores, quare mihi lubeat flere? O superbi! vos video armatos novis virgis & spinis, ut meum JESUM iterum flagelletis & cædatis! Ideo lubet mihi flere! O luxuriosi! in sceleratis vestris manibus, in libidinosis vestris oculis, in spurcissima lingua vestra, ferreas & aculeatas cerno catenas, & illis sanguinolentum JESU mei corpus novis vulneribus conscindatis! Ideo lubet mihi flere! O obdurati peccatores! vobis occinit piissimus JESUS illud Threnorum cap. 1. v. 12. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus!* *Convertimini, convertimini, ad Dominum DEVM vestrum,* &c. sed frustra! mavultis, JESUM flagellatum, iterum pedibus conculcare, quàm cupiditatibus vestris injicere frænum. Ideo lubet mihi flere! Fili, scio! à longo tempore odio prosequeris inimicum tuum! Scio, spiras vindictam. Per JESU flagellati vulnera, per virgas, flagra, flagella, per roseum ejus sanguinem, obsecro & obtestor, parce! ignosce! da hoc tuo JESU, qui pro te flagellatur! frustrà ago! ut video! infernalis Lucifer, qui vindictam suadet, fortior est in scelerato corde tuo, quàm sit JESUS Salvator tuus! Ideo nil mihi lubet, nisi flere. Loquere tu sacrilege pœnitens, qui, &c. (implora peculiarem gratiam Spiritus S. ut contra hos patheticum tibi inspiret affectum, cum fructu, &c.)

§. 35. *Alia Apostrophe ad Animas pias, ut sint memores sanguinei lapsus Christi D. ante columnam.* Vos animæ piæ! quæ aliter sentitis; quæ angue pejus prosequimini quodvis peccatum mortale, peculiariter rogo, ut sanguinei hujus lapsus Christi D. ante columnam, post diram ejus flagellationem, non obliviscamini. Inter cæremonias Missæ, Sacerdos, postquam ante Agnus DEI sanctissimam Hostiam fregit in duas partes, parvulam particulam projicit in sacrum Calicem, sive sanctissimum Christi sanguinem; ut mente S. Brigittæ, per

hanc

hanc cæremoniam nobis ponatur ob oculos, JESUS flagellatus, ante columnam prolapsus in terram, jacensque in sanguine suo. Obtestor vos Auditores! ab hac die, quotidie in sacrificio Missæ post Orationem Dominicam, memores estote hujus lapsus, & cum viva fide, solida spe, ardenti charitate, cum intimo dolore, de omnibus peccatis, corde contrito & humiliato, percutite pectus, & dicite, Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Neque dubitate, obtinebimus misericordiam!

Finio discursum de mysterio flagellationis piissima salutatione D. Bonaventuræ ad Christum D. *Ave IESV Christe, Verbum Patris! Filius Virginis! Agnus DEI! Salus mundi! Hostia sacra! Verbum caro! Fons pietatis! Ave IESV Christe, laus Angelorum! Gloria Sanctorum! Visio pacis! Deitas integra, verus homo! Flos & fructus Virginis Matris. Ave IESV Christe, splendor Patris! Princeps pacis! Ianua cœli! Panis vivus! Virginis partus! Vas DEItatis! Ave IESV Christe, Vita dulcis! Veritas vera! Præmium nostrum! Charitas summa! Fons amoris! Pax & dulcedo! Requies vera, Vita perennis! Ave IESV Christe, lumen cœli! Pretium mundi! Gaudium nostrum! Angelorum panis, Cordis jubilus! Rex & sponsus Virginis Matris.* Ex hac salutatione, advertite Auditores, quos thesauros habeamus in Christo, cui sit laus & gloria in sæcula sæculorum. §. 16. *Pia & magnifica ad Christum D. salutatio.*

PUNCTUM V.

DE SPINEA CHRISTI D. CORONATIONE.

Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus; & veste purpureâ circumdederunt eum, Joannis cap. 19. v. 2.

SUperflui rami spinarum, ex quibus colligaverunt virgas, ad Christi D. flagellationem, præbuerunt causam, ut nequissimi lictores, ad majus tormentum & ludibrium, ex illis formaverint spineam coronam, vel spinosum pileum, quem §. 17. *Quales fuerint spinæ spineæ coronæ.*

 augu-

augustissimo capiti, veluti ludicri Regis, ut putabant, imposuerunt. Sed quales fuerunt spinæ? Theophrastus putat fuisse de rhamno, de quo ait: Rhamnus est spina semper frondens, ac perpetuò virens, ut ne hyeme quidem, nec gelu flavescat, aut aculei retundantur. Tertull. de cor. mil. de illis ait: *Acres certè, & peracutæ fuerunt spinæ, quæ Domini tempora, & fœdaverunt, & laceraverunt.* Quot *spinarum acumina, tot mortes.* Titellmannus illas vocat: *Spinas pungentes, uncosque acutissimos.* S. Bonav. de pass. Dom. ita describit: *Afferuntur ex spinis acutissimis & longissimis ramusculi quidam, densas habentes spinas, velut clavos cum mortali cuspide, artificiosè confectos; & statim ex his sertum quoddam, in formam coronæ conficitur, quod sic spinis condensum, venerando imponitur capiti.* S. Bernardus: *Caput Angelicis tremendum spiritibus, spinarum densitate pungitur.* Quæ densitas, & fortitudinem spinarum, & multitudinem significat.

§. 38. *Coronationis hujus causa.* Causas hujus inventionis, ut Christum D. coronarent spinis, bene observavit Maldonatus in c. 27. S. Matth. *Imposuerunt coronam Christo, ut Regi: de spinis, ut condemnato; ut significent, non verum, sed ridiculum, & miserabilem esse Regem. Eodem pertinet, quòd arundinem in dextera ejus pro sceptro ponunt.*

§. 39. *Crudelis ejusdem modus ex SS. PP.* Modum spineæ coronationis SS. Patres, & Interpretes ita describunt; Jansenius: *Non simpliciter coronam capiti imposuerunt, sed ut erant omni carentes misericordiâ, ac planè insanâ quâdam petulantiâ licenter efferati; ita verisimile est eos, coronam illam fortiter capiti imposuisse. Vnde notat quidam, dictum à S. Marco, & S. Ioanne, quòd imposuerunt capiti ejus coronam, quasi significare voluerint, intimè affixam.* Titellmannus: *Lascivi milites, pungentes spinas, juncosque acutissimos, accipientes, plexerunt quasi in coronæ similitudinem, eamque benedicto illius capiti imponunt, vique magnâ imprimunt.* S. Bernardus: *Corona spinea! non leviter, sed invidè impressa est capiti dulcissimo; dulcis IESV! satis enim consentit veritati, ut qui oderant veritatem, non solùm opprobrium illius, sed etiam supplicium requirerent.* S. Anselmus: *Hanc coronam cum lancea percutientes, capiti ejus imprimere conabantur.* S. Bonaventura: *Figuntur spinæ cuti pretiosissimæ, usque ad cerebrum penetrantes.*

Quot

Quot ſpinarum acumina, tot mortes. S. Brigitta: *Corona ſpinea capiti ejus arctiſſimè fuit impoſita.*

§. 40. *Quomodo JESUS in ſpinea coronatione ſenſerit ſe mori.*

Tiberius, crudeliſſimus Imperator, ejus fuit opinionis; *Miſericordiæ genus eſſe, hoſtem citò occidere.* Dicere proinde ſolitus: *Sentiat ſe mori!* Quomodo Chriſtus D. in ſpinea coronatione ſenſerit ſe mori, colligere poſſumus ex verbis, vel diſcurſu Patris Suarez, diſp. 35. ſect. 3. *Veriſimile eſt, ſpinas ita fuiſſe infixas per ſuperiorem capitis partem, ut per inferiorem ſanguine conſperſæ prodirent; atque hac ratione fortiter in carne fixæ hærerent. Unde neceſſe erat, vehementem ſequi dolorem; præſertim quando venas ſimul, & nervos trajeciſſent.* Si enim de una ſpina ille ait, *Quantula eſt punctura ſpinæ! & quantùm hominem domat?* Punctura unius ſpinæ in pede, ferocem leonem convertit in agnellum. Eheu! quid ergo in capite JESU fecit ſpinea corona, quæ (D. Vincent. Ferrer.) *in ſeptuaginta duobus locis eum crudeliter vulneravit.* Quid fecerit? illa corona, quæ (S. Bern.) *mille puncturis ſpecioſum ejus caput divulneravit.* Iterum S. Vincentius: *Quis? quis ſatis cogitare poteſt, quantus dolor, venerandum illud caput, tot aculeis confixum, affecerit, cùm nos ad unius ſpinæ puncturam, ferè intolerabili dolore vexemur.* D. Laur. Juſtin. de tr. ag. c. 14. *Capitis delicati ſenſibilitatem conſidera, ſpinarum punctiones, cerebrum perforantes mirare.* S. Brigitta in Revelat. *Tam vehementer reverendum ejus caput ſpinea corona pupugit, ut ex ſanguine fluente replerentur oculi ejus; obſtruerentur aures, & barba tota, decurrente ſanguine deturparetur.* O bone JESU! quàm ſenſiſti te mori!

§. 41. *An dolor! an deriſio Chriſti fuerit major.*

Piiſſimam quæſtionem proponit S. Bernardus de paſſ. Dom. c. 4. *O Rex gloriæ! corona omnium in te confitentium! quis te tam amaro vinculo confuſionis addixit? ecce, operit confuſio caput tuum, & faciem tuam amabilem! ingeritur tibi à generatione prava, & amaricante, horror deriſorius in corona: ſed ſpinarum aculeis contendunt in te, dolor & confuſio. Neſcio, in utro magis puniaris! corona deriſionem, ſpinæ ingerunt punitionem.*

§. 42. *Quantum diſcrimen inter ſpi-*

Sed loquere, loquere mi Domine, (inquit D. Laur. Juſtin. de tr. ag. c. 14.) *ut audiat ſervus tuus, & enarra: ſi fortè tu idem ipſe es,*

qui

neam coronationem. & clarificationem Christi D. in monte Thabor.

qui glorificatus in monte, Divinitatis tuæ potentiam discipulis ostendisti? Si tu es, de quo loquor, quomodo immutatus es? quomodo pristinum amisisti decorem? Regia dignitas! honorabilis aspectus! fulgentissimus faciei splendor! vestimentorum candor, cur sic repente pertransiit? Cur insuper, mi JESU! tanta toleras? tantâ patientiâ! responsum dedit ille Poëta, qui in persona Christi cecinit:

Cingentem caput, & cerebrum gestare coronam,
Cogit amor! cogit vulnera tanta pati.

§. 43. Alia luctuosa circumstantia spineæ coronationis.

Aliæ quoque circumstantiæ spineæ coronationis sunt luctuosæ. Sacer textus ait: *Posuerunt arundinem in dextera ejus; & genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Iudæorum! & exspuebant in eum.* Rupertus: *Hæc illi quidem ludentes! sed crudeli joco! Apud sapientes enim, & honestos gravius est, aliquâ notâ confundi, quàm mori!* inquit S. Zeno ser. 35. in Isaiam. Ludentes, *rabiem suam in eum exercuerunt, ingentem id sibi voluptatem, solennitatemque existimantes*, si omni modo ei illuderent; ideoque (Thren. c. 2. v. 15. *Plauserunt super eum manibus, sibillaverunt, & moverunt capita sua.* Hoc est, ut magis ei illuderent, præ nimia lætitia conclamabant, & manus complodebant, dicentes: *Ave Rex Iudæorum*; cùm particula *Ave*, idem significet, quod *gaude*: quasi dicerent: O stulte Propheta! O pauper Fili DEI! O seductor! Cogitate, has blasphemias & contumelias acerbiùs læsisse aures benignissimi JESU, quàm id fecerint spinæ, (jam gaude! Ecce Rex es! gaude. Ecce purpuram! gaude. Ecce sceptrum! gaude. Adoramus te! gaude, &c.

§. 44. Alia coronationis descriptio ex SS. Patrib.

Pergit S. Bernardus de Pass. *Vultum ejus desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes oculos adimplet lætitiâ, quem deprecantur omnes divites plebis, pollutis labiis suo sputo coinquinarunt.* Pergit S. Bernardus: *Alii manu versâ percutiebant os ejus mellifluum; alii sanctissimam evellebant barbam; alii crines trahebant; & quidquid injuriosum, proterva eorum occurrebat voluntati, in eum explebant. Regali purpurâ induitur, sed plus in ea despicitur, quàm honoratur. Sceptrum in manu gestat, sed eo ipso*

caput

caput ejus reverendum feritur. Adorant coram ipso, positis in terram genibus, & Regem clamant, & continuò sputis amabiles ejus genas conspurcant, maxillas palmis concutiunt, & honorabile collum exhonorant. Paucissimis verbis, summum coronationis hujus ludibrium proponit S. Chrysostomus: *Quod fiebat in Christo, ultimus contumeliæ terminus erat, ad extremam injuriam, in faciem Regis exspuerunt.*

Quis non exclamet cum D. Laur. Justin. de tr. ag. c. 14. *O inaudita à sæculis crudelitas! O horrendum spectaculum! Regem aspicere gloriæ, cui cœlorum famulantur obsequia, tantis lacessiri injuriis! opprobriis gravari, atque incomparabilibus dilaniari pœnis! mirabantur cœli, omnesque cœlestium spirituum legiones, videntes, Verbum, per quod facta sunt omnia, contemni à perfidis, sapientiam hominum, sordidissima super se sputa suscipere; undique Filium DEI attritum, despectum, agitatum, illusum.* S. Bernardinus: *Qui est gloria Angelorum, factus est ludibrium peccatorum: qui altus est in dignitate, est infimus in vilitate: qui sublimis est in gloria, abjectus est in ignominia!* §. 45. *Affectus admirationis ex D. Laur. Justin.*

Quis non dicat cum S. Basilio, orat. 27. *Quo digna sunt hæc gemitu? Quis Ieremias hæc pro dignitate lamentetur?* (si opus sit dilatatione, poterunt hîc ex Threnis Jeremiæ formari pulcherrimi affectus tristitiæ, cum repetitione dictorum de spinea coronatione.) § 46. *Et ex S. Basilio.*

Finio mysterium spineæ coronationis, eleganti dicto D. Laurentii Justin. de tr. ag. c. 14. *Sume igitur nunc, anima, lamentum grande; plange dolores Domini tui; dopone nuptialem vestem, & ornamenta regalia, tibi concessa; induere cilicio, asperge caput tuum cinere, faciem immuta; atque cordis gemitu, illius leni dolorem. Totum te illi conforma, & si non vales corpore, saltem hoc age mente.* §. 47. *Epilogus.*

CONTINVATIO HISTORIÆ PASSIONIS.

PUNCTUM I.

Ecce Homo, Joan. 19. v. 6.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit varia mysteria, quæ in hisce binis voculis, *Ecce Homo*, continentur, quibus iniquus Judex Pilatus JESUM populo ostendit.

§. 1. *Pilatus educit* JESUM *in conspectum populi.*

§. 2. *Quàm varia mysteria contineantur in binis his voculis*, Ecce Homo.

§. 3. *Expositio S. Augustini.*

§. 4. *Iob figura Christi Domini.*

§. 5. *Qualis homo fuerit Christus D. in hoc mysterio.*

§. 6. *Hæ binæ voculæ*, Ecce Homo, *continent compendium totius vitæ & passionis Christi Domini.*

§. 7. *Conspectu IESV, Iudæi fuerunt magis irritati.*

§. 8. *Inconditi illorum clamores, & vociferationes fuerunt*, Tolle.

§. 9. Crucifige.

§. 10. *Populi concursus.*

§. 11. *Iniquissimum Pilati judicium.*

§. 12. *IESVM condemnatum ad mortem, de novo vincierunt, & percusserunt.*

§. 1. Pilatus educit IE-

POstquam Pilatus conspexit Christum D. in flagellatione, & spinea coronatione tam crudeliter & miserè tractatum; persuasit

[SVM in co spectum populi.]

suasit sibi, esse impossibile, efferatos licèt Judæos tam miserabili spectaculo, non commoveri ad misericordiam. Ultimum ergo tentavit remedium, an innocentissimum JESUM à morte liberare posset, & accusantium furori satisfacere. Ad quem finem, & immensam populi multitudinem, quæ ante foras palatii concurrerat, ex edito loco ante aliquam fenestram inter manus lictorum, ostendit illis JESUM fortiter ligatum, & elevatâ purpurâ, quâ ad ludibrium indutus erat, digito illum commonstrans, ait: *Ecce homo.* Quot, quanta, quàm alta mysteria nobis proposuit Spiritus S. per has duas voculas, ab iniquissimo Judice prolatas, *Ecce homo.*

[§ 2. *Quàm varia mysteria contineantur in binis his voculis,* Ecce Homo.]

Inprimis enim nullus pictor, vel orator, magnitudinem passionis Christi nobis clariùs depingere, vel explicare potuit, quàm id fecerit Pilatus his duabus voculis, *Ecce homo*; cùm enim ex una parte negatione sententiæ Judæos absolutè offendere nollet, & ex altera honestâ ratione, adamantina illorum corda ad pietatem erga Christum commovere vellet, ait, *Ecce homo.* Habent hoc oculi, ut viso miserabili statu alicujus hominis, inclinent cor & viscera ad compassionem. Itaque ait, *Ecce homo*, q. d. accusatis illum, quòd se vocaverit *Filium DEI*; hæc vulnera ostendunt aliud. Accusatis illum, quòd se vocarit *Regem*! ecce insignia, spineam coronam, vilem purpuram, arundinem. Ita tractatus, nullum excitabit tumultum in populo. Quo sensu ostendit Pilatus, quàm libenter liberasset JESUM, &c.

[§ 3. *Expositio S. Augustini.*]

S. Augustinus hæc verba ita exponit: *Sic Pilatus verbo, digitoque illum ostentans, testimonium tulit, quòd homo esset, secus pro homine non habendus.* Ita Isaias mente prævidens horridum spectaculum Christi D. spinis coronati, dixit cap. 53. v. 2. *Non est species, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus.* Ac si diceret, ait Pinto, *Oculis mentis vidi Christum, adeo deformatum, alapis, sputis, sanguine, vulneribus, ut non videretur homo.* Unde necesse fuit, Pilatum affirmare, esse hominem. Peculiarem circumstantiam advertit S. Brigitta; Os scilicet Christi Domini, & labia, & genas, & nasum, & oculos, & frontem, & totum caput, tunsionibus, plagis, pugnis, & spinarum aculeis ita intumuisse; adeoque sanguine & sputis omnia fuisse oppleta, ut nulla appareret forma, vel

ſpecies humani vultus, ut non videretur eſſe homo. *Non erat in eo forma humana. Tam deformis fuit*, ait Oleaſter, *ut ampliùs non reputaretur vir.*

§. 4. *Iob figura Christi D.* Figura fuit ulceroſus Job c. 2. v. 12. cùm enim ad ipſum venerunt amici ejus, *non cognoverunt eum.* Rationem hanc affert S. Gregorius M. l. 3. mor. c. 20. *Erat enim immutata facies, ex ulcere.* Item: *Non cognoverunt, quia percuſſi ſpeciem plaga mutaverat.* Putridum, & ſanguine plenum cadaver, fuit illis viſum corpus Jobi; cùm ob ulcera à planta pedis, uſque ad verticem capitis, non eſſet in eo ſanitas. Et vos, non amici, ſed inimici Chriſti Domini, qui accurriſtis, non ut afflictum viſitetis, ſed ut audiatis eum condemnari ad mortem; conjicite ſaltem priùs in ipſum oculos veſtros, & quis ex vobis cognoſcit eum? fare Caiphas, eſtne hic ille, quem ante paucas horas tradidiſti Pilato? dicite Judæi, eſtne ille, quem adduxiſtis? eſtne ille, quem petitis ad mortem? Non cognoviſſent illum, niſi Pilatus aſſeveraſſet, *Ecce Homo*! ita ille ait; homo eſt, ſed ſimul viva mors! Chriſtus tot adverſa pertulit, ut ferè capacitatem hominis exhauſerit, & omnino deſinere, & ceſſare deberet, ſtatim deberet mori; ſed ecce, eſt adhuc homo: ſed ærumnoſus, & omnium miſerrimus.

§. 5. *Qualis homo fuerit Christus D. in hoc myſterio.* Homo eſt! ſed nudus, colaphis cæſus, maledictus, perſecutus, tanquam purgamentum hujus mundi, factus eſt omnium peripſema. Homo eſt, ſed ſicut aqua effuſus eſt, & diſperſa ſunt omnia oſſa ejus, hoc eſt, inquit Lyranus: *Omnis ab eo dilapſa eſt fortitudo virium, ac roboris: proinde acſi oſſibus abſque carne ſolis hæreret.* Homo eſt! ſed ſpiritus ejus attenuatus eſt, diſſipatus, deſperatus, Tigurina, Jam animam agit. *Ecce homo*! ſed ſimul vermis, opprobrium hominum, & abjectio plebis. *Ecce homo!* cujus membra quaſi *in nihilum redacta ſunt.* Job. 17. v. 7. hoc eſt, ex mente Pinedæ, *Membra atque partes corporis ita deformes habet, ut immutatâ jam figurâ, & totius corporis habitu, evanuiſſe totus videatur, & non tam hominem, quàm umbratilem hominis figuram illum eſſe dicat, qui illum viderit. Ecce homo*! ſed factus eſt, tanquam *vas perditum*, pſ. 30. v. 13. hoc eſt, factus eſt veluti deploratum, inutile cadaver, ſine vita, ſine uſu, ſine utilitate: exciſa eſt anima ejus; actum eſt de vita ejus.

ejus. *Ecce homo!* cujus facies & color immutatus, declarat intimum animi dolorem, & animi agoniam. *Ecce homo!* sed qui homine mortuo est miserabilior.

Non malè meo judicio dixit, qui asseruit has duas voces, *Ecce homo*, continere compendium totius vitæ & passionis, v. g. Ecce, iste est homo, qui in laboribus fuit à juventute; iste est homo eximius ille concionator, ille patrator tot miraculorum, &c. si aliquid peccavit, ut clamatis, licèt innocentia clamet contrarium, satis luit; itaque parcite. Sic tractatum, *dimittam*, ait Pilatus. §. 6. *Hæ binæ voculæ*, Ecce Homo! *continent compendiũ totius vitæ & Pass. D.*

Sed ait sacer textus: *Cùm ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige eum, crucifige eum. Tolle, tolle, crucifige*, q. d. Evangelista: *Quia viderunt, in majorem furorem provocati sunt, velut feri canes, qui solo visu adlatrant, instanter, & ardenter eum crucifigi petentes.* Rupertus putat, Judæos exclamasse ex ps. 34. v. 21. *Euge, euge, viderunt oculi nostri*; q. d. *Hactenus bene actum est, quod nunc restat, exequere, crucifige, crucifige eum.* Viso Christo, sicut ignis injecto oleo exardescit, ita irâ isti magis inflammati sunt. Debuerant planè saxea emolliri corda, omnemq; indignationem evomere, *ad aspectum talis ludibrii*, inquit S. Laur. Justin. sed mox, ut Dominum prospexerunt, vesaniâ commoti solitâ, clamavêre dicentes: *Crucifige, crucifige!* ferina rabies gavisa fuit sanguine, & in viperas atque serpentes illos convertit. Ideoque deceptus fuit Pilatus opinione suâ; *nesciebat* (Toletus) *enim illos diabolico spiritu agitatos, tales esse, qualis is est, qui eos excitabat.* Est autem diabolus implacabilis, & nullâ miseratione commovetur, nec hominum desolatione exsatiatur. Tales diaboli fuerunt Judæi erga Christum D. §. 7. *Conspectu* IESV, *Iudæi fuerunt magis irritati.*

Ideo clamarunt, succlamarunt, vociferabantur, instabant magis vocibus, auxerunt clamorem, invaluerunt voces, *Tolle, tolle!* quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. *Tolle*, quoniam gravis est nobis, etiam ad videndum. *Sic invidia fecit illos valde teneros, qui bonum hominem sine læsione videre non possent.* Ideo dæmoniaco spiritu repleti, à conspectu etiam tolli petunt, quasi sustinere eum non valeant. Elephanti si ostendatur sanguis uvæ, vel mori, acuitur in prælium; idem accidit sceleratis Judæis, §. 8. *Inconditi illorum clamores, & vociferationes*, Tolle.

viso sanguine innocentis, exarserunt magis, ad petendam ejus mortem. *Tolle, tolle!*

§. 9. Crucifige. Super voculam *Crucifige*, pulchrè ait Vener. Beda: *Magna crudelitas! non solùm occidere, sed & crucifigere quærunt, ut pedibus & manibus ad lignum confixis morte vexaretur productâ; nec tantùm producta, sed & acerba, secundùm illud* ps. 21. v. 17. *foderunt manus meas, & pedes meos: nec tantùm acerbâ, sed ignominiosâ, juxta illud, morte turpissimâ condemnemus illum.* Nec semel, sed bis dicunt, *Crucifige, crucifige! Repetitio animi ardorem & furorem significat.* D. Bonav. *Ecce dilectissimi, duritia lapidum, duritia eorum, & nequitia serpentum, nequitia eorum.* Audite, quomodo deteriores fiant; ajunt enim, magis ac magis clamantes: *Crucifigatur*, ac si dicerent: Turpe est nobis, jam in eum aspicere, jam aspectum illius ferre non possumus; tollatur de medio nostrûm, & non ampliùs vivat; sed turpiter tractatus, & contumeliis affectus, crucifigatur. Puto Christum D. ad hos clamores ingemuisse cum Jeremia, & dixisse ex c. 12. v. 18. *Facta est mihi hæreditas mea, populus Israël, quasi leo in silva, pariter rugiendo: dedit contra me vocem, dicens, Crucifige!*

§ 10. Populi concursus. Novam circumstantiam ponderat Cajet. ex illis verbis ps. 93. v. 21. *Concursant adversus animam justi, ut sanguinem innocentem condemnent.* Omnes concurrerunt ad hoc, (hoc est) urserunt sententiam, tum ne scelestus Pilatus differret damnationem JESU, servando ipsum in carcere, ut plenè exerceret causam: tum ne aliquis favere auderet JESU, ipsis omnibus præsentibus. Item, ut quem nec ratio, nec lex, nec homo aliquis de crimine convincere poterat, multitudo malignantium infamaret, & reum apud Judicem redderet.

§. 11. Iniquissimũ Pilati judicium. Sic tandem prævaluit Sacerdotum dolus, & succensa vis odii, cui resistere nequivit Præsidis infirma voluntas; deceptus suâ opinione, tandem satisfacere volens populo, sedit pro tribunali, & quem toties appellaverat innocentem, Judæis tradidit ad crucifigendum. *Adjudicavit fieri petitionem eorum. Et sciens se facere injustè, nihilominus fecit, & ut complaceret injustitiæ Judaicæ, damnavit DEI justitiam.*

Post

Post latam mortis sententiam, lictores confestim de novo vincierunt JESUM; quod non sic est intelligendum, quòd tunc primùm eum vinxerunt, imò quando comprehenderunt, ligaverunt eum; sed vel, quòd fortiùs, vel inhonestiùs ligaverunt eum, cùm eum ad montem Calvariæ educere voluerunt, forsitan manibus retrò ligatis, saltem, donec crucem illi imposuerunt. Probabile est, quòd interim, dum aliqui illum ligaverunt, alii, tanquam jam condemnato ad mortem, alapis, colaphis & pugnis frequenti repetitione insultarint. Sed! ô qualis olim erit metamorphosis in valle Josaphat! (habes locum pro pathetico affectu.) § 12. *IESVM condemnatū ad mortem, de novo vincierunt & percusserunt*

PUNCTUM II.

Christi ad mortem condemnati Innocentia, omnium testimoniis comprobata.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

CHristus Dominus licèt innocens, à Pilato Judice iniquissimo ad satisfaciendum populo, ad mortem crucis condemnatur.

SAtisfactum est Judæis! tulit Pilatus sententiam mortis, ut Christus crucifigatur! currunt lictores, ut præparent crucem: antequam ad illam rapiatur, rogo vos, ut illius, qui condemnatus est, § 1. *Comparatio inter Abelē & Cainum: Christū D. & Iudæos.*

eſt, innocentiam conſideretis. Omnium myſteriorum hæc eſt primaria circumſtantia, paſſus eſt innocens! flagellatus eſt innocens! &c. etſi enim nocens, & proprii criminis reus, talia protuliſſet, nunquam hominem redimere potuiſſet. Ecce itaque JESUM, & Judæos, ejus accuſatores. Cogitate vos videre Abelem & Cainum. De utroque ait S. Leo ſer. 109. *Abel pulchrum in ſe innocentiæ ſimulacrum divinis oculis oſtendebat: quòd ex oppoſitione ad larvalem in Caino invidiæ facem, plus placebat.* Et Tertull. infrà citandus: *In Caino, index animi vultus erat; triſtis animus, atrâ bili pro atramento utens, trucem iracundiæ imaginem, in Caini facie effigiaverat; ad quam compoſita pulchra manſuetudinis effigies, quæ in Abelis vultu, coloribus quantumvis mortuis, picta videbatur, pulchrior apparebat.* S. Ambroſius l. 1. de Abel: *Quem Cain, ut inſipiens odio, non poterat rectis oculis, erectâque facie intueri, quia dum in illo, quaſi in ſpeculo virtutis ſimulacrum apparebat; in ſe ipſo horrendum malitiæ monſtrum exhorrebat.* D. Hieron. ep. 5. *Ab Abele, virtutis ſpeculo oculos avertebat Cain, ne in eo videre ſuorum criminum maculas cogeretur.* Veriſſima hæc omnia, de Chriſto D. & Judæis! In JESU cernite pulchrum innocentiæ ſimulachrum, quo etiam divini oculi delectantur; In Judæis, larvalem invidiæ facem, hæc fax illorum incendit oculos, incendit linguas, incendit corda! ſed eò pulchrior & candidior eſt innocentis Abelis innocentia! In facie JEſu, licèt deformi, licèt ſputis & alapis fœdata, fulget index interioris innocentiæ! Triſtis Judæorum animus, atrâ bili, velut atramento trucem pinxit imaginem iracundiæ; cui oppoſita Agni manſuetudo eſt pulchrior! Auguſtiſſimam Chriſti D. faciem, perfidi Judæi rectis oculis, erectâque facie intueri non audent, quia dum in illo, quaſi in ſpeculo, ſimulacrum virtutis inſpectant, in ſe ipſis horrenda malitiæ monſtra exhorrent; ideo cum execratione avertunt oculos. Sed fruſtra agunt, in varium nituntur; fruſtrà *ponunt in cœlum os ſuum,* (pſ. 72. v. 9.) *& malè de illo loquuntur*; fruſtrà, (Numer. 5. v. 20.) *dicunt bonum, malum: & malum, bonum: ponentes lucem tenebras.* Triumphat innocentia Chriſti! ſilete viperæ! obmuteſcite baſiliſci! omnium teſtimoniis innocentia Chriſti comprobatur.

§. 2. *Fuit hi-stus D. lapis, & à sep-tem oculis probatus.*

Ut adimpleretur visio Zachariæ 3. v. 9. *Ecce lapis, quem dedi coram IESV, super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego cælabo sculpturam ejus, &c.* Fuit hic lapis figura Christi Domini, juxta illud Act. 4. v. 11. & 1. Petri 2. v. 9. *Ecce, mittam in fundamento Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Instrumenta probationis fuerunt fustes, & flagra. Instrumenta sculpturæ, spinæ, clavi, crux, lancea: ita sculptus est, ut à planta pedis, usque ad verticem capitis, non fuerit in eo sanitas. Hoc modo probatum est corpus. Innocentiam ejus septem probarunt oculi, consideratunt, inspexerunt, sed nullum nævum affingere potuerunt, *est inventus sine omni nævo.* Potiùs innocentem pronuntiarunt, præcipuè illi, qui condemnationi & morti Christi sunt cooperati.

§. 3. *Primus oculus Sacerdotum.*

Primus oculus fuit Principum & Sacerdotum, collegerunt hi concilium adversus JESUM, dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.* Sed propter quod illum occiderent, non invenerunt; imò sententia summi illius anni Sacerdotis Caiphæ; *Vos nescitis quidquam,* (Joan. 11. v. 47. & 49.) *nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*: quasi diceret, licèt innocens sit, tamen pro bono communi mori debet. Hæc, hæc inquam sententia, manifestum est suffragium innocentiæ Christi.

§. 4. *Secundus Regis Herodis.*

Secundus oculus fuit Regis Herodis, steterunt coram eo Principes Sacerdotum & Scribæ, *constanter accusantes eum*, nihilominus Herodes illum tanquam innocentem remisit ad Pilatum, & coram hoc tribunali triumphavit & vicit innocentia JESU. Ignarus Rex in veste candida declaravit ejus innocentiam.

Tertius Pilati.

Tertius oculus fuit Pilati; audiverat multa ab accusatoribus contra JESUM, tandem in publico sedens tribunali, ait: *Ecce, ego coram vobis* (in omnibus voculis latet emphasis) *interrogans, nullam causam invenio in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis, &c.* cùm instarent, ut crucifigeretur, rursum quærit: *Quid enim mali fecit? quia sciebat, quòd ex invidia tradidissent eum.*

§. 5. *Quartus Iudæ.*

Quartus oculus fuit ipsius proditoris Judæ, licèt eum vendidisset & tradidisset, nihilominus pœnitentiâ ductus, acceptam

pecuniam projiciens in templum, publicâ voce se accusavit, dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum.* Potestne aliquid augustiùs dici pro innocentia Christi?

Quintus dæmonis, vel uxoris Pilati.

Quintus oculus fuit ipsius dæmonis, clarissimi testis hujus innocentiæ, dum in somniis molestus uxori Pilati, illi verba hæc extorsit ad maritum: *Nihil tibi, & justo isti.*

§. 6. *6. Latronis.*

Sextus fuit latronis boni, qui licèt videret illum pendentem in cruce, licèt audivisset sententiam Pilati, licèt circumstarent Judæi & milites, ex cathedra crucis suæ socium blasphemum redarguit, Lucæ 23. v. 41. dicens: *Hic nihil mali fecit*; licèt in nostra sit condemnatione, *nos justè hæc patimur, hic nihil mali fecit*; licèt reus videatur, nihil tamen mali fecit. Sic in monte Calvariæ, in cruce, inter latrones, coram hostibus vicit & triumphavit innocentia Christi.

§. 7. *7. Populi & Centurionis.*

Septimus denique oculus fuit plebis infidelium in persona centurionis, de quo S. Matthæus ait cap. 27. v. 54. *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes IESVM, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius DEI erat iste.* Si filius DEI, ergo innocentissimus.

§. 8. *Pulcherrima confessio Pilati.*

Unam circumstantiam in testimonio Pilati studio huc rejeci: Mane facto (die Parasceves) concilium rursum inierunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi adversus JESUM, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Exivit ergo Pilatus, & dixit: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Responderunt Judæi: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Quid dicitis scelesti, sine accusatione innocentem vultis crucifigi? non ita, priusquam moriatur, innocentia ejus palàm debet ventilari; priùs accusari debet. hoc factum est. S. Joannes ait, cap. 19. v. 7. dixisse: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori.* S. Lucas ait cap. 23. v. 2. *Cœperunt accusare illum,* tam acriter, ut Pilatus apud S. Marcum dixerit, cap. 15. v. 4. *Non respondes quidquam, vide in quantis te accusant.* S. Matth. ait, cap. 27. v. 13. Pilatum dixisse: *Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia?* Non obstantibus his, ventilatâ causâ examinato, interrogato aliquoties JESU, Pilatus fert senten-

ſententiam, Matth. 27. v. 24. *Non invenio in eo cauſam mortis. Innocens ſum à ſanguine juſti iſtius.*

Hàc ratione impleta eſt figura celeberrimi ſacrificii Vaccæ rufæ, de quo Moyſes ait Numer. 19. v. 2. *Iſta eſt religio victima, quam conſtituit Dominus.* Hoc ſacrificium, vel hæc victima fuit inprimis holocauſtum, quia tota debebat comburi. *Comburent eam cunctis videntibus*, ait S. textus. Materia ignis fuit pretioſa, ex lignis cedri, cum hyſſopo, & granis quibuſdam cocci bis tincti. Ratione finis primariò tendebat in honorem & gloriam DEI; ſecundariò in propitiationem & ſatisfactionem peccatorum. §. 9. *Adimpletio figuræ, vel ſacrificii Vaccæ rufæ, & Agni immaculati.*

Variarum aliarum circumſtantiarum meminit Scriptura, 1. debebat eſſe *vacca rufa, 2. fortis, integræ ætatis, 3. quæ nullum portaſſet jugum, 4.* debebat educi extra caſtra, ad altare in agro, vel monte orectum. 5. Juſſit DEus, ut eſſet ſine *omni macula*; quare accedente tempore, ſacrificii illius puritas ſpectante toto populo, examinabatur à Sacerdotibus, ut conſtaret eſſe immaculatam & puriſſimam.

Neminem ex vobis eſſe arbitror, qui non ſtatim apprehendat, hoc ſacrificium fuiſſe figuram & prototypon cruenti illius ſacrificii Agni immaculati in monte Calvariæ, in ara ſanctiſſimæ Crucis. Hæc victima fuit ſuaviſſimum holocauſtum, quo Filius DEI ad Patris gloriam inter flammas charitatis eidem ſe obtulit, pro totius humani generis ſalute, in peccatorum omnium pleniſſimam & copioſiſſimam ſatisfactionem. De quo eleganter S. Paulus in hod. epiſtola ad Hebr. 9. v. 11. ait: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex, - non per ſanguinem hircorum aut vitulorum*, (aut vaccæ rufæ,) *ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta*, (ſemel aſcendit crucem) *æternâ redemptione inventâ; ſi enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum DEO, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis? & ideo novi teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente, redemptionem accipiant, &c. in Chriſto* JESU *Domino.* 1. Joannis 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Lignum cedri figura §. 10. *Applicatio.*

figura fuit sanctissimæ Crucis, grana cocci, sanctissimorum quinque Vulnerum: color rufus vel purpureus, carnis & sanguinis Christi. De victimæ eductione rursum ait S. Paulus ad Hebr. 13. v. 11. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra; propter quod & JESUS, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*, - in monte Calvariæ.

§. 11. *Prosecutio.* Sed inhæreo his diutiùs, venio tandem ad circumstantiam puritatis suæ innocentiæ Christi, cùm Agnus hic post paucos dies ad victimam sit educendus, in hod. Evangelio, in templo, coram populo, sistit se Sacerdotibus & Pharisæis, ut inspiciant, num maculam deprehendere possint; sed suo silentio confessi sunt, esse Agnum immaculatum, incontaminatum, in quo macula non est, nec esse potest. Videamus porrò Audit. ut hoc sacro tempore corda nostra sint tale sacrificium. Non hircis & tauris hodie delectatur DEUS, sed cordibus contritis & humiliatis; hoc exigit, ut macula non sit in illis, (est locus pro pulcro affectu.)

§. 12. *Fructus hujus puncti.* Si hoc tempore Passionis circumstantiam hanc innocentiæ Christi meditemur, præcipuè coram aliquo Crucifixo, sine dubio quæremus cum Zachar. c.13. v.6. *Quid ergo sunt plagæ istæ* in manibus Salvatoris? quid clavi in pedibus, quid spinæ in capite, quid vulnera in toto corpore, quid lancea in ipso corde? quid commisit, quid peccavit hoc benignissimum cor? quòd nos nimiùm amarit? quid peccarunt istæ sanctissimæ manus, quòd nos crearint, &c. (Est locus pro pulchra inductione.) Ah! Audit. ipse innocens est, nos peccavimus, nos meriti fuimus flagella & spinas, &c. Sed (Is. 53.4. *Labores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Meritò quivis cum Davide dicere potest, 2. Reg. 24. v. 17. *Ego sum, qui peccavi, qui iniquè egi: Agnus iste quid fecit?* (Est locus pro pulchro affectu,) *vertatur obsecro manus tua contra me.* Sed finio, ulterior meditatio innocentiæ patientis Christi, suavissimos affectus amoris, compassionis, gratiarum actionis, contritionis, facilè excitabit, &c. Si bene apprehendamus causam mortis Christi, miros in cordibus nostris motus sentiemus.

PUNCT. III.

PUNCTUM III.

Bajulatio Crucis.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

OStendit bajulationem Crucis Christi, quâ processione sit facta, & quo furore lictores Christum D. agnum innocentem ad macellum, sive ad crucem rapuerint.

§. 1. Ingressus in hoc mysterium fit per duplicem quæstionem; an Christus D. in illo fuerit fortis, an imbecillis?
§. 2. Quo furore lictores rapuerint Christum D. ad crucem.
§. 3. Ordo tristis processionis.
§. 4. Lictores coëgerunt Christum properare.
§. 5. De vulnere dorsi.
§. 6. Anguriatio Simonis Cyrenæi.
§. 7. Primus Christi D. lapsus contigit in impositione crucis.
§. 8. Alter lapsus, postquam exsurgens, implevit pulcherrimas figuras.
§. 9. Occursus mæstissimæ Matris.
§. 10. Apostrophe ad eandem.
§. 11. Lapsus ad portam urbis.
§. 12. Duæ considerationes piæ circa sudarium S. Veronicæ.
§. 13. Aliæ tres.
§. 14. Conclusio hujus puncti de bajulatione crucis.

IN consideratione hujus mysterii, præsertim illius Personæ, quæ bajulat crucem, quærere quis posset ex cap. 9. v. 4. Jobi: *Estne fortis robore?* sed qualis quæstio? quærere, an ille sit fortis, qui transfert montes, qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur, qui appendit terram super nihilum, sub quo gigantes gemunt; qui appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in staterâ. Hic est ille, qui modò jacet & gemit sub pondere crucis; quomodo potest dici fortis? Dicamus potiùs ex c. 26. v. 2. Job. Nunquid *imbecillis est?* si transfert montes, quare ferre non potest truncum arboris? si tribus

§. 1. Ingressus in hoc mysterium fit per duplicẽ quæstionem; an Christus D. in illo fuerit fortis, an imbecillis?

bus digitis appendit molem terræ, quare fatigatur ſub pondere crucis? nunquid imbecillis eſt, cujus adjutor in ferendo modico pondere, eſſe debuit Simon Cyrenæus? Unica diſtinctio ſatisfacit utrique quæſtioni. Chriſtus D. Salvator noſter etiam in bajulatione crucis, fortis eſt robore, quatenus DEus eſt : imbecillis eſt, quatenus homo. S. Bernardinus t. 1. ſer. 51. *Ex vigilia præteritæ noctis, nec non ex laboribus, per totam illam hebdomadam jam aſſumptis, & pœnis exceptis,* (in moleſtiſſimis itineribus, in nocturno carcere, in cruenta flagellatione, in ſpineâ coronatione,) *addito ſuper his gravi onere crucis, non modicùm debilitatus eſt, ſecundùm corpus, ipſa fortitudo debilium, Filius* DEI JESUS, &c. coactus, ipſe bajulare crucem ſuam. Modus hic fuit:

§. 2. *Quo furore lictores rapuerint Chriſtum D. ad Crucem.*

Poſt latam à Pilato ſententiam mortis, lictores, qui vinculis ligatum tenebant, *tulerunt eum*; alii legunt, *traxerunt*; alii, *rapuerunt* eum, ſicut leones, parati ad devorandam quandam prædam; quæ verba, *tulerunt, traxerunt, rapuerunt*, ſignificant impietatem, crudelitatem, petulantiam, furorem, & tyrannidem, cum quâ mitiſſimum Agnum rapuerunt ad locum, in quo jacebat infame lignum crucis; ubi, ad majus tormentum; & *majorem irriſionem regiæ dignitatis, juſſus eſt ſupplicii ſui eſſe geſtator*; ait S. Leo. Siſtite ſceleſti! his humeris imponi debet regium ſceptrum, non patibulum, eſt Rex gloriæ! huic capiti non quadrat ſpinea corona, ſed lamina aurea ſummi Sacerdotis, cum glorioſiſſimo hoc elogio: *Eſt Dominus Dominantium*; non ferreis, ſed aureis catenis ornari debent hæ manus; habet enim manus aureas, plenas hyacinthis. Non audiunt infames & crudeles lictores! *Conſideremus*, (ait Dion. Carth.) *malignitatem Iudæorum, quorum machinatione milites Præſidis poſuerunt lignum crucis ſuper collum Chriſti, quod non fecerunt latronibus : turpiſſimam enim & acerbiſſimam ei mortem voluerunt inferre; & quidquid confuſionis, contemptus, & crudelitatis excogitare potuerunt, fecerunt in eum.* Oneratum cruce, *tulerunt*, ait textus, *& eduxerunt eum*; cum perturbato & confuſo ordine.

§ 3. *Ordo triſtis Proceſſionis.*

Præceſſerunt Principes Sacerdotum, Scribæ, Phariſæi, & Seniores populi. Mox, clamante præcone, imperante Pilato, *factus eſt concurſus populorum. Et* (B. Laur. Juſtin.) *tumultus in tota*

ferme

ferme civitate factus est maximus: præ foribus palatii aderat innumerabilium concursus populorum: quoniam, ut moris est, omnes ad hoc confluxerunt spectaculum. Tum, apertâ portâ palatii, inter duos latrones, *exivit* JESUS, *bajulans sibi crucem*; ductusque fuit à lictoribus in suæ argumentum confusionis, per solenniorem viam Jerusalem, in qua paucis antè diebus in asino sedens, tanto fuerat à turba honore susceptus. *Incessit autem*, ut piè meditatur B. Laur. Justin. *demisso vultu, incessu humili; totus fatigatus, & anxius*, quippe qui totâ nocte fuerat colaphizatus, consputus, illusus, oppressus, manè flagellatus, spinis coronatus; curvatus ex catenarum pondere; anhelans, crucem suam portando; ut dicere potuerit cum Manasse Rege captivo: *Incurvatus sum multo pondere, ut non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi.* De Rege Achab pœnitente ait l. 3. Reg. 21. v. 27. *Demisso capite sensim ac pedetentim more mærentium, nudis pedibus ambulabat.* Collegit quidem quas potuit vires, ad ferendam fortiter crucem, *sed defecerat prorsus in illo naturalis virtus, propterea cruciabatur immensè.*

Sed, quia hic lentus incessus metum incussit Judæis, ne in via antequam crucifigeretur, moreretur, illis instigantibus lictores magno furore, trusionibus & vociferationibus illum impulerunt ad celeriores passus; de quibus affectuosè Landspergius hom. 33. & 34. *Ibant autem ductores in via Christum in lutum & lapides, & ad inviam detrudentes: in itinere quoque trahunt & retrahunt; cadunt & impellunt; & paulò pòst neque Christo defuerunt vulnera, & plagæ, quandoquidem armis, pugnis, malleisque casus impellebatur.* De quo olim questus fuit Job c. 30. v. 13. *Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & prævaluerunt.* Vel, ut Vatablus legit: *Prævaluerunt, cadentem me impellunt, & meam infelicitatem adjuvant, qui antè eram destitutus: nec habui sublevantem me.* §. 4. *Lictores coegerunt Christum properare.*

Hæc trusio & concussio crucis, accedente ingenti pondere, quod premebat humeros Christi, causavit immane illud vulnus in dorso, quod illi immanem causavit cruciatum. Ideo cùm S. Bernardus ardentissimè rogasset Christum D. ut sibi revelaret peculiare §. 5. *De vulnere dorsi.*

liare aliquod tormentum Passionis, Christus D. apparens, horribilem acceptam plagam ostendit, quâ tres dorsi vertebræ carne nudatæ conspiciebantur. Non defuerunt vulnera Christo D. in hoc itinere; pondus crucis, lictorum mallei, trusiones, vincula & funes, dolorem super dolorem addiderunt. Præter hæc omnia, benedictæ ejus aures repletæ fuerunt vociferationibus & suspiriis blasphemiarum, contumeliarumque vocibus. Pro verbo psalmi 108. v. 4. *Detrahebant illi*, legunt alii: *Impellebant eum*. Versio Hebraica sic habet: *Sathanæ fuerunt illi*. Et quod luctuosum est, *sequebantur*, inquit S. Ansel. de passione, *etiam pueri, projicientes lutum & lapides*; ideo conversus ad mulieres, ait: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super filios vestros*, qui tantæ iniquitatis se faciunt participes.

§. 6. *Angariatio Simonis Cyrenæi.* Postquam tandem præ nimia fatigatione desolutæ quasi essent compages corporis ejus, & nihil in eo remansisset virium, (Dan. 10. v. 16.) invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Unde apparet, (Cajet.) quòd JESUS non poterat continuare portationem suæ crucis, propterea coëgerunt Simonem illum ad supplendum. B. Laur. Justin. *De civitatis porta, propter crucis importabile onus egredi Domino non valente, Simonem angariantes, illam portare fecerunt.* Quod crudelissimi illi non fecerunt ex compassione, aut pro revelatione JESU, sed quia ex pœnis jam valde lassatus fuit, timebant, ut antè insinuavi, ne fortè sub onere crucis deficiens, moreretur in via, sicque futuras pœnas leniori morte evaderet. Omitto multa, quæ ab Interpretibus hîc exponuntur; ego, quia propero, precor ex animo, ut sublevemus JESUM in portanda cruce. Cùm quidam Religiosus intelligere cuperet illud mysterium Passionis, cujus consideratio Christo D. foret gratissima, apparuit illi Christus D. in visibili specie, qualis bajulans crucem ascendit in montem Calvariæ, & dixit: *Mihi gratissimum erit, si me adjuves in ferenda hac cruce*, dicente Religioso: *Quomodo hoc facere possum?* Respondit Christus D. *Si feras in corde per continuam recordationem, & compassionem; & in ore per devotam gratiarum actionem; in auribus*

per

per pœnarum mearum avidam auditionem: in dorso, per carnis tuæ assiduam macerationem. Accurrite, animæ piæ, (habes locum pro devotissimis affectibus.)

Lapsus Christi D. in hoc itinere, sub pondere crucis fatiscentis, fuerunt varii, & tales, ut sola eorum recordatio, animas pias facillimè commoveat ad amarissimas lachrymas compassionis, & tenerrimorum affectuum. Meditantur aliqui SS. Patres, primum lapsum contigisse in ipsa prima impositione crucis; dum enim Christus D. magnâ vociferatione jussus, ut ipse crucem in humeros tolleret; dum illud cum tenerrimo amplexu facere aggreditur; dum dulcia suæ sponsæ figit oscula, dum ardentissimo corde suspirat: *Salve ô Crux diu desiderata;* dum tristes in cœlum elevat oculos cum gemitu cordis: Ita Pater! ita, ego feram crucem; inter hos conatus Christi D. inter hos gemitus & suspiria, tres vel quatuor lictores, tam immaniter humeris Christi Domini crucem injecerunt, ut mitissimus Agnus corruerit in terram! fatigatus, debilis, imbecillis secundùm corpus; sed quia DEUS, simul fortis robore, exsurgit DEUS, & fortiter arreptâ cruce, tristi processioni fecit initium. Insultantibus Judæis, ex l.2.Reg.c.16.v.7. *Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial; ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* Fortassis in corde respondit Christus Dominus: Egrediar! & libenter portabo crucem, quæ ab æterno in conclavi sanctissimæ Trinitatis electa est, ut sit arâ, in qua immolari debeo veluti victima, pro redemptione generis humani. Egrediar! & portabo crucem meam, quæ erit mihi lancea & hasta, quâ configam, contribulabo & conculcabo capita draconum, & hostium meorum. Egrediar, & portabo crucem meam, quæ erit mihi clavis, ut aperiam regna cœlorum! Egrediente JESU, Pharisæi (Thren. c.2. v.15.) *sibilaverunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus! en ista est dies, quam exspectabamus, invenimus, vidimus.*

§. 7. *Primus Christi D. lapsus contigit in impositione Crucis.*

Post nonaginta passus, Christus D. ob causas sæpiùs insinuatas, iterum cum ligno crucis lapsus fuit in terram; mox tamen iterum exsurgens, progressus fuit bajulans crucem suam, & ita pulcherrimas implevit figuras. Ecce hîc vadit innocens Abel, qui ab

§. 8. *Alter lapsus, post quem exsurgens implevit pulcherrimas figuras.*

ab invido fratre Caino, ab ingrata ſynagoga educitur in campum, ad necem, Gen. 4. v. 8. Ecce, hic eſt juſtus Noë, qui comportat ligna, ad exſtruendam arcam, in qua genus humanum ſervetur à diluvio igneo æternitatis, Gen. 6. Ecce, hic eſt obediens Iſaac, ſuis humeris portans lignum ad holocauſtum, Gen. 22. Ecce generoſiſsimum Joſue, qui extendit clypeum ſuum contra portas inferni, nec retrahit manum ſuam, donec illas dejecerit, Joſ. 8. Ecce peregrinum Jacobum, qui defert cœleſtem ſcalam, quâ cœlos conſcendamus, Gen. 28. Ecce Moyſen, qui cum virga ſua aſcendit in montem Calvariæ, ut ibi expanſis brachiis, & ardentiſsimâ oratione iratum Patrem reconciliet mundo. Ecce Davidem, portantem cytharam ſuam, ut ſuaviſsimus ejus ſonus in monte Calvariæ ab omnibus audiatur. Ecce egredientem Salomonem, in diademate ſpineo, quo coronavit eum mater ſua, indutum purpurâ, cum regio ſceptro, ut in monte Calvariæ conſcendat thronum ſuæ magnificentiæ, Cant. 3. Ecce egredientem Sponſum, ut in thalamo crucis deſponſetur ſponſæ ſuæ. Ecce egredientem agnum, oneratum omnibus totius generis humani ſceleribus, ut mactetur, & ita tollat peccata mundi, Joan. 1.

§. 9. *Occurſus mœſtiſſimæ Matris.*

Sed quis ſiſtit ordinem proceſſionis, quæ à primo lapſu vix paſſus ſexaginta unum conficit? quem video concurſum? quas audio vociferantium voces? quos plorantium mulierum gemitus? timeo, concutior toto corpore, anguſtiatur cor meum, ne fortè Jesus meus ſub pondere crucis expiraverit! *Dicite filiæ Sion!* vivitne adhuc meus Jesus, quem tot lictoribus circumdatum videre non poſſum. O triſte ſpectaculum! O iterum luctuoſum lapſum! Proceſsionem ſiſtit mœſtiſsima Jesu Mater! quæ dum cum S. Joanne, & aliquot piis fœminis, per lictorum manus, ad angulum plateæ, in Filii & ſanctiſsimæ Crucis ruit amplexus, ultimum dilectiſsimo Filio dictura Vale; afflictiſsimus Jesus cum cruce corruit inter materna brachia, dulciſsimo Matris pectori & cordi incumbens. Siſtite lictores! concedite fatigatiſsimo Jesu parvulam quietem; habeo quæſtiones pauculas, quas triſtiſsimæ Matri debeo proponere.

§. 10. *Apoſtrophe ad eandem.*

O Mater mœſtiſsima! fare, cùm præteritâ nocte S. Joannes triſte

triste tibi attulit nuntium de filii tui captivitate; cùm hoc mane scandens clivum montis Oliveti, reperisti sanguinea filii vestigia; cùm è domo Caiphæ vidisti educi ad Pilatum; nunquid conturbatum fuit cor tuum in te! nunquid dereliquit te virtus tua, & lumen oculorum tuorum! modò, hic, dum filius tuus cum cruce sua, cum spinea corona, totus saucius, jacet inter brachia tua, placetne hic fasciculus cordi tuo? ah Virgo! aperi nobis valvas virginei cordis tui, ut videamus, quo dolore torquearis! O Virgo! si quidquid hodie es contuita, in flagellatione, in spinea coronatione, mors tibi fuit, & tristissimum quoddam deliquium; quali morte, quali deliquio, laniatur cor tuum, in amplexu hujus dilectissimi, hujus afflictissimi Filii tui! O Virgo! si pavor te tenuit, & tremor, si omnia ossa tua perterrita fuerunt, si anima tua fuit in amaritudine; cùm paulò antè à Pilato audivisti ferri sententiam mortis, super dilectissimum Filium tuum! ecce illum in brachiis tuis! ecce sanguineum caput imponit cordi tuo; si Mater es? si diligis JESUM filium tuum, juva, succurre! tolle crucem! libera illum è manibus crudelium lictorum! Sed quid ego novis pugionibus configo & lacero corpus afflictissimæ Matris; quid illi suadeo liberationem Filii, quem jam millies obtulit æterno Patri, ut pro homine moriatur.

Adverto inter has quæstiones, Christum D. jam pervenisse ad portas urbis; ubi tanto virium defectu lapsus fuit in terram, ut apprehenderint Simonem, venientem de villa, & angariaverint ad portandam crucem cum JESU: ut superiùs dixi; modò tantùm insinuo, contigisse hic quartum lapsum Christi sub cruce. §. 11. *Lapsus ad portam urbis.*

Circa velum S. Veronicæ, cui Christus D. bajulans crucem impressit faciem suam, hæ mihi occurrunt considerationes. Considero 1. infinitam Christi D. liberalitatem erga illos, qui minimum illi præstiterunt servitium. Magdalena lavit illi pedes, & obtinuit remissionem peccatorum. Simon fert crucem, obtinet fidem, & famam illustrem per totum orbem. Plorant piæ fœminæ, Christus D. blandissimè illas alloquitur. Joannes assistit cruci, & Christus donat illi Matrem suam. Veronica offert §. 12. *Duæ considerationes piæ circa sudarium S. Veronicæ.*

velum,& recipit cum expressa Christi Redemptoris facie. Considero 2. immensum JESU amorem, dum amantem Sponsum voluit imitari; qui si fortè cogatur discedere à sua sponsa, curat advocari pictorem, jubetque se depingi in parva tabella, quam offert sponsæ, ut ejus interim delectetur aspectu. Sic sponsus noster, sponsus sanguinum, proficiscens in montem Calvariæ, imò in mortem; recordatus est Sponsæ, hoc est, Ecclesiæ suæ, vel etiam cujusque animæ, & hanc sui effigiem ei donavit, suam faciem velo impressam: q. d. O Veronica! O Ecclesia! O anima pia! suscipe hanc picturam in mei memoriam; sæpe aspice! sed quoties aspicis, recordare mei! Aspice! quid vides? spinas in capite? has tuli tui amore. Quid vides? guttas sanguinis in fronte? has fundo amore tui. Quid vides? sputa in genis? hæc excepi amore tui. Quid vides? tubera, vulnera & vibices, in tota facie? hæc accepi amore tui.

§. 13. *Aliæ tres.* 3. Considero sudarium S. Veronicæ, veluti sanguineas literas, quibus Christus D. in suis angustiis nostrum petit auxilium. Chlotildis Galliarum Regina, ab Amalarico conjuge crudeliter habita, Regi Childevverto fratri suo, misit candidum strophiolum, suo sanguine tinctum, q. d. O frater! cerne, quæ patior! quàm crudelibus soror tua cædatur plagis, juva, fer opem. Simile quid fecit Christus D. (est locus pro pulchro affectu) 4. Considero & intueor sudarium Veronicæ, veluti pulcherrimum speculum, ut in illo videant peccatores, quomodo per sua scelera tractent caput Salvatoris. Accede superbe! inspice, tua superbia imposuit spineam coronam. Accedite avari! inspicite, vestra avaritia inflixit colaphos, &c. (hoc modo fiat pulchra inductio,) Sed dum respicitis, erubescite, tundite reum pectus, ingemiscite, exclamate, O JESU ignosce! Dicat quivis, ego sum, qui te deformavi, ego, &c. Sed doleo! miserere mei JESU! ne projicias me à facie tua. Considero 5. In hoc sudario à multis reperiri summum solatium. Ad experientiam provoco. Eja anima pia, quid suspiras in tuis doloribus? respice in faciem Christi tui. Mi frater, quid quereris dolores capitis? quid oculorum? quid dentium? &c. *Respice in faciem Christi tui.* Compara tuos dolo-

dolores, cum ipsius doloribus? afflictionem cum afflictione! ô quantum discrimen! Respice hanc faciem, & non deerit solatium.

Sed quid video? interim dum hæsi ad hoc speculum; interea dum piis considerationibus intuitus sum faciem JESU bajulantis crucem, sudario impressam, milites & lictores cum Christo D. pervenerunt ad montem Calvariæ; antequam ascendam & ego, rogo vos Auditores humanissimi, ut peculiari semper devotione prosequamini mysterium Bajulationis crucis. Feci superiùs mentionem immanis plagæ, quam pondus & concussio crucis fecit in humero Christi, de qua cùm Christus D. questus fuisset S. Bernardo, paucos esse, qui de illo vulnere cogitent, subdit: *Ego verò dico tibi Bernarde, quidquid petieris per hoc vulnus, impetrabis. Omnibus, qui huic vulneri fuerint devoti, remittam peccata venialia, & mortalium obliviscar, & exhibebo iis omnem misericordiam.* Novi personas pias, quæ propterea quotidie ardentissimâ devotione, per molestissimum iter, in quo Christus D. in montem Calvariæ portavit crucem suam, petunt peculiarem ejus assistentiam, in arduo itinere, quo ingrediemur longissimam æternitatem, & obtinebimus.

§. 14. Conclusio hujus puncti de bajulatione Crucis.

PUNCTUM IV.

Denudatio Christi in monte Calvariæ.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PUnctum hoc quartum cruentæ Passionis agit de denudatione Christi Domini, & quoties hæc contigerit, quàm ipsi fuerit dolorosa; & quantùm apprehenderit ignominiam hujus denudationis.

§. 1. *Christus D. ter vel quater fuit denudatus, 1. in flagellatione.*	§. 2. *In spinea coronatione, 3. coram Herode.*
	§. 3. *Quartò ante crucifixionem.*

 §. 4.

§. 1. Christus D. ter, vel quater fuit denudatus 1. in flagellatione.

CUM Gen. c. 37. v. 23. Joseph in monte, in deserto, in pascuis, tandem incidit in fratres suos, *Confestim nudaverunt eum.* Idem longè propudiosiùs contigit Christo D. quamprimum lictores cum illo venerunt in montem Calvariæ, ad locum destinatum crudeli supplicio, confestim nudaverunt illum. Bene observavit S. Aug. Christum D. ter fuisse plane denudatum. 1. Constituitur in domo prætoriâ infelicissimum spectaculum. Nudatur corpus verecundum, purissimæ Virginis partus, & à fœdissimis lorariis diverberatur ad necem. S. Bonav. in med. c. 77. *Spoliatur Dominus, ad columnam ligatur, & diversimodè flagellatur. Stat nudus coram omnibus juvenis elegans & verecundus.* Deinde, soluto Domino à columna, ducunt eum sic nudatum, & sic flagellatum per domum, scrutando pro pannis, qui sparsim in domo projecti fuerunt ab expoliatoribus. Illos Christus D. nudus debuit conquirere.

§. 2. In spinea coronatione. 3. coram Herode.

Secunda denudatio contigit ante spineam coronationem. Sic ait Evangelista: *Exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Addit quidem S. Bernardus de pass. *Illudendum illum misit Pilatus Herodi; illusum recepit; nudum in conspectu irrisorum stare jussit.* Quod tamen ex sacra Scriptura claré non probatur.

§. 3. 4 ante crucifixionem.

Sicut, quòd tertiâ vice, in monte Calvariæ spoliatus fuerit vestibus, & nudus steterit coram totâ multitudine: quod ex eo patet, quòd detracta vestimenta diviserint in quatuor partes, & miserint sortes. Quæ denudatio fuit omnium ignominiosissima. Landulphus: *Differt autem iste articulus expoliationis ab articulo exuitionis in flagellatione; quia ibi exuebatur in prætorio coram Præside, & suis ministris: hîc autem in publico coram omni populo, ibi exuebatur reinduendus; & ideo signanter dictum est, quòd exuerunt eum;*

hic

hic autem dicitur, quòd expoliaverunt, quasi nunquam amplius vestes rehabiturum, sed moriturum nudum in cruce. Et ideo in hac denudatione potissimùm confusio operuit faciem ejus. S. Ath. Sed *quæ confusio?* & respondet, *confusio ejus crux est, quia nudus pependit in ea.*

§. 4. Quàm crudelis & dolorosa fuerit hæc Christi D. denudatio.

Pensandum hic, (inquit Dion. Carth. in Lucam,) *quantam* JESUS *Christus sustinuit pœnam, dum ante crucifixionem rursum exuerunt eum. Tunc namque & vulnera, & vulnerum dolor renovabantur: jam enim & sanguinis emanatione vestis interior carni inhæsit, & profundè implicata fuit, & coagulata vulneribus.* Landulphus: *Spoliatur cum maximo dolore, & renovantur in eo fracturæ; quia vestis interior, propter sanguinem flagellationis* (& spineæ coronationis) *fortiter corpori adhærebat.* Ideo, ut P. Salmeron ait t. 10. tr. 35. *quia violenter & festinanter Iudæi agebant, ita est vestis detracta, ut pellis ab ariete avelli solet, omnino sanguinolenta.* Affectuosissimè B. Laur. Justin. de triumph. ag. c. 16. *Domino, Satanæ ministri appropinquantes, detractis vestibus nudaverunt eum; porrò repente de cicatricibus recentibus cruor emanavit ubundè; inhæserat quippe corpori cruentato inconsutilis toga, quæ sanguine hausto siccata erat; quamobrem pellem totam decoriare compulsa est.* In expoliatione verò hac, quid doloris, quid impietatis, quid virtutis acciderit, nullus, quamvis eruditus, sufficit enarrare facundiâ: Repeto verba superiora. Quia crudelissimi carnifices, hæc omnia violenter & festinanter peregerunt, ita est vestis detracta, sicut pellis ab ariete avelli solet. Christi verò dolorem quis poterit explicare? nullus profectò.

§. 5. Quantum Christus D. apprehenderit ignominiam hujus denudationis.

Placet mihi quæstio ab insigni Concionatore proposita, quomodo in monte Oliveti potuerit sudare sanguinem, cùm totus tæderet, paveret, timeret, & angustiaretur; angustiæ autem, pavores, timores, & metus, sanguinem circa cor contineant, & constringant, ne per poros corporis foris erumpat, præsertim tantâ copiâ, ut decidat in terram, quod contigit Christo D. ut quæstioni respondeam, duo potissimùm objecta gravissimè torsisse SS. Christi D. Humanitatem: ex una parte morem, ex altera ignominiam mortis. Timor fecit quod potuit, continuitque sanguinem intra corpus,

corpus, illumque in benedicto corde JESU, veluti in quodam castello obsedit. Verùm apprehensio confusionis, quòd nudus in cruce deberet pendere, tam fuit fortis, & terribilis, ut superato timore, adeo concusserit corpus & ipsum cor JESU, ut sanguis apertis poris coactus fuerit cedere, & erumpere, per copiosum sudorem copioso sudore in ipsam terram defluens. *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* *Cùm Christus*, inquit insignis Interpres, *& tormentorum sævitiem, jam imminentem, & pudorem injuriis, & opprobriis sibi, tanquam homini criminoso inferendis, publicè subeundum cogitaret; potior apud illum fuit subeundæ verecundiæ consideratio, quàm ipsa mortis apprehensio. Et ideo factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Maldonatus: *Naturaliter sudavit sanguinem, apprehenso ignominioso mortis genere;* non ait, apprehensâ morte, sed ignominioso mortis genere. In hoc apparet ignominia ejus passionis, quòd nudus est crucifixus, quod personis vilibus & abjectis non facilè solet contingere.

§. 6. *Prosecutio.* Quod mysterium, vel quam magnitudinem confusionis, Regius Psaltes diu ante in persona Christi prævidit, ps. 24. v. 15. *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi;* textus Hebræus sic legit, *Congregati sunt super me flagellatores, vel percussores, & non cognovi.* q.d. Horribiliter fui flagellatus & percussus (potest fieri brevis & elegans descriptio) nihilominus suo sensu, non cognovi, non adverti, non sensi, non æstimavi tantos dolores; Quomodo hoc, mi JESU? non sensisti tam crudelia verbera, tam immania vulnera, tot repetitos ictus? talia ignorasti? talia non cognovisti? Respondet S. Anselmus in persona Christi: *Nescivi, hoc præ verecundiâ & confusione nuditatis, vix immanissimos illos ictus persensi.* Confusio hæc fuit mihi tormentum omnium crudelissimum, & causa ingentis ludibrii & irrisionis, inter lictores, & turbam populi.

§. 7. *Qualia ludibria, quales risus, inter lictores, & in populo.* Cùm Michol de Davide saltante coram arca cum ludibrio Regis dixerit, l. 2. Reg. c. 6. v. 20. *Quàm gloriosus hodie fuit Rex Israël, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur unus de scurris.* Vatablus, *de fatuis.* Cùm tamen David omni-

omnino nudatus non fuerit, sed tantùm regalibus indumentis; & nihilominus vocatus sit scurra, fatuus, stultus; qualia cogitatis fuisse prolata opprobria, in Christum D. toto corpore denudatum. Imò stulti & fatui ab aliis solent tegi; sed cum Christo D. nullus habuit compassionem. Si fortassis (quod aliqui putant) B. Virgo vel Magdalena velum aliquod submiserint, probabile est, illud à lictoribus fuisse dilaceratum, & pedibus conculcatum. Hanc Christi D. confusionem, hoc tormentum nullus potest explicare; ideoque ps. 68. v. 20. ait ad Patrem æternum: *Tu scis improperium meum, & confusionem meam.* Textus Hebr. *Tu nosti probrum meum, & pudorem meum, & ignominiam meam.* Nemo alius.

PUNCTUM V.

Crucifixio Christi Domini.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

TRactat de immani & crudeli crucifixione Christi D. in monte Calvariæ, & quò in cruce pendens facie respexerit.

§. 1. *Christus D. manibus & pedibus affixus fuit cruci.*

§. 2. *Cum immenso dolore.*

§. 3. *Accidente omnium membrorum, & totius corporis extensione.*

§. 4. *Et pondere corporis cum producta morte.*

§. 5. *Luctuosa fuit mors Christi.*

§. 6. *Christus D. pendens in cruce, facie respexit Occasum, dorso Orientem, & Ierosolymam.*

AQuila, quæ suis unguibus apprehensum Ganymedem è terris stitit Jovi in cœlo, tenerrimo juveni ne minimam quidem intulit læsionem; nullum illi fecit vulnus. O rapaces! ô truculentas aves & volucres! ô lictores! qui in monte Calvariæ in conspectu crucis, Christum D. non tantùm expoliarunt vestibus, sed exspoliando simul pristina & nova, ungui-bus lacerantes vulnera illa renovarunt; præsertim dùm denuda-

§. 1. Christus D. manibus & pedibus affixus fuit cruci.

tum, toto trementem corpore, prostraverunt in terram, & ligno crucis imposuerunt; licèt sint sancti Patres, qui putent, Christum D. priùs sponte ruisse in genua, & priùs in cœlum elevatis oculis, mox in crucem dejectis, sacrificio crucis fecisse initium; &, (secundùm S. Laur. Justin.) *ut voluntarium ejus esse sacrificium innotesceret, dexterum crucifixoribus exhibuit brachium. Et illi,* (S. Joan. Chrysost.) *sine cunctatione apprehendentes, toto conamine, dilaniatâ potiùs, quàm perforatâ manu, clavo presserunt in ligno.* Et ideo ob ruptos & constrictos nervos, non brachium tantùm, sed totum corpus Christi contremuit. Illi verò persequentes cœptum crudelitatis opus, vi maximâ, alteram quoque manum fixerunt in ligno, & pari furore pedes. An uno, vel duplici clavo, mihi modò est perinde. Totam tragœdiam Evangelistæ describunt hoc verbo, *Crucifixerunt eum*; hoc est, *clavis cruci affixerunt.* O S. Propheta Isaia! noli jam quærere, c. 50. v. 2. *Nunquid abbreviata, & parvula facta est manus Domini?* Nunquid decurtata est? nolite quærere, an dextera Altissimi sit imbecillis & debilis? sile Sponsa! quid ais, manus Sponsi tui esse *aureas, tornatiles, & plenas hyacinthis?* Obstupescite cœli! tales manus hodie clavis affixæ sunt cruci!

§. 2 Cum immenso dolore. *Cum immenso rursum dolore. Cùm enim manus ac pedes sint ossium, nervorum, musculorumq; plenissimi, maximum doloris sensum habent, fitq; ut eorum distractione, spasmus homines interimat, nimiâ doloris acerbitate.* Multa hactenus passus fuit Christus, sed in sola carne: nunc venitur ad extremum, & intimam medullam, & summam dolorum: nunc nervi, ossaque examinantur, qui dolor est vehementissimus in manibus & pedibus, ubi nervi & ossa ita conveniunt, ut non nisi magnâ vi, & intensissimo dolore sejungi possint. Qualis dolor! cùm trabales clavi in manibus & pedibus Christi fecerunt hanc divisionem, & perforationem, & dilacerationem? Nullus explicare potest.

§. 3. Accedente omnium membrorũ, & totius corporis extensione. Quis illum explicabit dolorem, quem causavit extensio pedum & brachiorum. De quâ extensione S. Brigitta dixit l. 7. Revel. c. 15. *In tantum extenderunt illa gloriosa membra in cruce vehementer, quòd quasi omnes venæ, & nervi ejus rumpebantur.* Regius

Psaltes

psaltes in persona Christi D. hoc questus fuit in ps. his verbis: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* id est, extendentes, & trahentes brachia mea, & pedes meos super crucem ad loca clavorum, dinumeraverunt, & delocaverunt, & disjunxerunt omnia ossa mea. Tertull. ait: *Exterminaverunt*; hoc est, extra terminos suos ejecerunt. S. Bernardus in persona Christi ait ser. 7. de pass. *Tantùm distentus sum dextrorsum, ac sinistrorsum; & à summo deorsum, ut corpore nudo, in modum tympanicæ pellis distenso, facilè possent omnia ossa mea dinumerari.* S. Brigittæ dixit Christus D. *Non habebam aliud sustentaculum, nisi clavos. Interiora mea omnia arida, & contracta fuerunt. Cor meum plenum erat dolore, quòd quia recentissima natura erat, & optima, ideo dolor quandoq; de nervis exibat ad cor: iterum à corde ad nervos, & sic augmentabatur dolor, & prolongabatur mors.*

Dionysius Carth. ita ait; sed supponit Christum D. cum cruce jam elevatum in altum; grave lassi sui corporis pondus, membra sua, dirissimâ & violentissimâ extractione dissecuit, & contrivit, ejusque vulnera dilatando pœnaliter amaricavit, ac nervos disrupit; ita quòd ex toto corpore sanguis pene totus effluxit, prout in psalmo pronuntiavit Christus: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Seneca de reo cruci vel patibulo affixo dixit: *Hujus vivere, est diu mori, & inter supplicia tabescere; perire membratim, & quasi per stillicidia animam amittere potiùs, quàm semel exhalare.* Ita per tres integras horas Filius DEI pro nobis pependit in cruce: ita per tres horas, imò triginta tres annos pro nobis mortuus est. Ideò Judæi petiverunt Christum crucifigi, ut non solùm occiderent, sed ut manibus & pedibus ad lignum confixis, productâ morte necaretur. Nec dolor citiùs finiretur, *& ut in cruce diu videretur.* S. Petrus Chrysologus serm. 58. *Crucifixus in cruce, in edito, coram omnibus inimicis!* (sed advertite, quales hi fuerint,) *totâ crudelitate spectantibus, & totâ acerbitate observantibus mortem.* Volupe illis fuit, videre lentè, & inspicere, & intueri, quomodo moreretur! cum voluptate v. g. aspexerunt caput coronatum spinis! & gavisi fuerunt illum, quem oderant, sic mori! (hoc modo potest fieri pulchra inductio.)

§. 4. *Et pondere corporis, cum producta morte.*

§ 5. *Luctuoſa fuit mors Crucis.*

Nunquid hîc meritò cum Laurentio Firmiano conqueri poſſum? *Quid in tanto facinore deplorem? aut quibus verbis tantum nefas conquerar? non enim Gabinianam crucem deſcribimus, quam Marcus Tullius univerſæ eloquentiæ ſuæ verbis, velut effuſis totius ingenii fontibus proſecutus eſt. Quid de hujus crucis indignatione dicemus, in qua DEUS à ſervis ſuſpenſus, atque ſuffixus eſt. Quis tam facundus, & tantâ rerum verborumq; copiâ inſtructus exiſtet? quæ oratio tantæ affluentiæ ubertate decurrens, ut illam crucem meritò deploret, quam mundus ipſe, & omnia elementa luxerunt?* (ſi placeat, pone miracula, quæ contigerunt, dum JESUS fuit crucifixus, per brevem & pulchram conglobationem.) S. Joan. Chryſoſt. *Pape! quàm magnum, & vehementer ineffabile eſt, quòd ſervus factus eſt! quòd verò mortem ſuſtinuit, multò plus eſt.* Sed eſt & aliud quiddam majus iſto, & admirabilius. Quamobrem? Quoniam non quævis mors iſti ſimilis eſt; iſta namque omnium fuit probroſiſſima: iſta plena dedecore: iſta maledicta: *Maledictus* enim, *qui pependit in ligno.* Accedite itaque ſceleſti, & cruci, veluti trophæo veſtræ crudelitatis inſcribite, *Non plus ultra.*

§. 6. *Chriſtus D. pendens in Cruce, facie reſpexit Occaſum: dorſo Orientē, & Ieroſolymam.*

Aliquid intueor, quod admiror! quòd Judæi ita crucem collocaverint, ut Chriſtus facie Occidentem reſpiciat; dorſum verò Orientem & Jeroſolymam ſpectet! quod ſceleſti fecerunt, quia illum indignum putaverunt ſanctæ Urbis conſpectu; ut etiam in ſitu crucis injuriam & contumeliam Chriſto inferrent. Sed aliud hîc mihi occurrit myſterium. Vos, qui, quam dico, excipitis concionem, vos inquam compello, dilectiſſimi Auditores. Ecce imaginem Chriſti pendentis in cruce! videtis clavos, &c. (poterit hîc fieri pathetica monſtratio Crucifixi.) Sed quæſo vos, attendite, an facie, an dorſo vos reſpiciat Salvator veſter! Recedite ſceleſti Judæi; vobis Chriſtus D. dorſum obvertit. Non contremiſcitis ſuperbi? JESUS crucifixus vobis dorſum obvertit. (Hoc modo poteſt fieri pathetica invectiva in peccatores; præſertim ſacrilegè communicantes. Piis, & pœnitentibus poterit oſtendi facies Crucifixi, cum piiſſimis affectibus.)

DIGRES-

DIGRESSIO,

Sive Invectiva in sacrilegè Communicantes, quòd rursum crucifigant Filium DEI.

SYNOPSIS.

AGit de sacrilegè sacram Synaxim sumentibus, quòd nempe Christum de novo crucifigant, & quas pœnas sibi inde accumulent.

§.1. Conglobata pœna indignè communicantium.

§.2. Væ! prolatum à Christo Domino contra Iudam: multò magis concernit indignè communicantes.

§.3. Vt gravis est illorum culpa, sic & pœna.

§.4. Quo sensu in indignè communicantes intret Satanas.

§. 5. Sacrilegè communicantes rursum crucifigunt Filium DEI.

§. 6. Confirmatur ex S. Thoma de Villa Nova.

ILlos intelligo per sacrilegè communicantes, *qui suæ salutis improvidi,* (S. Bonav.) *Corpus Christi in altari, veluti carnes pecudum manducant, involuti & contaminati abominationibus, de quibus fas non est dicere, sceleratis manibus, & pollutis labiis contingere non verentur, & osculari Filium DEI, & Mariæ Virginis Vnigenitum.* Illos intelligo, *qui conculcant Agnum DEI;* dum multorum conscii criminum, ad ejus esum irreverenter accedunt, nec timent. Neque Redemptorem, sed Judicem comedunt. Quam stultitiam eleganti simili exponit P. Salmeron t. 9. tr. 41. *Sicut profectò insignis temeritatis notam latro incurreret, si postquam vasa aurea & argentea clam furto sublata, domique reposita habet, judicem ac satellites in domum suam accerseret: non secùs ille videtur facere, qui, cùm vitiis madeat, graviaq; peccata admiserit, audet tamen per participationem Eucharistiæ, justum Iudicem in domum suam introducere; & DEVM in-* *§ 1. Conglobata pœna indignè communicantium.*

S 3 *super*

super videtur insipientia notare, dum illum putant delicta, quæ in sua conscientia habent, nequaquam cernere. Talis sine dubio judicium sibi manducat, non secus atque piscis devorans escam cum hamo, jacturam facit vitæ. Judicium sibi talis manducat, id est, damnationem extremam, quæ nunc appellatione judicii signatur. Canes sunt, qui irreverenter accedunt, & ideo judicati abscedunt. Unde breviter, sed nervosè ait S. Pacianus: *Evigila peccator! time in visceribus tuis præsens judicium, vel præsentem Iudicem.* (Est pulcher locus pro pathetico affectu.)

§. 2. *Væ! prolatũ à Christo D. contra Iudam: multò magis concernit indignè communicantes.*

Breviter, sed patheticè Christus D. Matth. 26. v. 21. *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Ubi S. Thomas: *Væ etiam erit omnibus, qui indignâ & pollutâ conscientiâ ad mensam Christi accedunt; quamvis enim Christum non tradant Iudæis crucifigendum, tradunt tamen suis iniquis membris sumendum.* Et ad majorem exaggerationem subdit: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et Venerabilis Beda in S. Luc. ponderans illud *Væ!* ait: *Hodie quoque, & in sempiternum væ homini illi, qui ad mensam Domini malignus accedit; qui insidiis mente conditis, qui præcordiis aliquo scelere pollutis, mysteriorum Christi secretis, participare non metuit, & ille enim in exemplum Iudæ Filium hominis tradit; non quidem Iudæis peccatoribus, sed tamen peccantibus membris, videlicet suis, quibus illud inæstimabile & inviolabile Corpus Domini violare præsumit.* Exaggerantem circumstantiam addit S. Bernardinus t. 2. ser. 55. art. 1. c. 3. *Cum sceleratis criminibus communicantes, eum persequuntur, Iudâ traditore deteriores effecti; eò quòd sicut ille tradidit illum persequentibus Iudæis, sic isti tradunt eum infernalibus diabolis; eò quòd ponunt illum in loco, sub potestate diaboli constituto.* Et adducit terribilem S. Augustini sententiam: *Magis tradunt, qui tradunt Christum peccantibus membris, quàm qui tradiderunt eum crucifixoribus Iudæis.* Porro Christus D. ut salutem & redemptionem operaretur humanam, magno cum jubilo in Judæorum manus se tradidit: modò autem, cùm SS. Corpus suum ab indignis membris suis, per peccatum dæmonis servituti subjectis, traditur; incredibile est, quantum abominetur eos, dum illos ingrato modo, sanguinem & redemptionem suam conculcare videt.

Magni-

§ 3. ut gravis est illorum culpa, sic & pœna.

Magnitudinem culpæ sequitur necessariò gravitas pœnæ. Unde bene cogitavit Petrus Blesensis, quòd quando divina liberalitas in hoc convivio est profusior, tantò quoque pœna indignè comunicantium sit futura severior, & gravior. *Domine* JESU *Christe*, inquit, *Sacramentum Corporis & Sanguinis tui, quasi pignus & obsidem cælestis gratiæ dimisisti, & in eo constituisti nobis, non mortem, sed vitam: non judicium, sed salutem. Quàm perditus ergo est, qui redemptionem in perditionem, qui sacrificium in sacrilegium, qui vitam convertit in mortem.*

§. 4. Quo sensu in indignè communicantes intret Satanas.

Difficultatem habent illa verba Evangelistæ, *Post buccellam intravit in eum Satanas.* Quod tamen Christus D. jam ante dixerat: *Vnus vestrûm diabolus est.* Hoc est, erat in eo diabolus, qui misit in cor ejus, ut traderet sanguinem innocentem: quomodo ergo per sumptionem Corporis & Sanguinis Christi, rursum in illum intravit Satanas? Respondet pulchrè S. Thomas: *Vt pleniùs possideret.* Idipsum dixit S. Cypr. de cœna Domini: *Vbi sacrum cibum mens perfida tetigit, sceleratum os Panis sanctificans intravit; parricidialis animus vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea de arâ exsufflatus est, & præceps cucurrit ad proditionem, & pretium; desperationem & laqueum; & ob eandem causam, post buccellam indignè susceptam, exiit à Christo D. & ab eodem ipse desertus fuit.* Idem contingit indignè communicantibus; antequam ad sacram mensam accedant, possidet illos diabolus, per peccata, quæ abscondunt; & ita, (quod horrendum est,) per indignam communionem, de novo illos intrat, ut perfectè possideat; hoc est, ut peccatis addantur peccata; hoc est, ut augeatur malitia; hoc est, ut impediatur gratia, ne convertantur; hoc est, ut ruant tandem in desperationem.

§. 5. Sacrilegè communicantes rursum crucifigunt Filium DEI.

Sed ut redeam ad punctum Crucifixionis, dicâm horribile quoddam atque tremendum, idq; ex P. Salmerone t. 9. tr. 41. porro gravissimũ est, & horrendum malè comunicantium facinus. Pejus enim est quodammodo, quàm Christi corpus cruci suffigere, atque pretiosum ejus sanguinem fundere; propter quod dicit Apostolus, *Reus erit corporis & sanguinis Domini.* Deteriùs enim peccat, vel ipso Judâ, qui Filium DEI & pretio vendidit, & osculo prodidit: nam hic non solùm exteriùs osculatur, sed intus morsu letali afficit,

afficit, ut Propheta dicat: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens*, atque quod ad se attinet, renovat Filii DEI mortem. (Ex his verbis, *Indignè communicantes aperiunt os suum*, &c. poterit fieri patheticus affectus.) Et ideo *reus erit corporis & sanguinis Domini*, ut sit sensus: Mortis Domini pœnas dabit; hoc est, ac si Christum occiderit, punietur, secundùm illud Hebr. 6. v. 6. *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium DEI; & ostentui habentes, reus erit!* hoc est, sic confundetur, damnabitur, & punietur, ac si Christum occidisset, ejusque sanguinem effudisset.

§. 6. Confirmatur ex S. Th. de Vill. N.

Claudat hanc invectivam S. Th. de Villa N. conc. 3. de Sacram. *Quantum flagitium sit, in spurcissimam pectoris tui cloacam sacratum Christi sanguinem fundere, Apostolica illa tuba personuit, dicens: Quicunque manducaverit, &c. reus erit, ac si occidisset & effudisset; non æqualiter, sed proportionabiliter; quascunque enim blasphemias, quascunque irrisiones, quæcunque opprobria impiissimi Iudæi in Christum corporaliter exercuerunt; has omnes spiritualiter repetit impius comestor, Filium DEI rursum in semetipso crucifigens, & ostentui habens.*

Vide plura & pulchra de hac materia, in P. Manci, Tit. Eucharistia, à fol. 297.

PUNCTUM VI.

Christus Crucifixus pependit inter duos latrones.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

OStendit, quanta Judæorum in eo fuerit malitia, quòd Christum D. inter duos latrones crucifixerint; & quantùm Christus hanc senserit ignominiam, ipsimet scelerati senserunt.

§. 1. *Quanta Iudæorum malitia in hoc, quòd jusserint eum pendere inter duos latrones.*

§. 2. Pro-

§. 2. Prosecutio.
§. 3. Ipsi adverterunt, quantum Christus D. senserit hanc ignominiam.

REdeo ad historiam Crucifixionis, de qua ita pergit Evangelista: *Et cum eo crucifixerunt duos latrones, unum à dexteris, & alterum à sinistris ejus.* In quo impletus fuit versus 39. psalmi 88. quòd æternus Pater (saltem promiscuè) repulerit & *despexerit Christum suum.* Vel, ut S. Hier. vertit, quòd permiserit *retrocedere & obscurari, & abscondi omnem honorem, dignitatem & excellentiam*, præsertim Divinitatem Filii sui, quod inimici & hostes Christi D. judicarunt, non posse congruentiùs fieri, quàm per hanc ignominiam, quòd non tantùm in cruce, sed inter latrones, qui manifestè erant malefactores, & rei mortis. Magnitudo injuriæ in hoc consistit, quòd Judæi hominem nobilissimum, & quoad Divinitatem, & quoad humanitatem, quòd Regem Regum, quod hominem sanctissimum & innocentissimum; verbo, cui nemo sub Sole conferri potest, quòd hunc judicaverint dignum, ut penderet inter duos latrones: *Populo suadere conantes, ut sicut in pœna pares, ita & in crimine essent æquales*, inquit B. Laur. Just. Et S. Chrysost. hom. 84. in Joan. *Crucifigunt cum eo latrones, ut eum infamarent, qui non sine causa crucifixus sit, sed quasi qui facinorosus sit inventus.* Nunquid hoc fuit repellere Christum, & obscurare famam atque splendorem ejus? ponere illum inter *duos sceleratos*, ait Tertull. Alii, inter *duos nequam.* Alii, inter *duos maleficos.* Alii, inter *duos sicarios*, quibus nequiores & nocentiores non habuit Pilatus in carceribus suis. Inter hos pendere debuit Christus D. ut in medio malefactorum, maleficus putaretur, & nequam, & sicarius. Hanc putaverunt esse mortem turpissimam, per quam posset eradi nomen ejus de terra viventium, & ut nomen ejus non memoretur ampliùs.

§. 1. Quanta Iudaeorum malitia in hoc, quòd jusserint eum pendere inter duos latrones.

Aliam pessimam & malitiosam Judæorum intentionem advertit P. Maldonatus, cùm ait: *Cùm autem medius inter duos latrones, quasi in loco honoratiori, Christus D. positus fuerit, Iudæorum consilio factum esse arbitror; ut ostenderent Christum facinorosorum hominum caput, & quasi ducem esse; propterea in medio crucifigendum curant.*

§. 2. Prosecutio.

curant, ut eo contumeliosi honoris genere Christi ignominiam magis augeant; solent enim latronum duces cum sociis comprehensi, & in medio eorum, & in loco editiori suspendi. Judicarunt scelesti, hanc esse mortem turpissimam, &c. Cajet. *Hoc fecerunt ad cumulum ignominiæ IESV.*

§. 3. *Ipsi Iudæi adverterunt quantùm Christus D. sentiret hanc ignominiã.*

Quantum Christus D. hanc injuriam senserit, ait Didacus Stella in Luc. ipsos Judæos advertisse; *Quia enim audiverant eum in horto, dum caperetur, dicentem, tanquam ad latronem existis, cum gladiis & fustibus comprehendere me. Ex quibus verbis, quia collegerunt, hoc Christum D. supra modum vexasse, ad partem plus læsam jacula mittere statuerunt; & ideo inter duos latrones eum crucifigi fecerunt*, quasi dicerent: qui ægrè tulit, ut latro comprehendi, acriùs feret, se inter latrones crucifixum videre. Vidit omnino Christus D. & injuriam, atque contumeliam tulit, cum solita patientia & humilitate! &, ô admirabilem Christi humilitatem! Qui paulò antè fuerat medius inter Moysen & Eliam, in monte gloriæ, immensâ circumdatus luce, applaudente voce de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus*, Matth. 17. v. 5. æquo tamen fert animo, quòd inter duos latrones ducatur ad supplicium, quasi malefactor; & qui medius est in sanctissimâ Trinitate, inter Patrem & Spiritum Sanctum, hic (stupendum dictu,) vadit ad supplicium crucis, in medio, inter duos latrones constitutus. O nequissimos Judæos! ad confusionis augmentum, & complementum, *cum eo crucifixerunt duos latrones*, medium statuentes JESUM, *tanquam excellentiorem in sceleribus*, exclamat S. Bernardinus. Sufficiant hæc de hac circumstantia Crucifixionis, quòd pependerit inter duos latrones. De ipsis latronibus erit agendi locus in expositione secundi Verbi, quod Christus D. in cruce protulit. Agam priùs de Verbo primo.

PUNCT. VII.

PUNCTUM VII.

De septem Verbis, à Christo D. in Cruce prolatis.

SYNOPSIS.

EXponit mysteria septem Verborum, à Christo Domino in cruce pendente sacrosancto ore prolatorum.

§.1. *Introitus in expositionem septem Verborum.*

§.2. *Christus D. mox moriturus Patri æterno ultimam proposuit petitionem.*

§.3. *Apostrophe ad Christum Dominum orantem pro inimicis.*

§.4. *Quare Christus D. in hoc verbo dixerit* illis, *& non Crucifixoribus.*

§.5. *Christus D. tempore Passionis in corde sæpiùs suspiravit*, Pater ignosce.

§.6. *Quomodo Iudæi nesciverint, quid fecerint.*

§.7. *Duo fructus primi Verbi.*

§.8. *Pathetica Apostrophe ad Christum cum invectivis in peccatores.*

§.9. *Alteri verbo in cruce prolato occasionem dederunt duo latrones. Impius.*

§.10. *Et pius.*

§.11. *Perfectissima boni latronis conversio, & ejusdem ad Christum D. oratio.*

§.12. *Solatium Christi Domini ob conversionem boni latronis, diaboli terror.*

§.13. *Proponit primam partem tertii Verbi*, Mulier ecce filius tuus.

§.14. *Altera pars tertii Verbi*, Ecce mater tua.

§.15. *Causa naturalis hujus situs.*

§.16. *Compassio piarum fœminarum, quæ submiserunt bonum vinum.*

§.17. *De Iudæorum crudelitate, qui sitienti IESV tam amarum obtulerunt potum.*

§.18. *Quare obtulerint acetum.*

§.19. *Apostrophe ad Auditores.*

§.20. *Quintum Verbum præcesserunt tenebræ, illarum causa.*

§.21. *Prosecutio.*

§ 1. *Introitus in expositionẽ septem Verborum.*

IN expositione septem Verborum labor & pietas, & facundia SS. Patrum egregiè desudarunt; feci ego, quod apis facere solet, quæ ut favos colligat, hortum circumvolat, & variis insidet flosculis,& ex illis melleam sugit,& exhaurit dulcedinem. Hæc mea fuit intentio, dum de materia hac varios inspexi Auctores: ex illorum dictis veluti flosculis suxi & hausi melleam erga JESUM in cruce loquentem devotionem: quam vestris quoque animis cupio instillare.

PRIMUM VERBUM.

Pater ignosce illis, Luc. 23. v. 34.

§. 2. *Christus D. mox moriturus Patri at. ultimam proposuit petitionem.*

ATtendite, (ait S. Augustinus ser. 170. de temp.) *attendite Magistrum vestrum, & Dominum vestrum, non in cathedra sedentem, sed in ligno pendentem; in quo, facto aliquo silentio, post immanes vociferationes, quibus Crucifixio, & præsertim elevatio crucis in altum, peracta est;* Christus D. de cruce apertis oculis circumstantes crucifixores, Scribas, Pharisæos & Sacerdotes conspexit, & mox iisdem, quantum potuit elevatis in cœlum, dixit: *Pater! dimitte illis, non enim sciunt, quid faciant.* Quot verba, tot mysteria: Contigit subinde, ut dilectus parentum filius, dum sibi moriendum videt, curet advocari Patrem, cui cum gemitu & lachrymis ultimam proponit petitionem, quæcunque illa sit. Idem fecit Christus D. dilectissimus Patris æterni & Mariæ filius; paulò pòst moriturus, æterno Patri ultimam aperuit petitionem: *Pater ignosce illis;* suavissimâ Patris compellatione, orationi suæ voluit conciliare benevolentiam. q. d. Pater mi! Pater amantissime! Pater dilectissime! aperi aures tuas, ut exaudias vocem meam; non ut tibi querar, aut proponam miserabilẽ statum, in quo constitutus sum; non ut querar de clavis, vel spinea corona, vel de tormentis & doloribus, quos patior! Qualis sis Pater, quàm pius! quàm bonus! quàm

quàm misericors sis Pater, non ignoro. Neque tu ignoras, qualis ego sim filius! tibi obediens usque ad mortem crucis! Voluisti me nasci in stabulo, volui & ego! (potest fieri brevis repetitio totius vitæ Christi D.) Modò vis, ut moriar in cruce! volo Pater! factum est initium, ideo hîc pendeo; unica restat mors, quam non recuso! Ita Pater! fiat, fiat! hoc tamen priùs rogo, ô Pater! per mea vulnera! per roseum sanguinem! per hanc crucem! ô Pater! peto modicum! peto quod gloriosum erit immenso tuo amori! Vides hos, qui me crucifixerunt! vides Sacerdotes, qui me tradiderunt Pilato; vides Pilatum, qui tulit sententiam mortis! vides hos, qui me flagellaverunt, &c. Vides! audis hos, qui me actu blasphemant! audis hunc latronem, quomodo mihi maledicat! Vides hunc nebulonem, qui in gravissima siti mihi offert fel & acetum! Vides omnes, qui causa sunt meæ mortis, & tam atrocis atque propudiosæ mortis; audite cœli! audi terra! neminem excipio, neminem excludo; *O Pater, ignosce illis*! ego injuriam omnem remitto! nullam cupio vindictam! omnibus parco. O Pater! ut tu quoque possis parcere, ecce meum cruorem, hoc dolore potes omnem omnium inimicorum meorum remittere iniquitatem. Audi Pater! non vocem sanguinis Abelis, sed illius, qui ex his vulneribus clamat, non vindictam, sed veniam & misericordiam! clamat, orat, obsecrat, obtestatur quod ego, *Pater ignosce illis*. O benedicta labia mei Salvatoris! ô melleam ejus linguam! quæ inter amaritudinem mortis, stillavit hoc lacte & melle!

Verùm mi JESU! quomodo Pater tuus, licèt misericors & miserator sit, & multarum miserationum, cùm simul sit justus; quomodo sceleratissimis his hominibus potest parcere, cùm actu te blasphement! cùm actu vellent, te acerbiora pati; cùm in suis clamoribus perseverent, ut innocentissimus tuus sanguis sit super eos, & super filios eorum; viden? ut nequissimi aliqui nebulones moveant capita sua, ut præ rabie fremunt dentibus, ut expuunt contra crucem; viden illos, qui myrrhatum vinum miscent felle & aceto, ut sitienti porrigant; viden', quomodo scelesti jubilent, tripudient, plaudant manibus, quòd te cernant affixum cruci! quomodo Pater, quomodo divina Justitia his potest parcere! Noë in nudita- §. 3. *Apostrophe ad Christũ D. orantem pro inimicis.*

 te à

te à filio parum irrisus, quàm horrendam in illum fulminavit maledictionem! Elias & Elisæus Prophetæ contra suos hostes de cœlo evocaverunt flammas, & tu, ô mi JESU! ita denudatus, ita irrisus, ita contemptus, ita vulneratus, non tantùm non clamas vindictam, sed melleo ore ais, *Pater ignosce illis*!

§. 4. *Quare Christus D. in hoc verbo dixerit*, Illis, *& non Crucifixoribus.*

S. Ambrosius subtiliter quærit, quare Christus D. orando pro suis inimicis, dixerit *Illis*; quare non expressit, quosnam intelligeret, quare non dixit, meis crucifixoribus? Quare non dixit, ignosce Petro, qui me negavit; ignosce illis, qui mihi dederunt alapas; illis, qui me flagellarunt, &c. Verbo, quare verbo non nominavit in communi saltem suos crucifixores? Ut subtiliter quæsivit, sic subtiliter respondit S. Ambrosius; *Ah! hoc non fuit passus amor ejus immensus*, qui sollicitus, ne illos nominando magis irritaret iram Patris, & divinam Justitiam ad vindictam, ne verbulo quidem voluit facere mentionem tantarum injuriarum, & tantæ nequitiæ; ideo suaviter tantùm dixit *illis*; quasi pro amicis suis imploraret divinam Patris misericordiam.

§ 5. *Christus D. tempore Passionis in corde sæpiùs suspiravit*, Pater ignosce.

Pia quoque est observatio aliquorum DD. qui putant, Christum D. semel quidem publicè in cruce, & claris verbis orasse hanc oratiunculam, *Pater ignosce illis*! intus verò in corde frequentissimè & ardenter, v.g. cùm cæderetur alapis, dixit in corde suo, *Pater ignosce illis*, (habes iterum pulchrum locum pro repetitione præcipuorum mysteriorum Pass.)

§. 6. *Quomodo Judæi nescierint, quid fecerint.*

Ut Patrem magis moveat ad misericordiam, pro crucifixorum defensione addit hæc verba, *quia nesciunt, quid faciunt*. Quid ais, mi JESU! hi scelerati non scirent, quid facerent? an nescivit Judas, quid te prodendo faceret? nescivit, id est, non consideravit, non perpendit; obscurato intellectu, cæcus se præcipitavit in hanc foveam. Nesciverunt, id est, non crediderunt me esse eum, qui sum, (sic de Judæis, de Caipha, &c.) ideo, ah Pater! miserere, parce, ignosce illis.

§. 7. *Duo fructus primi Verbi.*

Animæ piæ sunt sollicitæ, ut ex consideratione primi Verbi 1. discant & admirentur, & ament immensum Christi D. amorem. 2. ut Crucifixi exemplo, & ipsæ orent pro inimicis; ut dum maledicuntur, benedicant; ut dum persecutionem patiuntur, susti-

neant; dum blaſphemantur, obſecrent. Verbo, ut omnibus ex corde ignoſcant.

Antequam ad alia pergam verba, ad te me converto, ô crucifixe JESU! cum lachrymis, & clamore valido in cruce oraſti pro tuis inimicis. Sedes modò in gloria ad dexteram Patris; & nihilominus, ô mi JESU! quot & hodie habes hoſtes! Hoſtes tui ſunt, hæc ſuperba capita, ut auderent, ſi poſſent, ſpinas rurſum capiti tuo infigerent. Sed, mi JESU, hodiernâ die Paraſceves, per tua vulnera, &c. *ignoſce illis, non ſciunt, quid faciunt,* non conſiderant, non intelligunt. Hoſtes tui ſunt, &c. (poterit fieri affectuoſa apoſtrophe, cum acribus invectivis in peccatores,) ſi idem vobis eſt animus Audit. addite & vos has voces, *ſicut dimittimus & nos,* (fiat iterum Pathos.) §. 8. *Pathetica Apoſtrophe ad Chriſtũ, cum invectivis in peccatores.*

SECUNDUM VERBUM.

Hodie mecum eris in paradiſo, Luc. 22. v. 43.

SEcundum Verbum, quod Chriſtus D. in cruce protulit, aliqui SS. Patres vocarunt verbum *miſericordiæ.* Alii, verbum *liberalitatis.* Alii, verbum *amoris.* Omnes bene dixerunt; magna Chriſti D. in hoc verbo eluxit miſericordia, magna liberalitas, magnus amor. Occaſionem illis verbis dederunt duo latrones, in quorum medio pependit Chriſtus D. Qui pependit ad latus ſiniſtrum, non tantùm in vita fuit homo nequam, ſed etiam in morte. Audiens enim Judæorum & crucifixorum contra Chriſtum D. blaſphemias, cogitavit & ipſe: Hiccine eſſet Filius DEI? cur ſe, & nos non juvat? Filius DEI? ubi omnipotentia? ubi majeſtas? &c. hiccine Rex? ô qualis Rex? homo miſerabilis, quales ſumus & nos. Inter ſceleſtas has cogitationes, prorupit & ipſe in voces, quas refert S. Lucas c. 23. v. 39. *Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos.* Si Deus eſſes, non morereris in patibulo crucis. Auditores, nihil mihi hodie cum impiis & obſtinatis peccatoribus. Hoc ſolùm rogo, ut in illo veluti ſpeculo conſiderent, qualiter aliquando ſint §. 9. *Alteri Verbo in Cruce prolato occaſionem dederunt duo latrones impius.*

ſint morituri. Nihil illis proderit præſentia Jesu in SS. Sacramento; nihil ejus vulnera, nihil pretioſus ſanguis! de latere Chriſti rapientur ad ſupplicium æternæ damnationis.

§. 10. *Et pius!*

Alia fuit felicitas latronis boni, qui pependit ad latus dexterum. Pro priori oratio Chriſti D. exaudita à Patre non fuit; huic, quia Chriſtus D. id petiit, exhibita fuit miſericordia! cur huic? non priori? *O altitudo divitiarum!* nolite vos demittere in inſcrutabilem abyſſum! Mox, confeſtim, hodie, ſtatim deſerite latus Chriſti ſiniſtrum, & accedite dexterum cum bono latrone; in hoc veluti ſpeculo contemplamini, quales hodiernâ die debeatis aſſiſtere cruci in monte Calvariæ!

§. 11. *Perfectiſſima boni latronis converſio, & ejuſdem ad Chriſtum D. oratio.*

Bonus latro, ô efficaciam divinæ gratiæ! momento fuit perfectiſſimè converſus. Et plenus fide, ſpe, & charitate erga Chriſtum, teſte S. Lucâ, increpavit alterum, dicens: *Neque tu times DEUM, qui in eadem damnatione es. Et nos quidem juſtè, quia digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit.* q. d. videmus illum in miſerabili ſtatu, vulneratus eſt, nihil mali geſſit, &c. Et dic miſer, quam cauſam habes illum blaſphemandi? quid tibi malè fecit? quâ quæſo eloquentiâ latro innocentiam Chriſti magis potuit defendere? ideo ſpe audacior factus, convertens ſe ad Chriſtum, ait: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Adeſte animæ piæ! ab hoc latrone diſcite, quomodo, dum tempus eſt, diſponere vos debeatis, ut aliquando in ſupremo agone ad Chriſtum D. perfectiſſimo modo vos poſſitis convertere, & dicere, JESU, memento mei. Ego ab hoc die, ſuſpirabo millies, JESU! per dolores tuos, *Memento mei*, &c. ſed ſimul advertam monitum S. Aug. ut nimirum hoc ſuſpirium ſit plenum fide, ſpe, dilectione, devotione, humilitate.

§. 12. *Solatium Chriſti D. ob converſionem boni latronis: diaboli terror!*

Tanto Chriſto D. hæc converſio & confeſſio inter acerbiſſimos cruciatus fuit ſolatio, tam ſuavis fuit hæc vox in auribus ejus, ut ad illum converſus, ſuavi voce dixerit: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.* Vocas me Dominum, accepto ſervum, cum Domino tuo eris in paradiſo. Pateris mecum, & libenter mecum eris. Clarificas & glorificas me, in præſentia tot meorum hoſtium, in mea abjectione! & ego hodie glorificabo te, me-

cum

cum eris: & quidem in paradiso æternùm beatus. Fili, noli timere, mori, mors tua, & mea, tibi aperiet regnum cœlorum. Cohorruit, & contremuit diabolus, dum vidit à patibulato homine, ut putabat, sibi ereptam hanc animam. Hoc imprimite memoriæ! bonus latro expiravit piissimè! malus infelicissimè. Videte, &c.

TERTIUM VERBUM.

Mulier ecce filius tuus, Joan. 19. cap. v. 26.

A Crucifixoribus & latronibus, hoc est, à peccatoribus, Christus D. de cruce suos oculos convertit ad Joannem, & suam dilectissimam Matrem, stantem juxta crucem, & ait, *Mulier ecce filius tuus.* Quid ais, mi JESU! mulierem vocas Matrem tuam? quid horres pronuntiare tam dulce nomen? respondeo ideo, ne materna pium laceraret viscera nomen, ne nominando matrem, ejus animam quodammodo novo doloris gladio transfigeret. (Si materiam dilatare velis, vide plures causas apud P. Corn. à Lap. & alios; ego propero) nomen filii aliqui Interpretes applicant personæ Christi D. quòd de seipso dixerit, mulier ecce me, sum filius tuus! q. d. propter meam deformitatem, dubitare posses, an ego sim filius tuus; sed ecce, ego sum! Vide mulier, quæ patior, sed confortare, esto robusta, sic filius tuus redimet mundum. Meliùs alii, & literæ atque mysterio congruentiùs applicant S. Joanni, quòd de hoc discipulo, quem diligebat, fuerit locutus Matri suæ, q. d. Perdis me mulier, tuum dilectissimum filium per mortem crucis, sed ne Mater sis, sine filio, ecce pro me substituo Joannem, quem tenerrimè diligo. Cum Joanne in filios tibi trado omnes, pro quibus vides me fundere sanguinem, & mori in cruce. In ultimo meo testamento, quod Patri meo trado, scriptum vulneribus & sanguine, obsignatum annulo crucis, tibi chariùs nihil pro legato relinquere possum. Et quid aliud tibi chariùs desiderare potes? an meas vestes, an meam tunicam, quam tuis manibus elaborasti? diviserunt illas milites. An spineam meam coronam! nimis altas in capite egit radices; manus meæ clavis affixæ sunt

§. 13. Proponit primam partem tertii Verbi. Mulier, ecce filius tuus.

cruci; nec brachia movere possum, ut illam à capite avellam. An desideras benedictionem manuum mearum? ecce, movere illas non possum. An petis paradisum? donavi latroni, ut audivisti; & donationem hanc approbasti, quia scio, quòd diligas peccatores, præsertim illos, qui commoti per meæ Passionis considerationem, cum pio latrone cogitant de seria pœnitentia! mulier! desideras cor meum? dudum tuum est! animam & spiritum meum reservo pro amantissimo Patre meo. Cape ergo Joannem, pro filio tuo, & cum illo fidei tuæ commendo totum genus humanum, pro quo morior!

§. 14. *Altera pars tertii Verbi;* Ecce Mater tua.

Tum Christus D. conversus ad eundem discipulum, ait, *Ecce Mater tua*; hoc sensu non horruit pronuntiare suavissimum nomen Matris, quia Virgini magno fuit solatio, dum audivit se à Filio suo in supremo agone, constitui Matrem Viventium. Gratulor S. Joanni; gratulor nobis omnibus, de tam nobili Christi D. morientis legato; de hoc ejus articulo, in quo tantæ Matri traditi sumus in peculiarem custodiam & tutelam. Piè observavit S. Aug. ser. de pass. quòd dilecti hi duo, Maria & S. Joannes, dum audirent Christum D. hæc pauca de cruce dicentem, se mutuò aspexerint; Maria oculos conjecit in Joannem, Joannes in Mariam, & lachrymas fundere non cessarunt. Tacuerunt ambo, & præ nimio dolore loqui non potuerunt; nam gladius doloris utriusque animam pertransibat. Hæc verba subdit sacer textus, v. 27. *Et ex illa hora, accepit eam discipulus in sua.* Et quidem, ut P. Lud. de Ponte ait, *inter dolores, - latus de tali munere, tum quia à Magistro veniebat, tum quia servire tali Matri, gloriosum ducebat.* Ideo accepit eam in sua, hoc est, omnia officia, quæ dilectus filius debet dilectæ Matri, cum cura, & fideliter illi præstitit. Vicissim Beatissima Virgo Maria, ex illa hora, S. Joannem, & totum genus humanum, dilexit ut Mater; non inhæreo modò suavissimo huic amori; video Christum D. rursum movere labia, ut loquatur; audiamus quid dicat.

QUARTUM

QUARTUM VERBUM.

Sitio, Joan. 19. v. 28.

Audio, quòd querulâ voce dicat, *Sitio*. Causæ naturales hujus sitis sunt claræ. Aristoteles ait, *Sitim ex calescente corpore nasci, certum est.* Totum Christi corpus pendens de cruce, plenum est calore amoris & doloris; clibanus accensus est ardentissimum cor ejus; viscera & præcordia calent ab ignitis suspiriis; quid mirum est, quòd sitiat. Deinde tantum laboraverat Christus D. & tantum de sanguine emiserat, quòd corpus ejus erat totum aridum, sine omni humido, & adustum; & propter hoc sitiebat supra modum, & talis sitis *fuit maximum tormentum*, inquit Lyranus, & P. Suarez. Denique cruci affixus, ferè totum sanguinem fuderat, ac penitùs exhaustus erat; quæ omnia ex natura rei acerbam sitim excitare poterant, quam Christus explicare voluit, ut ostenderet, se non solùm exteriùs, sed etiam interiùs vehementer torqueri; impletusque fuit versus 4. psalmi 68. *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Pagninus legit: *Siccatum est guttur meum.* Quæ verba ita exponit Card. Bellarminus: *Tanta fuit acerbitas, & prolixitas doloris ejus, quantam intelligimus esse in illis, qui usque ad raucedinem auxilium implorantes vociferantur & clamant.* §. 15. *Causæ naturales hujus sitis.*

Neque defuit fœminarum in Jerusalem pietas, quæ sponte & ex compassione pro crucifigendis, præsertim Christo D. miserunt optimum vinum, juxta illud Prov. 31. v. 7. *Date siceram & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur.* Præterquam, quòd Aristoteles dixerit: *Ultimum naturæ refrigerium est potus:* hoc refrigerium pro afflictissimo Jesu libenter procurassent piæ fœminæ, submittendo optimum vinum, quod vinum Propheta Amos c. 2. v. 8. appellavit *Vinum damnatorum ad mortem.* Vel, ut Pagninus vertit, *Vinum pœnis affectorum.* §. 16. *Compassio piarum fœminarum, quæ submiserunt bonū vinum.*

Sed pro bono vino, myrrham & acetum cum felle mixtum, Iudaica impietas Domino IESU propinavit, & tunc impletum est illud psalmi, §. 17. *De Iudæorū crudelitate.*

qui sitienti IESV tam amarum obtulerunt potum.

Et in siti mea potaverunt me aceto. Ait Galatinus: *Piissimus IESVS de cruce clamat, Sitio! & currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dedit ei bibere.* O sæva crudelitas Judæorum! qualia pocula apponis homini fatigato? qualem refectionem porrigis homini in carne jam læso? qualem affectum compassionis ostendis homini jam morituro? Et Cajetanus: *Dederunt ei vinum myrrhatum, ut omnis crudelitas in eum exerceretur.* D. Bonav. *Cùm maligni isti homines ampliùs cogitare non possent, in quo ei plus nocerent,* (occasione hujus verbi *Sitio*, quod ad misericordiam & compassionem illos debuisset componere,) *vexandi occasionem novam acceperunt; unde dederunt ei bibere acetum cum felle mixtum.* D. Bernardinus: *Quòd autem vas aceto plenum paratum erat, magis ex malitia, & ad passionis augmentum, quàm fortuito casu factum esse, credendum est.* Et iterum: *O implacabilis feritas Iudæorum! quæ linguam illam mellifluam, quæ docuerat dulcia verba vitæ, in recompensationem, imò potiùs in vindictam, amarissimis saporibus cruciasti.* Galatinus super versum 20. capitis 1. Threnorum Jeremiæ, *Iustus est Dominus! quia os ejus ad iracundiam provocavi;* vel ut alii legunt, *quia os ejus amaricavi*, ita ait: *Tunc Iudaica pravitas os DEI amaricavit, cùm spongiam aceto, felleque plenam, arundini circumpositam, ori atque naso Domini nostri IESV Christi, veri Messiæ apposuit.* Et tunc impletum est illud Ezechielis: *Ipsi erunt mittentes fœtorem ad nasum meum.* Et illud Isaiæ c. 5. v. 2. de Domino vineæ: *Exspectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruscas.* Glossa, *Fecit amaritudinem.* Oleaster, *Fecit uvas insuaves, acerbas, acidas, marcidas, fœtidas, odibiles: horrendum acetum.*

§. 18. Quare obtulerint acetum?

Causam advertit Theophylactus: *Cucurrit unus, ut acetum ei potandum porrigeret, quò citiùs eum aceti amaritudo conficeret; præsertim cùm putarent eum inclamare Eliam, ad deponendum eum de cruce.* Aliam causam affert Montanus; nam acetum nervis læsis vehementer nocet; deinde stuporem letalem affert. Unde S. Chrysost. versum 7. ps. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt;* ita legit, *Dederunt acetum.* *Quis autem non miretur,* inquit Rupertus Abb. *quàm longè à compassione ejus fuerint, qui tali in loco, tali in angustia, tali in siti, eum potaverunt aceto.*

Sed

Sed præteriit Judæorum nequitia; Vos quæso Auditores, vos hodie videte, *ne* (Deuteron. cap. 29. v. 18.) *sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem, & toxicum, & absynthium.* Vel ut alii legunt; *Non sit inter vos cogitans peccata.* Oleaster, *Cavete, ne sit aliquis inter vos, qui amarus sit ori Domini.* (Habes locum pro pulcherrimis invectivis.) *ad Auditores.*

Si materia sit dilatanda, age de quadruplici Christi D. siti. *1.* de naturali. *2.* de siti obediendi. *3.* de siti patiendi. *4.* de siti salutis animarum. Agunt de his multi Auctores.

QUINTUM VERBUM.

DEUS, Deus meus, ut quid dereliquisti me.
Matth. 27. v. 46.

HUic verbo S. Matthæus cap. 27. præponit tenebras, de quibus ait, v. 45. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam; & circa nonam clamavit IESVS voce magnâ, Eli, Eli, lamasabathani, hoc est, DEVS meus! Deus meus, ut quid dereliquisti me!* Assero alibi, has tenebras fuisse horribiles, & præter ordinarium cursum naturæ, ob varias circumstantias. Turbati ordinis causam hanc assignat S. Chrysost. *Non poterat ferre creatura injuriam Creatoris, unde Sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora*; addo ego, & detestaretur tantum facinus. Sine dubio, si Sol loqui potuisset, in hanc erupisset invectivam: O scelesti! quid agitis? an non erubescitis? DEUM vestrũ, Creatorẽ vestrum crucifigitis? ô horror! ô facinus execrabile! hoc scelus videre non possum, malo obtenebrari, imò in nihilũ redigi. quæso vos, Auditores amantissimi, cum Sole, cum luna conversa in sanguinem, cum lugentibus stellis, cum trepidante terra, cum dissilientibus petris, cum concussis montibus, detestamini Judæorũ impietatẽ, sed multò magis peccata vestra, quæ patientẽ Christum magis afflixerunt, quàm tormenta. Cum hac detestatione lugete! gemite! flete! ex tenerrima erga Christum patientem compassione. Compassio excitabit affectus perfectæ contritionis, & ardentissimi amoris. *§ 20. Quintum Verbum, præcesserunt tenebræ. Illarũ causa.*

Tenebrarum causa, quam affert P. Lud. de Ponte, mihi non displicet, dum ait: *Factæ sunt tenebræ, ut tanto prodigio clarificaretur* *§. 21. Prosecutio.*

Christus, cujus mortem (licèt ignominiosam) *lugeret Sol, luctuque terram operiret. Profuerunt eidem tenebræ, quia crucifixores & illum blasphemantes illis territi, nonnihil cessarunt à subsannando, vexandoque Domino; ut in silentio, & aliqua quiete ferventiùs oraret ad Patrem suum.* Ad eundem finem prosunt & nobis, ut coram Crucifixo ferventiùs oremus, & ut iisdem supremam Christi in cruce agoniam, quæ jam jam incipit, intentiùs contemplemur.

§. 22. *Quid significet clamor Christi de cruce.* Agoniæ huic prælusit ingenti clamore, de quo textus ait: *Circa horam nonam*, (hoc est tertiam nostram,) *clamavit IESVS voce magnâ*: sed quomodo in tanto virium defectu, quomodo in horribilis agonis deliquio clamare potuit? Cùm æger aliquis subitò post longum silentium in clamorem erumpit, signum est magni doloris, & instantis mortis. Ecce! quare Jesus mox moriturus voce magnâ exclamaverit. Cùm surdis loquimur, clamamus; ô surdi peccatores! vos bonus JESUS supremum cupit alloqui; ecce quare clamet; vult à nobis audiri. Concionator, cùm peculiarem affectum, quem ab omnibus vellet percipi, vult proponere, plerumque, quantum potest, exaltat vocem suam. Idem de cathedra crucis facit JESUS; clamat in fine concionis, ut audiamus querelam, quam proponit æterno Patri, his verbis:

§. 23. *Varii sensus quinti Verbi.* *Eli, Eli, Lamma Sabachtani*; hoc est, *DEVS meus! Deus meus, ut quid dereliquisti me!* Absit à nobis Auditores longissimè, ut cum quibusdam hæresiarchis cogitemus aliquid blasphemi. Origenes hæc verba Christi sic explicat: *O Pater! agnosco & veneror inscrutabile tuum consilium, ut licèt pro omnibus moriar, tibi tamen placeat, ut pauci salventur, longè verò plures damnentur. Ego cuperem omnes salvari: ideo pro omnibus morior! ô Pater! quare in hoc me deseris, quare hanc petitionem non exaudis?* O malum! ô infelicitatem! hominem à DEO in æternum derelinqui! ah, mi Pater! quantum sentio, quàm doleo hoc malum! sed fiat, sicut vis! Dolorem verò immanem, quem sensit, magno clamore voluit contestari; Theophylactus censet Christum D. in particulari questum fuisse de reprobatione & derelictione gentis Judaicæ: *Cur, ô Pater, me*, id est, *meam gentem, meum populum*, id est, *Iudæos, sanguine mihi junctos, vis derelinquere? Ah! Pater ignosce! sed quia aliud tibi placet, fiat!* Audite

dite clamantem JESUM, ô ſcelerati Judæi, cuperet vos omnes ſalvari. Pia eſt aliquorum Patrum ſententia, tantum fuiſſe deſiderium in Chriſto D. patiendi plura, & diutiùs, ut quia Pater æternus hoc permittere noluit, conqueratur ſe non exaudiri. Communiſſima opinio eſt, Chriſtum D. queſtum fuiſſe de ſubtractione omnis ſolatii in tantis tormentis. Quam tamen ſubtractionem, vel deſolationem, Chriſtus D. libenter acceptavit; piè tamen queritur, ut ſciamus, quid ſit, tanta pati! & ſine omni conſolatione. Petamus per hoc myſterium, ſive hoc quintum verbum à Chriſto in cruce prolatum, ut aliquando in ſupremo agone nos non deſerat, vel derelinquat. Ut hæc oratio ſit efficacior, cupio vos ſimul eſſe memores doloris B. Virginis doloroſæ, quem ſenſit, cùm audivit hunc clamorem agonizantis Filii, præſertim cùm & illa cogeretur illum derelinquere, hoc eſt, non poſſet afflictiſſimum JEsum, & dilectiſſimum Filium jam morientem conſolari.

SEXTUM VERBUM.

Conſummatum eſt, Joan. 19, v. 30.

SI Chriſtus D. hoc verbum protulit ad Patrem cœleſtem, hic § 24.
fuit ſenſus: O Pater! miſiſti me in terras, ut perficerem opus *Brevis hujus Verbi*
humanæ redemptionis, *Conſummatum eſt*. Si ad ſeipſum, voluit *expoſitio.*
dicere: Gaude anima mea, curſum tuum conſummaſti, bonum certamen certaſti, *Conſummatum eſt*; imminet victoria & triumphus. Si fortaſſis figuras vet. Teſtamenti, & vaticinia Prophetarum habuit præ oculis, bene dixit, *Conſummata ſunt omnia*. (Habes locum pro pulchra inductione,) ſi hoc verbo ſuos hoſtes Judæos, & crucifixores fuit allocutus, optimè dicere potuit, hora veſtra tranſiit, &c. conſummata ſunt omnia, quæ Prophetæ de vobis prædixerunt; cœpiſtis me ut latronem, &c. denique pro potu præbuiſtis mihi acetum; itaque conſummatum eſt totum opus veſtræ malitiæ. Contremiſcite vos quoque, ô infernales portæ! actum de vobis eſt, &c. Animæ piæ, cùm cum Chriſto Salvatore pendetis in aliqua cruce, durate! brevì dicere poteritis, *Conſummatum eſt*.

est, &c. Vos ô ſceleſti peccatores, timete! veniet hora, quâ vobis dicetur, *Conſummatum eſt*, divitiæ, honores, voluptates, &c. habent finem, &c.

Septimi Verbi fiet mentio in puncto ſequenti.

PUNCTUM VIII.

JESUS autem iterum clamans voce magnâ, emiſit ſpiritum, Matth. 27. v. 50.

SYNOPSIS.

POſtquam Chriſtus D. trihorio vivus in cruce pependit, inter magnos dolores & cruciatus, omni ſolatio deſtitutus, ſpiritum emiſit.

§. 25. *Deſcriptio Chriſti D. agonizantis in cruce, ex S. Auguſtino.*

§. 26. *Agonizavit Chriſtus D. ſine omni ſolatio.*

§. 27. *Comprehenſus inter dolores inferni.*

§. 28. *Derelictus ab omnibus.*

§. 29. *Digreſſio ad Auditores.*

§. 30. *In Chriſto Domino agonizante omnia militarunt ad pœnam.*

§. 31. *Vt præ dolorum vehementia, clamans exſpiraverit.*

§. 25. *Deſcriptio Chriſti D. agonizantis in cruce ex S. Auguſtino*

INtegro trihorio Chriſtus D. vivus pependit in cruce. Quis capiet, quos dolores hoc tempore ſuſtinuerit! P. Suarez doctiſſimus Theologus, aſſerit, Chriſtum D. habuiſſe corpus adeo debilitatum, ac diſpoſitum, ut naturaliter non potuiſſet ab anima informari, niſi miraculosè aliquo tempore vita illi fuiſſet conſervata. Conſentit S. Laur. Juſtin. *Sanè ſupra naturam erat, ut homo in tantis corporis doloribus conſtitutus viveret, loqueretur, vociferaretur, & non moreretur.* Tanti dolores cauſarunt acerbiſſimam agoniam, in qua bonus JESUS per tres horas pependit, (ſequuntur verba S. Auguſtini in pſ. 87.) *Deficiens, moribundus, anhelans, moriens,*

moriens, obiens, animam efflans, lentâ confectus morte, expirans, fatiscens, vitam trahens potiùs, quàm ducens; lentè ac sensim tabescens, animam agens, agonizans. Tum terribilem subdit sententiam, Christum D. talem fuisse agonizantem à puero, à prima juventute. O qualis vita Christi D. per annos 33, si illa continua fuit agonia! Si quovis momento Christus D. sensit se mori! Et probat S. Aug. suam sententiam ex v. 16. ps. 87. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Alii legunt, *Afflictus sum ego à juventute mea.* In quo tamen hæc differentia notanda est; agonia continuata per totam vitam, fuit invisibilis, in anima Christi; agonia crucis visibilis. Aspicite oculos, genas, labia, frontem, pectus, tremebundas manus, &c. in his omnibus veluti speculis, cernimus JESUM agonizare.

Sine omni prorsus solatio. In quo Agnus ille paschalis, quem assum jussu DEI esse oportebat, Exodi c. 12. v. 9. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igne.* Hæc inquam ceremonia (*S. Laur. Justin.*) *passionis suppliciique crucis, quo Christus afficiendus erat, fuit significatio.* Sed cur DEus voluit abesse aquam? Proprietas aquæ est, ut refrigeret ardorem; ut inter flammas aliquod præbeat solatium; unde dives ex inferno clamat Lucæ 16. v. 24. *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Jam redeo ad assatum agnum paschalem, figuram Christi pendentis & agonizantis in cruce, & dico cum Laur. Justin. *Meritò jubetur, quòd aquâ nihil ex eo coquatur, quia in Christi D. Passione nihil fuit mitigationis, nihil refrigerii, sed tam dolore, quàm amore nostri, totus fuit assus & tostus, totus in tormentis, totus in doloribus & angustiis.* Cùm piissima Mater filium agonizantem audivit clamantem, *Sitio*, quasi diceret: O mater! quàm crucior! quàm me cruciant clavi, &c. sed tormentum gravissimum est sitis! ah mater, porrige guttam aquæ. De benevola Matris voluntate, quis dubitavit, quàm libenter etiam lac præbuisset; vel certè crystallinas lachrymas, omni fonte dulciores: O quàm volupe fuisset JESU agonizanti bibere rivulos amoris & doloris, qui fluebant ex corde Mariæ Magdalenæ! sed aliud placuit irato Patri, ejusque infinitæ justi-

§. 16. *Agonizavit Christus D. sine omni solatio.*

justitiæ. Hæc voluit Christum D. inter gravissima tormenta, in tali agonia sitire; nec guttulam aquæ obtinere. Fel & acetum obtulêre Judæi, ad majorem adhuc Christi D. dolorem & ignominiam.

§. 27. *Comprehensus inter dolores inferni.* Quo sensu David in persona Christi agonizantis dixit ps. 17. v. 6. *Dolores inferni circumdederunt me*, ps. 87. v. 4. *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.* Et impii Judæi dixerunt ex cap. 1. Proverb. v. 12. *Deglutiamus eum, sicut infernus, viventem.* Viventem, hoc est, ut vivens, in agone, gravissima patiatur tormenta. Juxta hanc præsertim analogiam: Quia sicut damnati in inferno patiuntur gravissima tormenta, sine omni requie, vel solatio, vel refrigerio, ut ne vel gutta aquæ illis concedatur; quòd eodem Christus D. trihorio crucis luctuosam perpessus fuerit agoniam, sine ullo solatio. Consolantem se quæsivit, sed non invenit. In gravissima siti nec guttulam aquæ obtinuit.

§. 28. *Derelictus à Patre.* Eò pervenit illa desolatio & derelictio Christi in agonia, ut exclamaverit: *DEUS! Deus meus! ut quid dereliquisti me!* q. d. O Pater! estne possibile, ut dum creaturæ irrationales mihi compatiuntur, dum Sol eclipsatur, dum montes tremunt, divina tua justitia adeo maneat saxea & immobilis, ut Filio tuo non compatiatur. Quando Angelus deserit clientem sibi traditum in itinere ad æternitatem? quando Medicus faciem avertit ab ægro? quando pater derelinquit filium? sum filius tuus, quare me relinquis? sum æger, cur me deseris? fatigatus sum in itinere crucis, & quis me comitatur. Si Divinitas, quam mihi dedisti, est Sol, si est fons, si est abyssus consolationum, cur ille Sol meæ Humanitati retrahit omnes radios; cur ille fons illi siccatur? cur pati debeo sine omni consolatione? *DEUS meus, quid dereliquisti me!* Quæ tamen non ita debemus intelligere, quòd unio inter Christi D. Divinitatem unquam dissoluta fuerit; nequaquam. D. Fulg. *Christus D. semper apud Patrem, semper de Patre, semper in Patre. Semper in sinu Patris.* S. Ambrosius in persona Christi D. *Cùm descendissem in terras, ut crucifigerer, non emigravi à Patre, sed in Patre permansi.* Itaque cum Jobo Christus D. hoc dicere voluit: O DEUS totius consolationis,

tionis, cur non concedis requiescere spiritum meum, & imples me amaritudinibus. Prout in horto dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* S. Hier. ait: *In passione derelictus est Christus pro parte carnis.* Et D. Th. *Derelictus fuit, - quia non est liberatus à passione corporali. Secundùm hoc dicitur ad horam derelictus, id est, passioni expositus.* Lyranus: *Subtraxit protectionem, sed non solvit unionem.* Elegantissimè Genebrardus in ps. 21. *Non erat Verbum otiosum; eò quòd patienti Humanitati suæ inter summos cruciatus vitam sustentabat, & prorogabat, ne deficeret, sed ampliùs adhuc pateretur.* O tristem agoniam!

Cùm nullus ex nobis sit, qualem sit passurus agoniam, nullus esse debet, qui non sit addictissimus agoniæ JESU crucifixi; ut cùm ab omnibus derelinquemur, ab ipso non derelinquamur. Hic est finis nostræ congregationis, &c. O quàm tibi erit acerba ultima vitæ hora, rerum omnium fuga, omnium derelictio. Tunc, quando jacebis in lecto doloris; tunc, quando eris in extrema necessitate; tunc, quando sudabit frons, pallescet vultus, frangentur oculi, silebit lingua, frigebunt manus, rigebunt pedes, anhelabit pectus, stupebit animus, formidabit spiritus, affligetur corpus; quando angustiæ tibi erunt undique. Tunc, quando maximè indigebis solatio, auxilio, ope & operâ mundi. Tunc, in ultimo illo articulo temporis, in postremo vitæ momento, quando exhalabis spiritum, fugiet mundus, & omnia, quæ mundi sunt. Tunc fugiet ab ambitioso honor; à superbo glória; ab avaro opes, à lascivo voluptas, &c. Tunc fugient à Magistro discipuli, à parente liberi, à Domino famuli, à Duce milites, à Rege subditi. Fugient ab impio omnes, qui poterunt misereri. Fugient Angeli, fugient Cœlites, fugiet Mater misericordiæ, Maria! fugiet JESUS! fugiet DEUS, ab omnibus eris derelictus. Cavete Sodales, ita vivite, ita amate JESU Passionem, ita colite agoniam, & ejus vulnera, ut nobis adsit, qui opituletur. § 29. *Digressio ad Auditores.*

Gloriosis Martyribus, dum atrocia perferrent tormenta, non tamen ut scimus, cœlestes defuerunt consolationes. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati,* Act. 5. v. 41. *Non autem sic in Mediatore* § 30. *In Christo D. agonizante omnia militarunt ad pœnam.*

nostro, inquit S. Laur. Justin. *Uno tempore & DEI fruebatur visione, & intolerabili passione gemebat. Altissimo Divinitatis consilio actum est, dum pendens clamaret, DEUS, Deus meus, ut quid dereliquisti me! ut tota divinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam.* Hinc majora tormenta, quòd DEUS ita pateretur. Hinc major desolatio & derelictio! hinc luctuosa agonia. A Divinitate hoc habet solatium, ut plura & majora patiatur, & tandem moriatur. Tum furori Patris & justitiæ erit satisfactum; & peragetur opus nostræ redemptionis.

§. 31. *Ut præ dolorum vehementia, clamans expiraverit.*

Sed inter tantos dolores, ut tandem morti appropinquans, clamans clamarit in doloribus: *Exclamavit præ dolore magno,* (Hugo Card.) *in quo & veritas Humanitatis, & virtus ostenditur Divinitatis. Si enim esset purus homo, in morte,* (& tali morte) *clamare non posset.* Postquam Jobus septem diebus sedisset in sterquilinio, in silentio, non aperiens os suum, tandem cap. 3. v. 2. *Aperuit os suum, & locutus est.* q. d. inquit Olympiod. *Parce mihi Domine, nam qui me urunt dolores, sermonem mihi prorsus extorquent.* In toto decursu Passionis Christi D. hactenus vel siluit, vel locutus fuit suaviter; sed tandem dolores, qui illum usserunt, coëgerunt illum clamare, ut clamans voce magna expirarit. Faciamus, quod in Missis in lectione Passionis fieri assolet. Ruamus in genua, & in honorem mortis Christi dicamus, *Pater & Ave.*

PUNCTUM IX.

APERTIO LATERIS.

Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua, Joannis 19. v. 34.

SYNOPSIS.

PRoponit crudelitatem, qua SS. latus Crucifixi fuerit apertum, & quidem cur dextrum; item & cur Judæi pro Christo & latronibus

nibus à Pilato petierint crurifragium, & quàm ardentibus lachrymis B. V. Maria illud deprecari sit conata.

QUi crudelitatem vivis coloribus voluit depingere, bene pinxit hyænam, cum hoc lemmate: *Nec defunctis parco.* Tales hyenæ fuerunt Judæi in monte Calvariæ circa crucem; nec defuncto Regi suo voluerunt parcere: sub larvâ zeli, pro divina lege, quæ ait Deuter. c. 21. v. 23. *Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed eâdem die sepelietur;* petierunt à Pilato crurifragium trium pendentium in crucibus, ut & certi essent, illos obiisse, & ut statim de ligno deponi possent eorum cadavera, & sepeliri. Sed bene ait P. Corn. à Lapide: *Verisimile est Iudæos in odium Christi crurifragium illi voluisse inferri, ut eum magis cruciarent.* Et S. Bernardinus: *Allegabant Præsidi reverentiam Sabbathi; sed hoc malitiosè agebant, ne propter signa facta, moriente Christo, in quiete Sabbathi tumultus in populo nasceretur: ne ex viso in cruce corpore, turba facilè mobilis moveretur propter terrentia signa. Verebantur quoque, ne Christo pendente in cruce signa profluerent ampliora. Præsertim cùm jam multò reversi essent in urbem, percutientes pectora sua.*

§. 1. Cur Iudæi pro Christo & latronibus à Pilato petierint crurifragiũ.

Venerunt ergo milites à Judæis petiti, à Præside verò missi, & latronum crura fregerunt, qui reverà adhuc vivebant; quod cùm pia Mater stans juxta crucem vidisset, timens, ne & filii crura confringerent, confestim ante milites humiliter genu flexit, piis supplicationibus rogans, ut parcerent filio, cùm manifestè jam exanimis

§. 2. Affectuosissimus locus de B. Virgine illud deprecante.

mis appareret. Fortè dixit, (sic putat D. Bernardinus,) Viri fratres, rogo vos propter DEUM altissimum, ne ampliùs me vexare velitis in dilectissimo Filio meo; ego enim sum mœstissima Mater ejus, quæ nunquam vos offendi, nec aliquam injuriam vobis feci. Et si Filius meus vobis visus est contrarius, ipsum peremistis. Et ego vobis remitto omnem injuriam & offensam. Hanc tamen misericordiam mecum facite, ne ipsum confringatis. Parcite Defuncto.

§. 3. *Lachrymæ Mariæ cōmoverunt lictores, non militem, qui lanceâ aperuit latus Filii.*

His melleis verbis, his lachrymis commoti lictores, non fregerunt eis crura, cùm viderent mortuum; quod indignè ferens, unus militum lanceam arripuit, (ô Maria! ô Mater! claude vel averte oculos) unus militum arripuit lanceam, nec mortuo pepercit. Hic miles (parco nomini, quia deinde conversum amo & veneror, tanquam speculum infinitæ bonitatis Christi, & efficaciæ sanguinis JESU, cujus gutta oculos corporis & mentis illi aperuit,) hic inquam miles, despiciens piissimas preces Matris, aperuit latus Christi; de quo Joannes ait, cap. 19. v. 33, & 34. *Ad IESVM autem cùm venissent, & viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* S. Bonaventura, *Vnus miles, Mariæ preces & rogamina contemnens, latus Domini IESV dexterum, vulnere grandi aperuit, & exivit sanguis & aqua.* Pleræq; voculæ merentùr, ut bene perpendantur.

§. 4. *Emphasis verbi* Apertuit.

Aperuit latus, Syrus legit, *Feriit.* Textus Græcus, *Transpunxit.* Cajetanus, *Pupugit.* Lectio vulgata habet, *Aperuit.* Sed, cur non ponitur verbum, quod majorem significat crudelitatem? v. g. *Percussit, Vulneravit, Laceravit?* Subtilissima est responsio S. Augustini, dum ait, Latus Christi fuisse portam sanctam, ex qua effluere debebant Sacramenta pro sua Ecclesia; itaque non fuit opus vi & violentiâ, non debebat illa porta quasi dirui & confringi, ostiario & clavi fuit opus. Longinus (jam illum nomino, quia factus est alius) fuit ostiarius, lancea fuit clavis. *Aperuit. Vigilanti verbo,* ait S. Aug. *Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, vel vulneravit, sed aperuit: ut illi quodammodo vitæ ostium panderetur; unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ verè vita est, non transitur.* Itaque Longinus aperuit ostium vitæ,

aperuit

aperuit thesaurum thesaurorum DEI, aperuit arcam, in qua nos omnes oportet salvari. Aperuit fontem misericordiæ, & omnium gratiarum, &c. quia aperuit cor JESU.

Vulnere grandi, dicebat S. Bonaventura, *Cùm hic miles, sine alicujus jussu, suâ auctoritate, lanienam hanc perfecerit, probabile est, fuisse inter milites in aliquo officio constitutum, armatum lanceâ forti, longâ, cum lato & acuminato, atque utrimque scindente ferro validâ; ex cujus forma mensurare potestis magnitudinem vulneris in latere Christi.* Si Regius Psaltes de hac lancea locutus fuit ps. 104. v. 17. *Ferrum ingressum est animam ejus.* Vel, ut Pagninus legit, *Ferrum pertransiit animam ejus.* Bene dixit S. Brigitta l. 7. Revel. cap. 45. *Venit unus accurrens cum furore maximo, & infixit lanceam in latere ejus dextero, tam validè, quòd quasi per aliam partem corporis lancea voluit pertransire.* l. 2. revel. c. 22. *In corde punctus erat tam amarè, & immisericorditer, quòd pungens non destitit, donec lancea attigit costam, & ambæ partes cordis essent in lancea.* l. 4. revel. c. 40. *Aperto latere, & extractâ lanceâ, sanguis in cuspide quasi brunnei coloris* (quasi rosa) *apparuit, ut ex eo intelligeretur, cor transfixum: O beata lancea! quæ apertionem hujusmodi facere meruit, & tali ornari purpurâ pretiosissimi sanguinis. O si fuissem loco illius lanceæ! exire de Christi latere noluissem, sed dixissem: hæc requies mea in sæculum sæculi; quoniam elegi eam.* Vos ita dicite animæ piæ! Vobis patet hæc requies! hic hortus deliciarum! hic paradisus voluptatis! hoc tabernaculum, hoc templum, hoc palatium, hæc aula, hoc penetrale Divinitatis. §. 5. De magnitudine Vulneris in latere Christi.

Continuò exivit sanguis & aqua, Joan. 19. v. 34. D. Cyprianus legit: *Emisit, quidquid resederat in corde sanguinis.* Primum miraculum hujus sanguinis fuit conversio Longini, qui uno oculo fuit cæcus. Sicut autem Physici dicunt, sanguinem extractum ex corde columbæ, tergere maculas oculorum; eodem modo sanguis ex corde Christi exiliens, cecidit in cæcum oculum Longini, & momento illum illuminavit; majus miraculum fuit, eâdem guttâ irradiari oculos cordis, quibus illuminatus, agnovit suum scelus, illudq; abjectâ lanceâ, coram Crucifixo ruens in genua fuit detestatus. O prodigium mortui Salvatoris! ô victoriam amoris! ô ad- §. 6. Exivit sanguis, cujus gutta convertit Longinum.

inven-

inventionem vindicandi se de inimico. Tinthius lanceâ percussit statuam Palladis, illo momento corruit mortuus. Milo Epirota lanceâ occidit Laodomiam, filiam Pyrrhi ad aram Dianæ, ad quam veluti asylum confugerat; eodem momento conversus fuit in furiam, & rabidam bestiam. Tempus non permittit referre similia. Alia fuit vindicta, quam Christus D. intulit Longino. Voculam, quam in cruce protulerat lingua morientis JESU, *Ignosco*, protulit gutta sanguinis prosiliens ex transfixo ejus corde, *Ignosco*. Illuminetur, videat, convertatur Longinus. Quis non exclamet cum S. Bernardino: *O mors amabilis! ô passio desiderabilis! ô profunditas admirabilis! Quid mirabiliùs? quàm quòd mors vivificat; vulnera sanant, sanguis emundat; dolor ad amorem inflammat; apertio lateris cor cordi conjungit.*

§. 7. *Sanguis cordu Christi emundat.*

Sanguis mundat. S. Bern. ser. 190. *Fuit sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est, ut effunderetur, deleret.* Scimus, quid clamarit vox sanguinis Abel. Sed alius fuit clamor hujus sanguinis, per Oseam c. 2. v. 23. *Miserebor ejus, qui fuit absque misericordia.* De lancea Achillis dixerunt Antiqui, *Qua vulnus, sanitas!* Lancea Longini habuit hanc virtutem. S. Ambrosius in ps. 118. *Vulnus est, quod Christus excepit; sed unguentum est, quod effudit.* Accurrite cæci, accurrite ægri, accurrite vulnerati, venite omnes, videte prodigium. Si vultis, hic sanguis, hoc unguentum, momento vos potest curare, &c.

§. 8. *Cur cum sanguine exiverit aqua.*

Cum sanguine exivit aqua, non sine mysterio. D. Thom. *Ex latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta, per quæ salvata est Ecclesia.* S. Chrysost. *Non casu & simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est.* S. Ambr. in cap. 23. Lucæ: *Ex illo corpore defuncto vita manabat; aqua enim & sanguis exivit; illa, quæ diluat: iste, qui redimat.* Impletusque fuit versus 6. cap. 1. Apoc. *Ipse dilexit nos, & lavit nos in sanguine suo.* (Est locus pro pulchro affectu.)

§. 9. *Cur apertum fuerit latus dextrum.*

Superest una circumstantia affectuosa suavissimi hujus mysterii, quam observavit S. Bern. ser. 7. in ps. 90. *Dominus meus IESUS Christus, post cætera inæstimabilis suæ erga nos beneficia pietatis, etiam dexte-*

dexterum sibi, propter nos passus est latus fodi, quòd videlicet vellet, non nisi in dexterâ parare nobis locum refugii. Et ser. 2. de pass. c. 3. *Ad hoc vulneratum est cor suum, ut in illo habitare possimus.* Petrus Abbas Cell. *IESVS à perfossione lateris sibi non pepercit, ut te in cavernam lateris recepto, ad omne consilium suum admitteret, & gaudiis admisceret.* O anima pia! *Omne asperum intinge in hoc latus, erit tibi dulce.* Hodie illuxit illa dies, de qua dixit Joël c.3. v.18. *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & per omnes rivos Iuda ibunt aqua, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* (Implora gratiam Spiritus Sancti, ut suggerat affectuosissimum Epilogum.)

CONTINVATIO

DE APERTO CHRISTI LATERE ET CORDE.

SYNOPSIS.

OStendit, cur Christus D. postquam spiritum emisit, permittere voluerit, ut sanctissimum ejus latus lanceâ militis aperiretur.

- §.1. *Ostenditur ex tragica historia, quare Christus D. post mortem sibi voluerit aperiri latus, & transfigi cor.*
- §.2. *Historiæ applicatio.*
- §.3. *Apostrophe ad Auditores.*
- §.4. *Cor Seraphicæ S. Theresiæ igneâ cuspide transfixum à Seraphino.*
- §.5. *Quâ ratione Cupido expugnaverit cor saxeum.*
- §.6. *Cur pius Iob ad tristissimos nuntios sciderit vestimenta sua.*
- §.7. *Cor IESV fuit transfixum, ut lancinaretur cor Matris.*

AUdivistis, ad quid vulneratum sit cor Jesu, postquam in cruce expiravit. Occurrunt adhuc plura, valde pia & affectuosa. Marcellinus Picenus hom.6. de Euchar. ex Annalibus Salernitanis §. 1 *Ostenditur ex tragica historia, quare Christus*

ſtus D. post mortem ſibi voluerit aperiri latus, & transfigi cor. tanis tragicam de Tancredo refert hiſtoriam. Is animadvertens, quendam in aula ſua Palatinum, nomine Guiſcardum, ſummopere adamare filiam ſuam Sigiſmundam, à qua viciſſim tenerè diligebatur; veritus, ne connubium inirent, (inter quos magna ſtemmatis, & nobilitatis erat inæqualitas,) crudeli conſilio juſſit Guiſcardum occidi, & è palpitantis corpore cor exſcindi, quod factum eſt. Tum illud phialâ aureâ repoſitum miſit filiæ, cum ſcedula, cui inſcripſerat hæc verba: *Ecce cor amantis.* Vel, ut alii referunt, *Ecce cor cordis tui: cape cor amantis!* Sigiſmunda tam triſti ſpectaculo ſtupefacta, phialam volvens, revolvens, cum gemitu dixit: *Sapienter ô Pater, cor aureum tumulo aureo honoraſti.* Tum cor illud adhuc calidum madidis oculis aſpexit, lachrymis rigavit, oſculis libavit, & in talia verba erupit: *O cor! itáne amore mei vitâ es orbatum? ô corculum cordis mei!* (ut Pater ait) *quid ego in pignus amoris tibi rependam? quocunque me verto, unicum reperio, ut cor pro corde rependam*; & arrepto pugione, latè pectus aperiens, dixit: *Cor corde rependo.* Hæc fuit tragica mors duorum amantium!

§. 2. *Hiſtoriæ applicatio.* O mi JESU crucifixe! cur ita nos amaſti! quia ita amaſti, ex voluntate Patris tui, pro nobis debuiſti mori! Neque hoc Patri fuit ſatis. Longinus pectus, latus & cor debuit aperire! Agnoſcitis characteres ſanguine ſcriptos: *Ecce cor Amantis.* O Pater æterne! non crudelitati, ſed immenſæ tuæ bonitati, & infinitæ miſericordiæ hoc aſſcribimus. O Pater! ſapienter & bene omnia facta ſunt! Ecce, Animæ piæ, *Cor amantis!* itaque luſtrate oculis, volvite, revolvite, rigate lachrymis, libate oſculis ſanguineum hoc cor, cordibus veſtris includite! Amore noſtro in cruce mortuus eſt! quia nos amavit, lanceâ apertum eſt latus ejus; quia ita amavit, cor ita debuit transfigi! Verùm quid in amoris & gratitudinis teſſeram amanti rependemus? quid minus facere poſſumus, quàm ut cor cordi rependamus.

§. 3. *Apoſtrophe ad Auditores.* Sed ubi pugio? ubi gladius? ubi ſagitta? ubi lancea? ubi inſtrumenta, quæ pectora noſtra aperiant? adverto! horror vobis eſt, ut talia vulnera vobis ipſi infligatis! ſi tamen vultis, non deerunt, qui infligant.

§. 4. *Cor Seraphi-* Vidit aliquando S. Thereſia ſibi aſtantem Angelum, mirè formo-

formosum, & fulgentem. Visus fuit esse ex illis, qui toti ignei & flammantes inter Seraphinos assistunt throno divinæ Majestatis. Habuit hic Seraph aureum spiculum, cum ignita cuspide, quâ cor S. Theresiæ aliquoties transfixit; hinc sanctissima Virgo sensit vulnera doloris, & amoris. Doloris, de offenso DEO! amoris, erga summum & infinitum bonum. Ex utroque vulnere, in Seraphico corde, ingens suavitas, & dulcedo! O ignite Seraph! videmus nostris oculis cor amantis JESU crucifixi! hoc cor, vulneratis & sanguineis cordibus cupimus rependere! lanceis! sagittis! pugionibus id facere nobis amantibus! qui reverà sponsum sanguinum redamamus, id facere non licet. Verùm ô Seraphini, vobis id licet; ecce nudamus pectora! ecce illa aperta formosis & igneis vestris jaculis! hæc pulchra! hæc decora! doloris & charitatis vulnera desideramus! Sentio mi JESU! ô suavitatem! ô delicias! ô torrentem cœlestis voluptatis! in corde, quod pro corde Christi se rependit! ô divitem emptionem! ô beatam commutationem! accipere cor Crucifixi, & dare suum!

ca S. Theresia ignea cuspide transfixum à Seraphino

Ad hoc apertum est latus Christi, & vulneratum cor ejus! Anacreon in græco quodam carmine de amore, introducit Amorem cum quodam viro decertantem, ut eum alliceret ad sui amorem. *Cùmque omnibus in eum jactis telis, nihil tandem proficeret, velut si lapideum cor sagittaret; æstuans amor* (se quasi in telum convertit,) *& jecit se in ipsius cor, penetrans in eum, quem amaverat, suumque fecit!* Sic triumphavit Amor! Ah! quot telis divinus amor JESU, dum vixit, sagittavit corda nostra! vincula, virgæ, flagella, clavi, crux! fuerunt sagittæ, quibus sagittavit corda nostra! nihilominus adhuc amori resistitis? an induruistis ut lapides? num saxea sunt corda vestra? Ecce novum & igneum telum! ecce cor ejus sanguineum, quo conatur cor nostrum expugnare! cedimus! cedimus, mi JESU crucifixe! Amorem nostrum exigis? ecce illum! Desideras corda nostra? ecce illa! O æstuans amor in corde JESU! illabere cordibus nostris; penetra intimas fibras! tota fac tua! ut sic triumphet amor Crucifixi, cor suum nobis offert.

§. 4. Quâ ratione Cupido expugnaverit cor saxeum!

Ad hoc apertum est latus, & vulneratum cor JESU! sanctissimus Job cùm cunctas diabolicæ militiæ phalanges contra se armatas

§. 5. Cur pius Job ad tri-

...lissimos nuntios, sciderit vestimenta sua.

matas cerneret, cùm audiret ædium ruinas, filiorum, filiarumque strages, bonorum direptionem, & similia, *scidit vestimenta sua*, cap.1. v.20. Ne cogitetis, fuisse hoc signum alicujus impatientiæ; altiùs rem consideravit S. Chrysostomus, dum ait: *Disrupit vestem, quâ indutus erat, diaboli rapacitatem confundens, gloriaturque contra tentantem, ostendens, quòd majora queat sustinere. Ipsum pectus, ipsum cor offert, ut illud quoque patiatur.* Parum fuit Jobo exteriora corporis membra propter ulcera, vermes & saniem; pectus & cor obtulit ad patiendum ampliùs! O amorem JESU! ô immensam liberalitatem! vivus in cruce, inimicis obtulit veniam, latroni donavit paradisum, discipulo Matrem, Matri discipulum, tunicam militibus, Patri spiritum, totum corpus lictoribus! Super hæc omnia, post mortem voluit adhuc scindi vestem SS. suæ Humanitatis; voluit sibi aperiri pectus, dilacerari cor! quòd spinæ laceraverint caput, flagella corpus, clavi manus & pedes; parum fuit illius amori, cor quoque dilacerandum; tum ut ostendat, se paratum ad patiendum ampliùs; tum ut cor ipsius nostrum sit.

§. 7. *Cor IESV fuit transfixum, ut lancinaretur cor Matris.*

Ad hoc apertum fuit latus, & vulneratum cor Crucifixi, ut post mortem benedicta ejus Mater adhuc magis torqueretur, ejusque cor ab illa lancea lancinaretur; quod tum contigit, cùm Longinus crudeli lanceâ mortui Filii pectus aperuit. De quo piè S. Bern. ser. 1. Hoc signum magnum, &c. *Posteaquam emisit spiritum tuus ille IESVS, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea; sed tuam utique pertransivit animam; ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, & plus quàm Martyrem te meritò prædicemus!* Sed, non licet mihi modò huic dolori inhærere; hoc rogo cum S. Bernardo: *O dolorosa Mater! utinam dolor ille, quem tunc passa es, hîc nunc inhæreat visceribus meis, sicut inhæsit tunc tuis! Vtinam mihi communicares lachrymas tuas, ut per illas cognoscerem, quantum tibi amaritudinis fuerit, cùm IESVM dilectum tuum, sed heu! heu! parum dilectum mihi, clavis in ligno crucifixum, capite inclinato suum exhalare spiritum videres, - & deinde Longinum, &c. - Mihi obsecro lachrymas illas infunde, quas ipsa habuisti, dum stares sub cruce, ut ego tibi & Filio tuo possim condolere.*

PUNCT. X.

PUNCTUM X.

DEPOSITIO DE CRUCE, ET SEPULTURA CHRISTI DOMINI.

SYNOPSIS.

CAdaver Christi Domini de cruce deponitur, & sepulturæ in saxeo lapide mandatur.

§. 1. *Quâ pompâ cadaver Christi D. de cruce fuerit depositum, & sepulturæ mandatum.*
§. 2. *Quantus fuerit dolor Cleopatra, cùm vidit filium suum à patre in partes conscissum, applicatur B. Virgini Mariæ.*
§. 3. *Matris Macchabæorum.*

SUperest totius tragœdiæ epilogus, sive funebris pompa, quâ cadaver Christi D. de cruce depositum, & sepulchro illatum fuit. Personæ, quæ epilogum luserunt, fuerunt Maria Mater JESU, S. Joannes Evangelista, Joseph ab Arimathia, Nicodemus, Maria Magdalena, & aliæ piæ fœminæ, quæ Christum D. usque ad crucem fuerant secutæ. Modus fuit hic: Advesperascente jam horâ, occumbente Sole, stabat mœstissima Mater juxta crucem afflicta & lassa tot doloribus, & novo crudeli vulnere lacerata, quòd non esset, qui dilectissimum Filium sepeliret. Fortassis suspiravit cum matre Alexandri M. (Plutarchus l.5.apoph.14.) *O fili! qui cæli particeps esse studebas, & iis potiri, jam non vales, quæ mortalium omnium communia sunt, terra & sepultura.* Sed recrearunt tristissimam Matrem, Joseph ab Arim. & Nicodemus, qui obtentâ licentiâ à Pilato, accurrerunt cum necessariis instrumentis ad depositionem cadaveris. Scalas, in quibus lictores fregerant latronum crura, apposuerunt utrimque ad arborem crucis; interim dum Josephus, Nicodemus, & S. Joannes per scalas ascenderunt, B. Virgo, S. Maria Magd. sub cruce expandetunt pannos & linteamina, quibus cadaver Christi imponeretur.

§. 1. Qua pompa cadaver Christi de cruce fuerit depositum.

gremio meo, te mortuum teneo? O durum divortium, (D. Bonav. in medit. cap. 82.) *dura & nimis pœnosa ista redemptio: de qua gaudeo propter salutem hominum; sed in tuis doloribus & morte, multùm affligor vehementer. O mi fili! à te me oportet separari? quomodo sine te vivere possum!*

PVNCTVM XI.

ET ULTIMUM.

DE DOLORIBUS B. VIRGINIS.

EX VERBIS ILLIS,

Stabat juxta crucem JESV Mater ejus, Joannis 19. v. 25.

SYNOPSIS.

PRoponit, cur B. V. juxta crucem steterit, & quantum clavi, vulnera, &c. in corde ipsius causaverint dolorem.

ta crucem, nisi divinitùs fuisset roborata. | §.13. *Quàm sit utile meminisse dolorum B. Virg.*

TRistis, sed affectuosa, & plena solatio pro nobis, præsertim peccatoribus, circumstantia crucifixionis est, quòd juxta crucem JESU steterit Mater ejus; Mater misericordiæ, & refugium peccatorum. Sed ô Domina! cui comparabo te? vel cui assimilabo, vel exæquabo Virginem filiam Sion? Frustra hoc quæro; respondit jam Glossa in Jeremiam: *Non invenitur illi digna comparatio, vel assimilatio, vel adæquatio; tota enim est informis, tota est horribilis; totam illam possidet contritio: ad non esse tendit; hoc est, tabescit præ dolore.* Sic est; nihilominus inter tantas angustias, veluti heroina, & invicta cautes, inter horribiles fluctus immota stetit. Breve, sed mysteriosum verbum, *Stetit!* §. 1. *Ingressus per pulchram quæstionem.*

Audiebat, (inquit S. Laur. Just. de tr. ag. c. 16.) *confusas militum crucifigentium voces; audiebat malleorum clavos infigentium ictus, totiesque in corde suscipiebat doloris jacula, quoties super clavos resonabant percutientium verbera.* Tamen stetit! *suppressâ voce, lachrymis ubertim defluentibus ingeminabat, dicens: Heu me! fili mi IESV, IESV fili mi! quis mihi det, ut moriar pro te, fili mi IESV, lumen oculorum meorum.* Sed addidit: *Stabo, & aspiciam oculis manus perforatas, & pedes: videbo, quomodo pendeat in patibulo mundi Salvator; & quomodo transeat ex hoc mundo. Accedam! accedam propiùs, & amplectar brachiis, & osculabor crucem Filii mei IESV.* S. Laur. Just. *Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ;* tota est in dolore & contritione, nihilominus stat. §. 2. *Clavi, vulnera pedum & manuũ, quantum in Virgine causaverint dolorem!*

Causam advertit S. Bonaventura f. 1. de Virg. *Virgo fuit cælum firmamentum, uniformiter semper motum, per patientiæ firmitatem; nam licèt in ea aquæ inferiores, id est, vires sensitivæ, & sensibiles fortissimè fuerint concussæ in Filii sui passione, superiores tamen à sua non fuerunt pace commotæ; & licèt sentina navis, id est, pars sensibilis repleta fuerit aquis maris: pars tamen superior ventis prosperis navigavit,* - donec immota staret ad crucem JESU in monte Calvariæ. Astat cruci coram, & filium intuetur, & confixis in illum oculis, §. 3. *B. Virgo juxta crucẽ fuit immotum cælum.*

 vulne-

inventionem vindicandi se de inimico. Tinthius lanceâ percussit statuam Palladis, illô momento corruit mortuus. Milo Epirota lanceâ occidit Laodomiam, filiam Pyrrhi ad aram Dianæ, ad quam veluti asylum confugerat; eodem momento conversus fuit in furiam, & rabidam bestiam. Tempus non permittit referre similia. Alia fuit vindicta, quam Christus D. intulit Longino. Voculam, quam in cruce protulerat lingua morientis JESU, *Ignosco*, protulit gutta sanguinis prosiliens ex transfixo ejus corde, *Ignosco*. Illuminetur, videat, convertatur Longinus. Quis non exclamet cum S. Bernardino: *O mors amabilis! ô passio desiderabilis! ô profunditas admirabilis! Quid mirabilius? quàm quòd mors vivificat, vulnera sanant, sanguis emundat; dolor ad amorem inflammat; apertio lateris cor cordi conjungit.*

§. 7. *Sanguis cordis Christi emundat.* Sanguis mundat. S. Bern. ser. 190. *Fuit sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est, ut effunderetur, deleret.* Scimus, quid clamarit vox sanguinis Abel. Sed alius fuit clamor hujus sanguinis, per Oseam c. 2. v. 23. *Miserebor ejus, qui fuit absque misericordia.* De lancea Achillis dixerunt Antiqui, *Qua vulnus, sanitas!* Lancea Longini habuit hanc virtutem. S. Ambrosius in ps. 118. *Vulnus est, quod Christus excepit, sed unguentum est, quod effudit.* Accurrite cæci, accurrite ægri, accurrite vulnerati, venite omnes, videte prodigium. Si vultis, hic sanguis, hoc unguentum, momento vos potest curare, &c.

§. 8. *Cur cum sanguine exiverit aqua.* Cum sanguine exivit aqua, non sine mysterio. D. Thom. *Ex latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta, per qua salvata est Ecclesia.* S. Chrysost. *Non casu & simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est.* S. Ambr. in cap. 23. Lucæ: *Ex illo corpore defuncto vita manabat; aqua enim & sanguis exivit; illa, qua diluat: iste, qui redimat.* Impletusque fuit versus 6. cap. 1. Apoc. *Ipse dilexit nos, & lavit nos in sanguine suo.* (Est locus pro pulchro affectu.)

§. 9. *Cur apertum fuerit latus dexterum.* Superest una circumstantia affectuosa suavissimi hujus mysterii, quam observavit S. Bern. ser. 7. in ps. 90. *Dominus meus IESUS Christus, post cætera inæstimabilis suæ erga nos beneficia pietatis, etiam*

dexte-

dexterum sibi, propter nos passus est latus fodi, quòd videlicet vellet non nisi in dexterâ parare nobis locum refugii. Et ser. 2. de pass. c. 3. *Ad hoc vulneratum est cor suum, ut in illo habitare possimus.* Petrus Abbas Cell. *IESVS à perfossione lateris sibi non pepercit, ut te in cavernam lateris recepto, ad omne consilium suum admitteret, & gaudiis admisceret.* O anima pia! *Omne asperum intinge in hoc latus, erit tibi dulce.* Hodie illuxit illa dies, de qua dixit Joël c.3. v.18. *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & per omnes rivos Iuda ibunt aqua, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* (Implora gratiam Spiritus Sancti, ut suggerat affectuosissimum Epilogum.)

CONTINVATIO
DE APERTO CHRISTI LATERE ET CORDE.

SYNOPSIS.

Ostendit, cur Christus D. postquam spiritum emisit, permittere voluerit, ut sanctissimum ejus latus lanceâ militis aperiretur.

§.1. *Ostenditur ex tragica historia, quare Christus D. post mortem sibi voluerit aperiri latus, & transfigi cor.*
§.2. *Historiæ applicatio.*
§.3. *Apostrophe ad Auditores.*
§.4. *Cor Seraphicæ S. Theresiæ igneâ cuspide transfixum à Seraphino.*
§.5. *Quâ ratione Cupido expugnaverit cor saxeum.*
§.6. *Cur pius Iob ad tristissimos nuntios sciderit vestimenta sua.*
§.7. *Cor IESV fuit transfixum, ut lancinaretur cor Matris.*

Audivistis, ad quid vulneratum sit cor Jesu, postquam in cruce expiravit. Occurrunt adhuc plura, valde pia & affectuosa. Marcellinus Picenus hom.6. de Euchar. ex Annalibus Salernitanis

§. 1 Ostenditur ex tragica historia, quare Chri-

ſtus D. poſt mortem ſibi voluerit aperiri latus, & transfigi cor.

tanis tragicam de Tancredo refert hiſtoriam. Is animadvertens, quendam in aula ſua Palatinum, nomine Guiſcardum, ſummopere adamare filiam ſuam Sigiſmundam, à qua viciſſim tenerè diligebatur; veritus, ne connubium inirent, (inter quos magna ſtemmatis, & nobilitatis erat inæqualitas,) crudeli conſilio juſſit Guiſcardum occidi, & è palpitantis corpore cor exſcindi, quod factum eſt. Tum illud phialâ aureâ repoſitum miſit filiæ, cum ſcedula, cui inſcripſerat hæc verba: *Ecce cor amantis.* Vel, ut alii referunt, *Ecce cor cordis tui: cape cor amantis.* Sigiſmunda tam triſti ſpectaculo ſtupefacta, phialam volvens, revolvens, cum gemitu dixit: *Sapienter ô Pater, cor aureum tumulo aureo honoraſti.* Tum cor illud adhuc calidum madidis oculis aſpexit, lachrymis rigavit, oſculis libavit, & in talia verba erupit: *O cor! itáne amore mei vitâ es orbatum? ô corculum cordis mei!* (ut Pater ait) *quid ego in pignus amoris tibi rependam? quocunque me verto, unicum reperio, ut cor pro corde rependam*; & arrepto pugione, latè pectus aperiens, dixit: *Cor corde rependo.* Hæc fuit tragica mors duorum amantium!

§. 2. *Hiſtoria applicatio.*

O mi JESU crucifixe! cur ita nos amaſti! quia ita amaſti, ex voluntate Patris tui, pro nobis debuiſti mori! Neque hoc Patri fuit ſatis. Longinus pectus, latus & cor debuit aperire! Agnoſcitis characteres ſanguine ſcriptos: *Ecce cor Amantis.* O Pater æterne! non crudelitati, ſed immenſæ tuæ bonitati, & infinitæ miſericordiæ hoc aſſcribimus. O Pater! ſapienter & bene omnia facta ſunt! Ecce, Animæ piæ, *Cor amantis*! itaque luſtrate oculis, volvite, revolvite, rigate lachrymis, libate oſculis ſanguineum hoc cor, cordibus veſtris includite! Amore noſtro in cruce mortuus eſt! quia nos amavit, lanceâ apertum eſt latus ejus; quia ita amavit, cor ita debuit transfigi! Verùm quid in amoris & gratitudinis teſſeram amanti rependemus? quid minus facere poſſumus, quàm ut cor cordi rependamus.

§. 3. *Apoſtrophe ad Auditores.*

Sed ubi pugio? ubi gladius? ubi ſagitta? ubi lancea? ubi inſtrumenta, quæ pectora noſtra aperiant? adverto! horror vobis eſt, ut talia vulnera vobis ipſi infligatis! ſi tamen vultis, non deerunt, qui infligant.

§. 4. *Cor Seraphi-*

Vidit aliquando S. Thereſia ſibi aſtantem Angelum, mirè formo-

formosum, & fulgentem. Visus fuit esse ex illis, qui toti ignei & flammantes inter Seraphinos assistunt throno divinæ Majestatis. Habuit hic Seraph aureum spiculum, cum ignita cuspide, quâ cor S. Theresiæ aliquoties transfixit; hinc sanctissima Virgo sensit vulnera doloris, & amoris. Doloris, de offenso DEO! amoris, erga summum & infinitum bonum. Ex utroque vulnere, in Seraphico corde, ingens suavitas, & dulcedo! O ignite Seraph! videmus nostris oculis cor amantis JESU crucifixi! hoc cor, vulneratis & sanguineis cordibus cupimus rependere! lanceis! sagittis! pugionibus id facere nobis amantibus! qui reverà sponsum sanguinum redamamus, id facere non licet. Verùm ô Seraphini, vobis id licet; ecce nudamus pectora! ecce illa aperta formosis & igneis vestris jaculis! hæc pulchra! hæc decora! doloris & charitatis vulnera desideramus! Sentio mi JESU! ô suavitatem! ô delicias! ô torrentem cœlestis voluptatis! in corde, quod pro corde Christi se rependit! ô divitem emptionem! ô beatam commutationem! accipere cor Crucifixi, & dare suum!

c4 S. Theresia igneâ cuspide transfixum à Seraphino

Ad hoc apertum est latus Christi, & vulneratum cor ejus! Anacreon in græco quodam carmine de amore, introducit Amorem cum quodam viro decertantem, ut eum alliceret ad sui amorem. *Cùmque omnibus in eum jactis telis, nihil tandem proficeret, velut si lapideum cor sagittaret; æstuans amor* (se quasi in telum convertit,) *& jecit se in ipsius cor, penetrans in eum, quem amaverat, suumque fecit!* Sic triumphavit Amor! Ah! quot telis divinus amor JESU, dum vixit, sagittavit corda nostra! vincula, virgæ, flagella, clavi, crux! fuerunt sagittæ, quibus sagittavit corda nostra! nihilominus adhuc amori resistitis? an induruistis ut lapides? num saxea sunt corda vestra? Ecce novum & igneum telum! ecce cor ejus sanguineum, quo conatur cor nostrum expugnare! cedimus! cedimus, mi JESU crucifixe! Amorem nostrum exigis? ecce illum! Desideras corda nostra? ecce illa! O æstuans amor in corde JESU! illabere cordibus nostris; penetra intimas fibras! tota fac tua! ut sic triumphet amor Crucifixi, cor suum nobis offert.

§. 4. Quâ ratione Cupido expugnaverit cor saxeum!

Ad hoc apertum est latus, & vulneratum cor JESU! sanctissimus Job cùm cunctas diabolicæ militiæ phalanges contra se armatas

§. 5. Cur pius Iob ad tri-

fißimos nuntios, sciderit vestimenta sua. matas cerneret, cùm audiret ædium ruinas, filiorum, filiarumque strages, bonorum direptionem, & similia, *scidit vestimenta sua,* cap.1. v.20. Ne cogitetis, fuisse hoc signum alicujus impatientiæ; altiùs rem consideravit S. Chrysostomus, dum ait: *Disrupit vestem, quâ indutus erat, diaboli rapacitatem confundens, gloriaturque contra tentantem, ostendens, quòd majora queat sustinere. Ipsum pectus, ipsum cor offert, ut illud quoque patiatur.* Parum fuit Jobo exteriora corporis membra propter ulcera, vermes & saniem; pectus & cor obtulit ad patiendum ampliùs! O amorem JESU! ô immensam liberalitatem! vivus in cruce, inimicis obtulit veniam, latroni donavit paradisum, discipulo Matrem, Matri discipulum tunicam militibus, Patri spiritum, totum corpus lictoribus! Super hæc omnia, post mortem voluit adhuc scindi vestem SS. suæ Humanitatis; voluit sibi aperiri pectus, dilacerari cor! quòd spinæ laceraverint caput, flagella corpus, clavi manus & pedes; parum fuit illius amori, cor quoque dilacerandum; tum ut ostendat, se paratum ad patiendum ampliùs; tum ut cor ipsius nostrum sit.

§. 7. *Cor IESV fuit transfixum, ut lancinaretur cor Matris.* Ad hoc apertum fuit latus, & vulneratum cor Crucifixi, ut post mortem benedicta ejus Mater adhuc magis torqueretur, ejusque cor ab illa lancea lancinaretur; quod tum contigit, cùm Longinus crudeli lanceâ mortui Filii pectus aperuit. De quo piè S. Bern. ser. 1. Hoc signum magnum, &c. *Posteaquam emisit spiritum tuus ille IESVS, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea; sed tuam utique pertransivit animam; ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, & plus quàm Martyrem te meritò prædicemus!* Sed, non licet mihi modò huic dolori inhærere; hoc rogo cum S. Bernardo: *O dolorosa Mater! utinam dolor ille, quem tunc passa es, hîc nunc inhæreat visceribus meis, sicut inhæsit tunc tuis! Vtinam mihi communicares lachrymas tuas, ut per illas cognoscerem, quantum tibi amaritudinis fuerit, cùm IESVM dilectum tuum, sed heu! heu! parum dilectum mihi, clavis in ligno crucifixum, capite inclinato suum exhalare spiritum videres, & deinde Longinum, &c. Mihi obsecro lachrymas illas infunde, quas ipsa habuisti, dum stares sub cruce, ut ego tibi & Filio tuo possim condolere.*

PUNCT. X.

PUNCTUM X.

DEPOSITIO DE CRUCE, ET SEPULTURA CHRISTI DOMINI.

SYNOPSIS.

CAdaver Christi Domini de cruce deponitur, & sepulturæ in saxeo lapide mandatur.

§. 1. Quâ pompâ cadaver Christi D. de cruce fuerit depositum, & sepulturæ mandatum.

§. 2. Quantus fuerit dolor Cleopatra, cùm vidit filium suum à patre in partes conscissum, applicatur B. Virgini Mariæ.

§. 3. Matris Macchabæorum.

SUperest totius tragœdiæ epilogus, sive funebris pompa, quâ cadaver Christi D. de cruce depositum, & sepulchro illatum fuit. Personæ, quæ epilogum luserunt, fuerunt Maria Mater JESU, S. Joannes Evangelista, Joseph ab Arimathia, Nicodemus, Maria Magdalena, & aliæ piæ fœminæ, quæ Christum D. usque ad crucem fuerant secutæ. Modus fuit hic: Advesperascente jam horâ, occumbente Sole, stabat mœstissima Mater juxta crucem afflicta & lassa tot doloribus, & novo crudeli vulnere lacerata, quòd non esset, qui dilectissimum Filium sepeliret. Fortassis suspiravit cum matre Alexandri M. (Plutarchus l. 5. apoph. 14.) *O fili! qui cœli particeps esse studebas, & iis potiri, jam non vales, quæ mortalium omnium communia sunt, terra & sepultura.* Sed recrearunt tristissimam Matrem, Joseph ab Arim. & Nicodemus, qui obtentâ licentiâ à Pilato, accurrerunt cum necessariis instrumentis ad depositionem cadaveris. Scalas, in quibus lictores fregerant latronum crura, apposuerunt utrimque ad arborem crucis; interim dum Josephus, Nicodemus, & S. Joannes per scalas ascenderunt, B. Virgo, S. Maria Magd. sub cruce expanderunt pannos & linteamina, quibus cadaver Christi imponeretur.

§. 1. Quâ pompâ cadaver Christi de cruce fuerit depositum.

Initium factum fuit à ſpinea corona, quam Joſephus cum magna reverentia de capite JESU detractam, porrexit triſtiſſimæ Matri; facilè cogitare poſſumus, quibus affectibus illam fuerit deoſculata, quibus oculis aſpexerit, & ſpinas cruentatas ſanguine, & particulas cerebri & carnis, illis adhærentes! ſimilibus affectibus doloris, amoris, compaſſionis excepit clavos, è manibus & pedibus extractos; illos intuens & amplectens, donec viderit totum cadaver jam liberum à cruce; tum enim ipſa levatis in altum brachiis, prima illud excipere tentavit. Ita ait D. Bernardinus t. 1. ſer. 55. *Venerunt Ioſeph & Nicodemus ad locum, ubi erat crucifixus IESVS; quos ut vidit Mater volentes deponere illum, quaſi de morte reſurgens, revixit paululùm ſpiritus ejus; & illi, prout poterat, auxilium cum cæteris miniſtrabat: in altum brachia levans, & caput Chriſti dependens, ſuper pectus ſuum recipiebat.* Et Metaphraſtes die 15. Aug. *Virgo in deponendo Chriſto de Cruce, maternis manibus inſervivit, & clavos, qui extrahebantur, in ſinu ſuo accepit, & membra illius amplexata eſt.* S. Brigittæ dixit B. Virgo l. 1. revel. c. 10. *Ego cum linteo meo extorſi vulnera, & membra ejus, & clauſi oculos, & os ejus, quæ in morte fuerant aperta.* Iterum D. Bernardinus: *Mæſtiſſima mater faciem ſuam faciei Chriſti conjunxit, & oſcula devota imprimens, quaſi mortua ſtetit, & tranſire ex hoc mundo viſa eſt.* Quem ſenſum fuiſſe putamus virginei cordis, & afflictiſſimæ Matris, cùm ante oculos ſuos amantiſſimum Dominum & Filium ſuum mortuum vidit?

§. 2 *Quantus fuerit dolor Cleopatræ, cùm vidit filium ſuum à patre in partes conſciſſum, applicatur B. V.*

Cùm Cleopatra filium ſuum ab iracundo Patre & marito, in partes conſciſſum vidit, exclamavit: *Heu! heu! membratim pereo.* Idem cogitemus de afflictiſſima MATRE; quot vulnera vidit per totum cadaver Filii ſui, &c. toties periit, toties mortuum quaſi fuit cor ejus; tot ictus ſcindentis gladii ſenſit in anima ſua. Bene dicere poſſumus, quod de Regina Saba dixit 3. Reg. 10. v. 5. *Non habuit ultra ſpiritum.* Experta fuit MARIA, veriſſimum eſſe illud Boëtii: *Infeliciſſimum infortunii genus eſt, fuiſſe felicem.* Et illud Plauti: *Miſerum iſtud verbum eſt, & peſſimum, habuiſſe, & non habere.* Feliciſſimam judicavimus MARIAM, cùm Filium ſuum concepit, cùm peperit, cùm uberibus lactavit, cùm pannis involvit, &c. Sed hodie felici-

felicitas illa mutata est in luctum & planctum. Vixit JESUS! vixit amantissimus ille Filius. Habuit viventem, modò mortuum habet in ulnis & gremio, dicereque potest cum Anna matre Samuelis l.1.Reg.c.1.v.15. *Mulier infelix nimis ego sum.* S. Petrus Chrysologus ser. 123. *Vt amariùs doleret, se perdidisse, quod gratia dederat, & natura.* Privata *Filio, qui totus fuerat amabilis, totus admirabilis, totus desiderabilis.* Ideo mœstissima Mater tam copiosas effudit lachrymas, *ut* (D. Bernardinus) *carnem cum spiritu, totam in lachrymas resolvi putares.*

§. 3. Matris Machabæorum.

De matre Machabæorum ait S. Chrysostomus: *Graviùs in suppliciis filiorum patiebatur, quàm si ipsa pateretur; & major erat passio in visceribus matris, quàm in corporibus filiorum.* Si hoc accidit matri Machabæorum, quid accidisse putamus Mariæ? Aspexit v. g. spineam Filii coronam! graviùs sensit supplicium, quàm si corporaliter spinis fuisset coronata. (Ita de clavis, de vulneribus, de morte Filii, &c.) De eadem matre Machabæorum ait l. 2. Machab.c.7. v. 41. *Novissimè post filios, & mater consumpta est.* Hic idem fuit exitus tragœdiæ passionis. *Post filium, consumpta est mater.* Arnoldus Carnotensis de 7. verbis Domini: *Parentis affectu commortua est, & pectus maternum immanitate dolorum fuit arctatum.* S. Brigittæ dixit l. 3. Revel. c. 21. *Qualem tristitiam tunc temporis habui, non est, qui valeat dicere; eram enim sicut mulier pariens, cujus tremula sunt membra.* Dicere quoque potuit, *Agonizans fui, &c.* (est locus pro pulchra descriptione.)

Cùm Electræ oculis objectum fuisset cadaver fratris Orestis, ita gemuit: *O dulces fraternæ animæ reliquiæ! qualem te mi Orestes accipio! quantum ab illo mutatum! quem florentem dimisi, nunc infelix te cerno, Nihil & fabulam. Heu! quot delicias una mihi dies, instar infesti turbinis, abstulit! Tecum omnia vitæ solatia perierunt!* Alia mater mortem florentissimi filii sic deflevit: *O pulcherrime puer, qualis jaces? O fulgidi oculorum orbes, nunc clausi! O caput antea festivum, nunc in cinerem conversum! O manus dilapsæ! O pedes! -- O tragædiam!* Tales sine dubio fuerunt planctus & gemitus Mariæ! puto illam millies suspirasse: *O sanguis meus! ô tenera membra! ô dulce caput! ô flos tener! ô labia mellea! ô manus! ô lumina! Fili mi! mi fili: in*

gremio

gremio meo, te mortuum teneo? O durum divortium, (D. Bonav. in medit. cap. 82.) *dura & nimis pœnosa ista redemptio! de qua gaudeo propter salutem hominum; sed in tuis doloribus & morte, multùm affligor vehementer. O mi fili! à te me oportet separari? quomodo sine te vivere possum!*

PVNCTVM XI.

ET ULTIMUM.

DE DOLORIBUS B. VIRGINIS.

EX VERBIS ILLIS,

Stabat juxta crucem JESU Mater ejus,
Joannis 19. v. 25.

SYNOPSIS.

PRoponit, cur B. V. juxta crucem ſteterit, & quantum clavi, vulnera, &c. in corde ipſius cauſaverint dolorem.

§. 1. *Ingreſſus per pulchram quæſtionem.*

§. 2. *Clavi, vulnera pedum & manuum, quantum in Virgine cauſaverint dolorem.*

§. 3. *B. Virgo juxta crucem fuit immotum cælum.*

§. 4. *Mater doloroſa Ruth, Salomon, Sacerdos.*

§. 5. *Summus matris dolor eſt, videre coram afflictum & morientem filium.*

§. 6. *Dolor matris ſeptem filiorum Macchabæorum.*

§. 7. *Apoſtrophe doloroſa Matris ad Filium pendentem in cruce.*

§. 8. *Mater doloroſa amicta Sole & dolore.*

§. 9. *Sol & Luna converſi in ſanguinem.*

§. 10. *Mater ſtans juxta crucem aſſimilatur palmæ.*

§. 11. *Dolores Matris auxerunt dolores filii.*

§. 12. *Corruiſſet Virgo mortua juxta*

ta crucem, nisi divinitùs fuisset roborata.

§.13. *Quàm sit utile meminisse dolorum B. Virg.*

TRistis, sed affectuosa, & plena solatio pro nobis, præsertim peccatoribus, circumstantia crucifixionis est, quòd juxta crucem JESU steterit Mater ejus; Mater misericordiæ, & refugium peccatorum. Sed ô Domina! cui comparabo te? vel cui assimilabo, vel exæquabo Virginem filiam Sion? Frustra hoc quæro; respondit jam Glossa in Jeremiam: *Non invenitur illi digna comparatio, vel assimilatio, vel adæquatio; tota enim est informis, tota est horribilis; totam illam possidet contritio: ad non esse tendit; hoc est, tabescit præ dolore.* Sic est: nihilominus inter tantas angustias, veluti heroina, & invicta cautes, inter horribiles fluctus immota stetit. Breve, sed mysteriosum verbum, *Stetit*! §. 1. *Ingressus per pulchram quæstionem.*

Audiebat, (inquit S. Laur. Just. de tr. ag. c. 16.) *confusas militum crucifigentium voces; audiebat malleorum clavos infigentium ictus, totiesque in corde suscipiebat doloris jacula, quoties super clavos resonabant percutientium verbera.* Tamen stetit! *suppressâ voce, lachrymis ubertim defluentibus ingeminabat, dicens: Heu me! fili mi IESV, IESV fili mi! quis mihi det, ut moriar pro te, fili mi IESV, lumen oculorum meorum.* Sed addidit: *Stabo, & aspiciam oculis manus perforatas, & pedes: videbo, quomodo pendeat in patibulo mundi Salvator; & quomodo transeat ex hoc mundo. Accedam! accedam propiùs, & amplectar brachiis, & osculabor crucem Filii mei IESV.* S. Laur. Just. *Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ;* tota est in dolore & contritione, nihilominus stat. §. 2. *Clavi, vulnera pedum & manuū, quantum in Virgine causaverint dolorem!*

Causam advertit S. Bonaventura s. 1. de Virg. *Virgo fuit cælum firmamentum, uniformiter semper motum, per patientiæ firmitatem; nam licèt in ea aquæ inferiores, id est, vires sensitivæ, & sensibiles fortissimè fuerint concussæ in Filii sui passione, superiores tamen à sua non fuerunt pace commotæ; & licèt sentina navis, id est, pars sensibilis repleta fuerit aquis maris: pars tamen superior ventis prosperis navigavit*, - donec immota staret ad crucem JESU in monte Calvariæ. Astat cruci coram, & filium intuetur, & confixis in illum oculis, §. 3. *B. Virgo juxta crucē fuit immotum cælum.*

vulnera ejus maternâ pietate considerat, & licèt non ignoret, quid boni conferat mundo hæc passio; tamen parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate doloris arctatur.

§. 4. *Mater dolorosa, Ruth, Salomon, Sacerdos.*

De sapientissima puella Ruth, ait c. 2. ejus historiæ, v. 7. *De mane usque ad vesperam stabat in agro, colligendo spicas.* De Salomone l. 3. Reg. c. 3. v. 15. juxta lect. Vatabli, *Stetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocaustum.* De Sacerdotibus tempore Josiæ Regis, *Steterunt in officio suo, - - asperseruntq́ manu suâ sanguinem, qui effundebatur super altare.* O Maria! ô cœlestis Ruth! quales tu collegisti spicas, quales ramusculos myrrhæ, in agro benedicti Corporis Filii tui, unde lacerato! Quales spicas in SS. manuum vulneribus, &c. donec tandem omnes in unum collegit fasciculum, & posuit inter ubera sua. Gravis, ponderosus fuit fasciculus, tamen stetit! O Reginam! ô matrem Salomonis, qualis stetit coram arca SS. Crucis; *Ardore charitatis Domino concremata,* (Hildeph. ser. 3.) *ut tota DEO - cum filio - fieret holocaustum, & ut pro genere humano eidem offerret sanguinem, qui fundebatur super altare Crucis.*

§. 5. *Summus matris dolor est, videre coram afflictum & morientem filium.*

Arnoldus Carnotensis: *Gladio doloris animæ ejus infixo, vulnerabatur spiritu, & crucifigebatur affectu; & quod in carne Christi agebant clavi & lancea, hoc in ejus mente, compassio naturalis, & affectionis materna angustia.* Insignis Interpres affectuosissimè exponit illa verba Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum,* & ait, quòd hoc voluerit dicere, *quandoquidem agnovit, eum veluti Messiam moriturum pro genere humano. Dimitte me, - absolvar quæso Domine, ne diutiùs hic hærens, quæ nolim, intueri compellar. Dimitte nunc obsecro, ne videam audax & nefarium Iudæorum in te facinus: ne videam servum alapam infligentem: ne videam lanceam in te adactam: ne videam te clavis cruci affixum.* Omnia hæc coram spectavit tristissima Mater, tamen stetit. *Mors dilecti alicujus filii,* (S. Bernardinus) *leviùs portatur, si in patris vel matris moriatur absentia, quàm si in eorum præsentia fiat:* propterea passio Matris DEI dolorosior fuit, quia Filii morti præsens erat. *Stetit juxta crucem.* - S. Anselmus. Ideo, *Quis existimare potest, quantâ tristitiâ, mœrore, & dolore vulnerabatur cor maternum, super*

unici

unici & naturalis Filii passione, quem tam castè concepit, tam gaudiosè peperit, tam dulciter aluit; cùm vidit illum ligatum, & solvere non potuit; cùm vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit; cùm vidit sanguinem in faciem fluere, & abstergere nequit: caput inclinatum, & sustentare non potuit; flentem, & præ tristitiâ consolari nequivit; audivit eum dicere Sitio, & ei aquam ministrare non valuit. Quis hæc æstimare potest? & tamen stetit! *Ego*, ipsa ait ad S. Brig. *ego, qualem dolorem tunc patiebar, nullus potest considerare.*

Ita de matre septem Machabæorum pulchrè dixit S. Cyprianus: *Tam pulchrè martyrium præbuit DEO, virtute oculorum suorum, quàm præbuerunt filii omnes tormentis & passione membrorum.* Et S. Augustinus ser. 109. de diversis: *Illa videndo in omnibus passa est, facta mater septem Martyrum, septies martyr; à filiis non separata, spectando: & filiis addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes; ferebat in oculis, quod in carne omnes. Et quod difficillimum erat, moriebatur, & mori non poterat.* (Possunt hæc pulcherrimè applicari Matri dolorosæ, stanti juxta crucem. §. 6. *Dolor matris septem filiorum Machabæorum.*

Stabat Mater juxta crucem, ad amantissimum Filium in cruce pendentem, ex mente D. Greg. Naz. ita alloquens: *Fili mi! quid hæc, aut quo jure pateris? admissum tibi, quale istud, ob quod tam graves pœnas luis? Maculata nullo sanguine est tibi manus, sunt munda labia, membra singula, os doli expers; animaq; casta; fraudis nescium cor, & tamen cum latronibus te pendulum video, in alto ligno! Quàm misera magnis obruor doloribus! Quàm stupeo, ut illum video sublimem in cruce, pendentem, ut ipsi sponte concidat suâ. O terque quaterque miseram! ah! ah! fili mi IESV!* sed inter hos gemitus, nihilominus stetit! ex una parte totam incanduit divinus amor; ita ut in ea nihil esset, nisi ardor continuus, & ebrietas profusi amoris; ex altera, idem præstitit dolor, ut nihil in ea esset, nisi amaritudo. §. 7. *Apostrophe dolorosa Matris ad filium pendentem in cruce.*

Pulchrè S. Bernardus super versum 1. cap. 12. Apoc. *Mulier amicta Sole*, ait: *Iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quàm credi potest, penetravit abyssum; ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci* §. 8. *Mater dolorosa, amicta Sole & dolore.*

illi inaccessibili videatur immersa. Penetrabat proinde clarissimè, *Quis, pro quo, quid, & quomodo pateretur. Magnitudinem, acerbitatem Passionis Filii, nulla creatura comprehendit ut Maria. Sed abysso cognitionis & amoris opponere debemus abyssum dolorum, quibus immersa fuit, adeo, ut post Filium tam atrocia tormenta nulla creatura ita senserit, sicut sensit tenerrimum cor Virginis.* S. Hier. serm. de Ass. Virg. *Quot læsiones in corpore Filii, tot vulnera in corde Matris. Clavi, quibus corpus Christi pendebat, cor Virginis confixum habebant. Nullum tormentum recipiebat corpus Christi, quod tristi echo, non responderet in corde Virginis.* S. Laur. Just. *Cor Virginis fuit clarissimum Passionis Christi speculum, & perfecta mortis ejus imago.* S. Chrysostomus: *In passione Christi duo altaria videbis, unum in pectore Mariæ, aliud in Christi carne: Christus carnem, Maria immolabat animam. Vnum holocaustum ambo pariter DEO offerebant; hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.*

§. 9. *Sol & luna conversi in sanguinem.*

Ita hodie impletus fuit versus 31. c. 2. Joëlis: *Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* Priorem partem implevit horribilis eclypsis Solis, & densæ tenebræ, quæ pendente Christo D. in cruce, factæ sunt super universam terram; nisi dicere velimus, Christum D. pendentem in cruce, esse Solem eclipsatum. Quoad alteram versus partem, ait Albertus Magnus, *Beata Virgo conversa fuit in sanguinem, quando assistens cruci, vidit Filium suum undique laceratum, & sanguine coopertum.* Locum hîc habet apostrophe S. Bern. hom. super *Stabat*: *O viscera beatissima! quanta fuit intra vos commotio, in illo tempore, cùm dissecaretur oculis videntibus, & laceraretur caro illa sacrosancta, quæ intra vestram, dulciter à Spiritu Sancto est formata.* Sed stetit! ideo

§. 10. *Mater stans juxta crucem, assimilatur palmæ.*

Dico ego ex cap. 7. Cant. v. 7. *Staturam ejus fuisse assimilatam palmæ,* quæ arbor hoc habet, ut non tantùm naturâ suâ truncum, ramos, folia, flores & fructus erigat in altum, versus cœlum, (quod Maria fecit stans juxta crucem Filii sui,) sed quòd inclinata resurgat. O quot dolores, quot angustiæ, quot deliquia! inclinassent Virginem versus terram! quoties præ acerbitate doloris cecidisset in terram, nisi stetisset instar palmæ. Hæc comparatio palmæ placuit Wilhelmo Abbati, dum ait: *Per palmam insigne illud, ac victorio-*

victoriosum crucis lignum notatur. Quare ergo Sponsus ait: *Staturam piæ Matris huic palmæ fuisse essimilatam?* piè respondet: *Planè ille foris, illa intus patiebatur crucem. Stabat illa juxta crucem sui IESV, atque ea ipsa sibimet quodammodo erat in cruce erecta. Stando juxta crucem, ipsa sibi per maternum affectum quodammodo erat crux.* S. Laur. Justin. *In cruce agebatur dolore vero, dum cruci filius affigeretur; pendebat ante Matrem Filius: quid dicam? pendebat internâ cruce sublatâ, ante Filium Mater;* ideo stetit instar palmæ.

Oportet autem nos advertere, dolores Matris immensum auxisse dolorem Jesu crucifixi. Advertit id S. Bernardus de pass. Dom. cap. 10. *Cruciat te Domine IESV crux tua; cruciat te dolor tuus; sed non minus dolor ejus.* Adauxit vulnerum passionem materna compassio. Arnoldus Carnot. *Christus jam horâ appropinquante, in Matre ampliùs, quàm in se passus fuit.* Et ipsa Mater S. Brigittæ: *Et cùm ipse me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quòd omnis dolor vulnerum suorum, quasi sopitus erat præ dolore meo, quem in me videbat.* Ut Christus D. verissimè dicere potuerit, ex ps. 68. v. 21. *Sustinui qui me consolaretur, & non inveni;* quia ipsa Mater, quæ libenter filio fuisset consolationi, summo illi fuit dolori. Et B. Laurentius Justin. meditatur Christum D. de cruce ita suspirasse ad Matrem astantem: *Heu! heu! ut quid venisti huc columba mea! formosa mea! Mater mea! dolor tuus meum auget; cruciatus tuus transfigit me. Vt quid Mater tanto dolore consumeris? quare cogitationes variæ* (de meis clavis, de meis spinis, &c.) *conturbant cor tuum? fateor, quia cruciatus tuus, gladius acutissimus mihi est.* — § 11. *Dolores Matris, auxerunt dolores Filii.*

Redeo ad dolores Matris, qui tanti fuerunt, ut dixerit S. Anselmus: *Pia Domina, non crediderim te ullo pacto potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere: nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus dulcedinis Filii tui, pro quo moriente tantopere torquebaris, te confortaret, te consolaretur.* Ideo stetit! & licèt undique vehementissimi videret insignia doloris, tamen tenebatur funiculo triplici; *admirationis, amoris & doloris. Et licèt* — § 12. *Corruisset Virgo mortua juxta crucem, nisi divinitùs fuisset roborata.*

 dolor,

dolor, ex mente Scoti prævaluisset, & secreta mentis ejus ita implevisset, ut in comparatione illius vix admirationi & dolori inveniretur locus; tamen stetit! O quantum hinc inde conflictus exercebatur in Virgine: tanquam in spirituali constituta erat stadio, & indomitarum attrectata morsibus bestiarum; porro velut inundans fluvius, ita doloris in ipsius erat corde rugitus. Sed inter rugitus sævientium fluctuum stetit immota Palma.

§. 13. *Quàm sit utile meminisse dolorũ B. V.*

Hîc denique stat finis meæ exhortationis; infixus hæreo in profundo dolorum Mariæ; rogo vos RR. Patres, ut illorum dolorum frequenter cum tenerrima devotione sitis memores. Non facietis sine fructu. Cùm tempore S. Brigittæ obstinatus & sceleratus multorum annorum peccator, in fine vitæ, cum bono latrone mirabiliter & seriò fuisset conversus, ausa fuit quærere ex Christo D. l. 6. Revel. c. 97. *Quare meruit homo ille contritionem? qui tantis sceleribus erat involutus?* Respondit Christus D. *Hoc fecit dilectio mea, quæ usque ad ultimum punctum exspectat hominis conversionem, & meritum Matris meæ. Nam licèt homo iste eam non dilexerit; tamen quia consuetudo ei fuit, doloribus ejus compati, quoties eam considerabat, vel nominari audiebat; ideo compendium salutis suæ invenit, & salvus erit.* (fiat p. epilogus.)

EXHOR-

EXHORTATIO
DE CHRISTO D. GLORIOSE RESURGENTE A MORTUIS.

Surrexit, non est hic, Marci 16. v. 6.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

CHristo D. gloriosè resurgenti à mortuis debemus gaudium, congratulationem, amorem, & ardentia desideria cœlestis gloriæ.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *Christo D. resurgenti debemus gaudium.*
§. 3. *Ad quod regius Psaltes eleganter nos invitat.*
§. 4. *De gaudio patris, dum rediit filius prodigus.*
§. 5. *Debemus illi congratulationem.*
§. 6. *Multorum exemplo.*
§. 7. *Debemus illi amorem, ob ingens collatum beneficium.*
§. 8. *Invectiva in ingratos.*
§. 9. *Offeramus illi corda nostra.*
§. 10. *Suadet ardentia desideria cœlestis gloriæ.*
§. 11. *Quale v. g. fuit in Moyse.*
§. 12. *In sene Simeone.*
§. 13. *Et in S. Paulo.*
§. 14. *Et regio Psalte.*
§. 15. *Et S. Fr. Salesio.*
§. 16. *Et S. Theresia, S. Ignatio, &c.*

HOC paschali tempore, aliquot actus peculiaris devotionis, erga mysterium Resurrectionis, à vobis exigo, Auditores! §. 1. *Brevis propositio.*

Primum est, ut de Christi D. resurgentis victoriâ, & nobilissimo triumpho, quantum animo possumus, concipiamus gau- §. 2. *Christo D. resurgenti*

debemus gaudium. gaudium. Causam ipse Christus D. proposuit suis Apostolis: Joan. 14. v. 28. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado.* Pauculas voces hodie immutare possum, ô animæ piæ! si diligitis Christum, gaudetis utique, quia resurrexit à mortuis; gaudetis utique, quia vicit diabolum; gaudetis utique, quia liberavit nos omnes à tyrannide mortis. Gaudetis utique, quia transiit & abiit tristis hyems cruentæ Passionis; vivit verò jam in vere gloriæ & lætitiæ. Amantis enim est, de bonis amici æquè gaudere, ac de suis; imò interdum magis, præsertim in Christo D. quem majori, quàm nos ipsos amore prosequimur.

§. 3. Ad quod Regius Psaltes eleganter nos invitat. Ad hoc gaudium, occasione gloriosæ Resurrectionis nos invitat Regius Psaltes; cùm illam in spiritu prævidens, usurpâvit verba à Moyse dici solita, dum arca in deserto ad prosequendum iter in humeros à Levitis tolleretur, dicens Num. 10. v. 35. *Exurgat DEUS, & dissipentur omnes inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant, & sicut fluit cera à facie ignis.* Hæc hodie contigerunt in gloriosa Christi D. Resurrectione. Exurrexit DEUS! *& dissipati sunt inimici ejus,* fugiunt à facie ejus. Fugit synagoga, fugiunt sepulchri custodes, fugit diabolus, fugit mors; stupent iniqui Judices; tota tremit Jerosolyma: omnes inimici defecerunt sicuti fumus, & sicut cera fluit, non à facie ignis, sed à pulcherrima facie JESU gloriosè resurgentis. Subjungit deinde Psaltes, quantùm propterea debeamus gaudere, & ait, ps. 67. v. 4. *Iusti epulentur, & exultent in conspectu DEI, & delectentur in lætitia.* Et lætitiâ circumfluentes, *Cantate DEO psalmum, dicite Nomini ejus, iter facite ei;* qui ascendit - ex sepulchro, - *Dominus nomen illi.* Ante triduum triste confecimus iter, ad spectandam Christi Filii DEI crucifixionem & mortem: hodie in lætitia ad eundem pergemus montem, ut simus spectatores gloriosissimæ ejus Resurrectionis, & cum jubilo exclamare possimus: Dominus est, qui vicit mortem! cantate psalmum. Dominus est, qui infernalem contrivit draconem; cantate psalmum, (hoc modo potest fieri puchra inductio.)

§. 4. De gaudio Patris, dum Si pater filii prodigi, Luc. 15. ob ejus reditum, licèt sordidus & squalidus rediret, alteri filio dixit: *Epulari, & gaudere oportet, quia*

qui

qui perierat, *rediit* quodammodo ad novam vitam. Quid nobis in hodierno Christi resurgentis triumpho putatis faciendum? gaudere oportet; jubilare oportet; cantate! dicite psalmos, cantate *alleluja*: JESUS, Filius æterni Patris, qui in cruce periit, qui per triduum jacuit in sepulchro, rediit ad vitam, resurrexit, non est hîc, sed in magnificentia, & in gloria Dei Patris.

Alterum, quod à nobis exigit gloriosa Christi D. Resurrectio, & pulcherrimus ejus triumphus, est congratulatio: jam enim ille perditam oviculam, unicè dilectam, luporum dentibus ereptam, humerisque suis impositam; omnem scilicet justorum turbam, Patriarchas, Prophetas, Reges, Estheres, Judithas, &c. è limbo eduxit; post paucos dies in gloriosis humeris illaturus cœlo. Ideoq; nos omnes, & Angelos universos invitat, ut olim in parabola: *Congratulamini mihi*, de mortis meæ fructu, tam desiderato, *congratulamini mihi*; corpus meum ante triduum crudelissimè fuit dilaniatum; cutis mea scissa fuit, & conscissa: sed hodie, videte me in corpore glorioso, impatibili, immortali! *Congratulamini mihi*, circumfluo deliciis! & unà mecum ex inferis reduco, dilectissimas mihi animas! has extorsi ex faucibus inferni, *Congratulamini mihi*! *§. 5. Christo resurgenti debemus 2. Congratulationem.*

Cùm Tobias senior filium reducem, & visum recipisset, audivissentque consobrini, Achór & Nabath, repletos illos bonis à cœlo, venerunt ad illum congratulaturi, de omnibus, quæ circa illos ostenderat Deus. Post nativitatem S. Joannis Baptistæ, ad Zachariam parentem, & Elisabetham matrem, venerunt vicini, ut de tantis beneficiis, & tot mirabilibus illis congratularentur. S. Franciscus, cùm audiret, præclarè aliquid actum, pro Dei gloria, & salute animarum, dicere fuit solitus: *Est, quòd inde Christo Domino gratulemur*! O S. Xaveri! ô mei Auditores! hodie habemus causam, ut Christo D. congratulemur. Hodie resurrexit à mortuis: congratulamini illi. Hodie descripti sunt inimici ejus! congratulamini. - *§. 6. Aliorum exemplo.*

Tertiò debemus Christo D. ardentem amorem, ob ingens præstitum beneficium, in redemptione generis humani. Alphonsum Arragonum Regem celebrant Historiæ, quòd, ut rustici ho- *§. 7. Tertiò, debemus Christo resurgenti amorem.*

ob ingens collatum beneficium. minis prolapsum sub onere asellum, sublevaret, ex equo descenderit, & cœno altè se induerit; ingens beneficium! tenerrima compassio, quam auget regia dignitas, quæ benefaciendi desiderio eò usque se dimisit. Sed quid hoc ad Christum Redemptorem nostrum, ejusque in homines propensam munificentiam. Prolapsi eramus in profundum limi, ex quo nemo, nisi DEI Filius nos extrahere potuit, & fecit! sed infixus in limo profundi. Hodie resurrexit! & tantum benefactorem non amabimus? Mens S. Augustini fuit, *quòd qui pro tanto beneficio DEUM non amat, duplicem mereatur infernum.* Dictum verissimum, si, quæ Christus D. pro nobis fecit, attentè perpenderemus, nunquam DEI amor in nostris pectoribus extingueretur.

§ 8. *Invectiva in ingratos.* Sed eheu! utinam locum non haberet querela Senecæ, cùm ait: *Humano generi convitium fit, publica querela est, beneficia perire, & paucissimos esse, qui de bene merentibus non invicem pessimè mereantur:* nihilominùs, licèt ex eo genere simus filii Enoch, hoc est, obliviosi & ingrati, nos tamen DEUS Opt. Max. beneficiis obruit, ut fiat, quod ait Sapiens, *Ut vincat sapientia malitiam;* & tanti amoris excessu, & in benefaciendo perseverantia, nos ad amorem sui provocet; hamus & magnes amoris sunt repetita beneficia!

§. 9. *Offeramus Christo resurgenti cor da nostra.* Ne & nos simus ingrati, rogo, ut amorem, sive cor nostrum, non negemus Christo resurgenti. Dicat quivis cum S. Bonaventura in stim. div. am. p. 2. c. 3. *Tu te mihi dedisti Domine! - tu pro me passus es! &c.- & à me cor meum petis! sed quantum est hoc? Domine mi! qui tam excellens es. Si haberem cor majus, omnium simul hominum cordibus, & Angelorum affectus, & quod plura corporalia & spiritualia contineret, quàm cœlum empyreum; ipsum totum tibi tribuere deberem; & adhuc tanto Domino munusculum parvum, & quasi nihil esset. Quantò magis illam parvam scintillam cordis, quam habeo, tibi dabo, & totaliter in te ponam. Hoc permaximum est mihi, quòd cor meum habere digneris. Nonne stultus essem, si de reliquo applicarem alicui creaturæ, cùm DEUS meus* (cùm JESUS à morte resurgens) *illud velit habere? & jam nolo in me ipso remaneat; sed volo, totaliter requiescat in te, qui creasti illud ad laudandum te: meliùs est,*

ut

ut cor meum maneat in æterna jucunditate, in divina Majestate, & immensa bonitate, (pulchrè in SS. Vulneribus, in dulcissimo corde resurgentis JESU,) *quàm in mea fragilitate: in tua Deitate, quàm in mea iniquitate.*

Nostrum gaudium, gratulationem, gratiarum actionem, & amorem summoperè accendent inflammata desideria, ut aliquando gloriæ Resurrectionis fiamus participes; ut post sanctam mortem cum capite Christo Domino nostro, ad æternam gloriam resurgamus. §. 10. *Suadet ardentia desideria cœlestis gloriæ.*

Tale fuit desiderium Moysis, in mortali hoc corpore in terris, admissus fuerat ad intimam cum DEO familiaritatem, à cujus alloquio ex monte rediit ad suos, facie radiis adeo coruscante, ut filii Israël in eum oculos intendere, ob fulgorem erumpentem, nec auderent, nec possent; hâc tamen gratiâ, hoc favore à DEO collato, his cœli deliciis degustatis non contentus, ad gloriam majorem aspirans, ait ad Dominum, Exod. 33. v. 13. *Ostende mihi faciem tuam.* Non dubito, erupisse hoc paschali tempore ex cordibus vestris, ardentia suspiria ad Christum resurgentem; si lubet, hæc quoque addite: O bone JESU, ostende nobis pulcherrimam faciem tuam, quâ gloriosus prodiisti ex sepulchro. O Salvator mi, ostende frontem, ostende genas, labia, &c. desideramus videre faciem tuam. JESU pulcherrime, ostende nobis rosea vulnera tua; ostende formosissimum cor tuum, alium paradisum in terris non quærimus. Te! te! tuam faciem, ô bone JESU, volumus videre! §. 11. *Quale v. g. desiderium fuit in Moyse.*

Tale fuit desiderium Simeonis. Bonus senex, DEO plenus, etsi Verbum Patris, Filium DEI, infantilibus membris vestitum, tenerrimè brachiis amplecteretur; etiamsi tanto potitus esset thesauro, quo majorem DEUS homini largiri non potest, nihilominus in accensum hoc erupit desiderium: *Nunc dimittis servum tuum Domine,* &c. Luc. 2. v. 29. §. 12. *In sene Simeone.*

S. Paulum, (si S. Chrysostomo credimus,) raptus ille in tertium cœlum, ita delitiis cœlestibus impleverat, ita à rerum omnium sensu abstraxerat, ut si flammas materiales illi adhiberes, non sentiret, non vereretur: & tamen quasi tantarum voluptatum non §. 13. *Et in S. Paulo.*

meminisset; aut præ illis, quas exspectabat, parvi duceret, exclamat, ad Philip. I. v. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Hæc ego vobis refero, Auditores, & hoc paschali tempore hoc unum desideremus, ut simus cum Christo. Ideo gaudemus & gratulamur, ut aliquando simus cum Christo. Ideo agimus illi gratias, ideo illum amamus; ideo & nos mori cupimus, ut deinde simus cum Christo. Hic est scopus desideriorum nostrorum.

§. 14. Et Regio Psalte. Hic amantium Christum sensus est, hæc illorum vox, ut suspirent cum regio Psalte, ps. 41. v. 3. *Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* Quàm gloriosus hodie Christus D. prodiit ex sepulchro! sed quando & nos videbimus. Resurgentis Christi facies resplenduit instar Solis, ah! quando videbimus! Rosea vulnera radiarunt veluti sidera, vel accensi carbunculi, ah! quando videbimus! Volupe nobis est meditari, quibus delitiis BB. Virgo Maria aspexerit gloriosissimum Corpus dilectissimi Filii sui! quâ oculorum voluptate illius latus & apertum cor! ah! quando & nos videbimus! hæc sunt desideria amantium Christum resurgentem, sitiunt!

§. 15. In S. Fr. Salesio. His viris desideriorum annumerandus est S. Franciscus Salesius, aliquot mensibus ante mortem auditus dicere: *Nihil est: nihil omnino in terris, quod me aliquo lætitiæ sensu possit afficere; cujusmodi illud sit, quod occurrit, nihil mihi solatii potest afferre, ad cælum cogitationes meas omnes transtuli!* Et vicinior morti, dixit: *Renuit consolari anima mea: memor fui DEI, & delectatus sum.* Tandem, paulò ante mortem, has exundantis lætitiæ voces effatus est: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Ad hunc eundem scopum dirigere debemus desideria nostra.

§. 16. Et S. Theresia. Cùm S. Theresia in festis Paschalibus suavissimâ Musici alicujus voce, audivisset decantari hæc verba: *Videant te oculi mei, dulcis IESU: videant te, & hic moriar, ut fruar te*, viribus deficiens, & extra se rapta, semimortua in cubiculum deportari debuit. Talis amator fuit S. Ignatius, cui frequenter evenisse memorant; ut locum domus altiorem conscendens, unde liber esset in cælum prospectus, ibi sublevatis in illud oculis, lachrymis suaviter defluentibus immadescebat, quasi illæ dicerent: *Quid mihi est in cælo,*

lo, & à te, quid volui super terram. DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Hæc ardentia suspiria & desideria horum sanctorum virorum imitemur, tum omnia terrena nobis sordent, & cœlestia tantummodo sapient.

DE ADMIRABILI CHRISTI D.

ASCENSIONE AD COELOS,

EXHORTATIONES BINÆ.

EXHORTATIO I.

DE CHRISTO DOMINO GLORIOSE ASCENDENTE AD COELOS.

Dominus JESUS, assumptus est in cœlum, Marci 16. v. 19.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ARdentes Christi D. amatores festo Ascensionis anhelant ad fruitionem cœlestis gloriæ.

§. 1. *Brevis Propositio.*
§. 2. *Amori divino molestum est hærere in terris.*
§. 3. *Hinc desideria ad cœlestem gloriam, v.g. in Moyse.*
§. 4. *In S. Simeone: & S. Paulo.*
§. 5. *In Davide.*
§. 6. *In S. Francisco Salesio.*
§. 7. *In S. Theresia.*
§. 8. *In S. Ignatio.*
§. 9. *In S. Augustino, & S. Monica.*

§.10. *Tales Heroës sunt ignei Seraphini in terris.*
§.11. *Iterum de S. Francisco Salesio.*
§.12. *Descriptio divini amoris.*

§. 1. *Brevis Propositio.*

ARdentes Christi D. amatores, & electi filii DEI, si unquam, profectò hodie, in meditatione gloriosæ Ascensionis Christi D. exardescunt, & anhelant, ut cum eodem sint in cœlesti gloria. Exempla virorum & fœminarum non desunt.

§. 2. *Amori molestum est, hærere in terris.*

Habet aliquid onerosum, aliquid permolestum, & fastidiosum amori, mortalis hæc vita, in qua terrea corporis moles visco suo animi pennas inficit, deprimit & gravat, ne ad cœlestis Sponsi complexus, congressusque, ut lubet, & quando lubet, evolare possit. Variæ corporis necessitates multum intercipiunt temporis, quòd multò suaviùs in jucundo amoris cum divina bonitate commercio collocaretur; hinc suspirantis amoris ad æternas illas sedes suavissimi & ardentissimi oriuntur affectus.

§. 3. *Hinc desideria ad cœlestem gloriã, v. g. in Moyse.*

Moysen considerate. Admissus ille in tenebroso monte ad intimam cum DEO familiaritatem, ab ejus colloquio facie radiis coruscante revertitur, ut filii Israël in eum oculos intendere propter erumpentem fulgorem ausi non fuerint, nec potuerint. Hâc tamen ille tantâ, tamque amica cum DEO consuetudine non contentus, ad perfectiorem longè suspiravit fruitionem & felicitatem, dicens Exod. 33. v.13. *Ostende mihi faciem tuam.* Simili ego hodie in meditatione mea exarsi desiderio: cum voluptate consideravi amabilem, formosam, & serenissimam illam faciem, quam ultimùm in terris, in monte Oliveti, Beatissimæ Matri, & sanctis Apostolis ostendit Christus D. dum illis valedicens, gloriosus ascendit ad cœlos; sed quis non suspiret: *O* JESU *gloriosissime! nobis quoque ostende faciem tuam!* Consideravi cum solatio amœnissimam lucem, quâ radiantia gloriosi Corporis vulnera cœlestem illuminarunt, & lætificaverunt Jerosolymam, dum gloriosus Victor cœlos gloriosè fuit ingressus. Sed, quis non dicat: *O lucidissime* JESU! *nobis quoque ostende hæc gloriosissima vulnera tua!* Consideravi cum gustu illum thronum gloriæ, in quo super alas Cherubim, & pennas ventorum, sanctissima Christi Humanitas, ad dexteram Patris collo-

collocata, quiescit, quis non cum gemitu exclamet: *O gloriosissime* Jesu, *nobis quoque ostende gloriam tuam!*

Felicissimus ille Senex beatus Simeon, etsi Verbum Incarnatum, DEUM Infantem, brachiis suis tenerrimè amplecteretur, tantoque potitus esset thesauro, quo majorem DEUS homini largiri non potest, nihilo minus corporeis vinculis absolvi, ardentissimè desideravit, dicens Luc. 2. v. 29. *Nunc dimittis servum tuum*; ut ita ad ampliorem tanti boni possessionem admitti posset. Idem nobis accidit Auditores hodierno festo Ascensionis; possumus quidem ardentibus affectibus amoris, veluti amplexibus, & brachiis amplecti Christum D. Salvatorem nostrum: habemus in hac lachrymarum valle illum nobis præsentem in sanctissimo Sacramento Eucharistiæ: speramus etiam, videre aliquando illum de facie ad faciem in gloria sua. Sed quis non simul desideret, ut nunc, ut hâc horâ, ut hodie dimittamur, ut hodie absolvamur vinculis corporis, ut statim JESUM videamus in gloria sua. Hæc fuit mens S. Pauli, licèt raptus fuisset in tertium cœlum, impletusque cœlestibus deliciis, nihilominus quasi tantarum voluptatum non meminisset, vel præ illis quas exspectabat, parvi duceret, exclamavit ad Philip. 1. v. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Eadem mens est, idem sensus, & fragrantissimum desiderium ardenter amantium! esse cum Christo in gloria! nunc! statim! hodie! cum Christo! sine quo neque in terris, neque in cœlis est solidum gaudium! §. 4. *Et in S. Simeone & S. Paulo.*

Hujusmodi amantium vox est, cum Regio Psalte, psal. 41. v. 3. *Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* Facies Christi D. in gloriosa Ascensione radiavit instar Solis! sed quando apparebimus ante hanc faciem, ut illam gloriam, & illum Solem intueamur! Facies Christi in admirabili Ascensione fuit lucidissimum speculum immensæ cujusdam gloriæ; sed quando apparebimus ante hoc speculum, ut illius luce irradiemur. Privari his radiis! intuitu hujus Solis! detineri tam diu in vinculis & carcere mortalis corporis, amanti & anhelanti animæ nimis est molestum ac grave. §. 5. *In Davide.*

Expertus hoc fuit S. Franciscus Salesius, sæpiùs præsertim paucis mensibus ante mortem auditus dicere: *Nihil est, nihilominò* §. 6. *S. Francisco Salesio.*

ninò in terris, quod me aliquo lætitiæ sensu possit afficere. Quidquid sit, quod menti potest occurrere, nihil tamen solatii potest afferre; ad cælum omnes meas cogitationes transtuli; renuit consolari anima mea: memor fui DEI, & delectatus sum. Moriens, in has erupit voces, exundantis lætitiæ testes: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Hoc facite, animæ piæ, in contemplatione Ascensionis Christi, cum Christo omnes vestras cogitationes transferte ad cœlum, & nihil erit in terris, quod vos afficiat sensu lætitiæ. Renuet consolari anima vestra; DEI & cœlestis gloriæ estote memores, & delectabimini.

§. 7. *In S. Theresia.* Ignes hujus desiderii experta fuit S. Theresia; quæ cùm suavissimâ harmoniâ audivisset decantari hæc verba: *Videant te oculi mei, dulcis IESV; videant te! moriar, ut fruar te!* viribus deficiens, & extra se rapta, semimortua in conclave debuit deportari. Philosophorum opinio est, terræ motum effici ab incluso igne in terræ visceribus, qui tandem nimiùm inflammatus, violentâ terræ concussione exitum quærit, magnâque vi erumpens, ad centrum suum ascendit. Ita perfectus amor Christi D. & cœlestis gloriæ, interiora amantis hominis depascens, & angustias pectoris non ferens, per suspiria, vocesque, ardoris indices, dilatari, & ad cœlum evolare gestit: quod sancto accidit Dominico, qui tam frequentibus suspiriis, votisque ardentibus anhelavit ad divinos amplexus, ut ultimis vitæ mensibus nodum animæ cum corpore non tam dissolvere, quàm violenter abrumpere velle, visus fuerit.

§. 8. *In S. Ignatio.* Ob similia desideria sæpe amantes animæ resolvuntur in lachrymas, ut grassantem intus amoris flammam, suavi illo rore, si non extinguant, saltem aliquo modo temperent. Quod sancto Patri nostro Ignatio frequenter accidisse, memorat ejus Vita. Dum locum domus altiorem conscendens, unde liber esset in cœlum prospectus, ibi sublevatis in illud oculis, lachrymis suaviter defluentibus, immadescebat, quasi illæ dicerent: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? DEVS cordis mei, & pars mea, DEVS in æternum.*

§. 9. *S. Augustino, & S. Monicæ.* Solatia cœli spirat colloquium inter S. Monicam matrem, & S. Augustinum filium. Paribus flammis arsit mater & filius, cùm

cùm ad ostia Tyberis, innixi fenestræ cubiculi, fixis unà in cœlum oculis, de cœlestibus gaudiis sermonem miscuerunt. Cùm enim S. Monica dixisset: *Fili! quantum ad me attinet, nullâ jam re delector in hac vita: quid hic faciam adhuc, & cur hic sim, nescio: jam consumptâ spe hujus seculi.* Respondit S. Augustinus: *Ego huic uni rei intendo, ut quæram, qualis sit futura vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit! Inhio ore cordis in superna fluenta fontis vivi, qui est apud DEUM vivum; adeo, ut qualibet corporis delectatio, quodvis mundi solatium, & omnis voluptas, præ illius vitæ jucunditate, non comparatione, sed ne commemoratione quidem digna videatur. Hoc unum exspecto momentum, quo mihi dicatur: Intra in gaudium Domini tui.* Scilicet perfectus amor adeo utriusque pectus matris & filii, S. Monicæ, & S. Augustini impleverat, ut nihil cuperent, nisi solvi, & esse cum Christo!

Hoc perfectis Christi D. accidit amatoribus, in quorum animis omnes rerum fugientium imagines, atque desideria mundi diffluunt, & evanescunt; unus verò & solus DEUS, ejusque amor, augmentis continuis, mirum quantum inflammatur; donec tandem consumptâ mortali vitâ, beatiori affluentiâ perennet in cœlo. Hi viri illi sunt, quos S. Chrysostomus *igneos* appellat *Seraphinos in terris*: qui DEI videndi desiderio ita inardescunt, ut quotidie, & singulis horis, præsertim hodierno Ascensionis festo, cupiant dissolvi, & esse cum Christo. Talis igneus Seraphim in terris fuit Sancha de Carillo, quam tantus amor ad cœlum evolandi, Deoque fruendi incenderat, ut tantum bonum differri ipsâ morte sibi intolerabilius esse duceret; itaque cum divina revelatione cognovit, se demum post annum vigesimum adeo desideratâ fruituram gloriâ; post annum exclamat: *O crudelis dilatio! unde mihi animus & patientia, ut tantam moram ferre æquanimiter possim? O carcer! ò vita! quàm mihi hoc diuturnum! Utinam volent dies & horæ, & tempora præcipiti cursu diffluant, ut tandem momentum illud compareat, quo videam Christum D. gloriosè ascendam ad cœlos, hoc est, illud momentum, quo in cœlesti gloria incipiam æternum beata esse in cœlis.* Eja filii S. Ignatii! estote in terris tales Seraphim! desideriis

§ 10. *Tales Heroës sunt ignei Seraphini in terris.*

saltem, iisque ardentissimis, hodie cum Christo evolate ad cœlos, ad thronum usque sanctissimæ Trinitatis, ut prælibemus saltem illa gaudia, quibus olim æternùm fruemur in cœlis.

§. 11. Iterum de S. Francisco Salesio.

Igneus in terris Seraph fuit S. Franciscus de Sales, solitus dicere: *Quod DEVS non est, nihil mihi est!* Talis Seraph fuit S. Theresia, quæ cùm die Resurrectionis, in cicatrice vulneris, in manu Christi, splendorem admirabilem lætabunda conspexisset, postmodum suspiravit: *Quàm dulce foret mori!* Intueamur hodie admirabilem lucem & splendorem Christi D. gloriose ascendentis ad cœlos; & dicemus cum S. Francisco Salesio: *Quod IESVS non est, nihil mihi est!* Cum S. Theresia: *Quàm dulce foret, statim mori:* esse cum Christo, & frui tantâ gloriâ!

§. 12. Descriptio divini amoris.

Ex his, & similibus desideriis nascitur ille amor, cui S. Dionysius Areopagita dat motum perpetuum, ferventem, nunquam intermissæ, aut declinantis motionis capacem; contrariis oppositionibus cedere nescium, ad superiora semper tendentem, ad suum centrum, DEUM ipsum. Hæc omnia sine quiete & intermissione, ut illa quatuor mysteriosa animalia, in Apocalypsi S. Joannis, & apud Ezechielem ad currum DEI alligatæ quadrigæ, DEO amando, laudando & glorificando, dies noctesque occupata. Taliter amantium corda, dum dormiunt, cum Sponsa vigilant, & ad DEUM, ad Christum D. gloriosum, & cœlestem gloriam anhelant. S. Theresia dixit, amorem similem esse fonti, quem videmus aquam perenniter effundere, & simul arenulas in fundo fervescente commovere. Ita contingit amanti animæ, semper in motu est, & novis ardoribus rapitur ad nova, pro amato excogitanda, & agenda. Amor! nunc similis est cœlo empyreo, ubi DEUS continuis laudibus effertur. Nunc similis aviculæ optat esse, quæ totum Orbem, ab Oriente ad Occidentem, à Meridie ad Aquilonem circumvolitans, amoris & laudis canticum ubique insonat. Quod erat votum S. Magdalenæ de Pazzis; Amor! nunc cum S. Augustino adinstar candelæ, ex aromatibus compositæ, quæ referendis DEO gratiis, & laudationibus ac honoribus ingeminandis lente consumitur. O si hodierno festo Ascensionis! ô si similes essemus in cœlo empyreo! O si Seraphicæ essemus aviculæ! O si arden-

ardentes cerei: hoc est, utinam dies & noctes lauderemus DEUM, &c. (hoc modo affectuosus poterit fieri epilogus.)

EXHORTATIO II.

Dominus JESUS assumptus est in cœlum,
Marci 16. v. 19.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

CHristus D. gloriosè ascendens in cœlum, instar aquilæ, variis ornatur emblematibus, ab aquila desumptis; quorum triplex profertur explicatio, Historica, Allegorica, Ethica.

OLim Regius Psaltes, post profundam cœlestis gloriæ meditationem, in ecstasim raptus, ps. 54. v. 7. ita exclamavit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Lubet mihi hodie, in consideratione gloriosæ Christi Ascensionis, mutare verbulum, & suspirare: *Quis dabit mihi pennas, sicut aquilæ, & volabo, & requiescam.* Siquidem hodie

§. 1. *Optat sibi Orator alas aquilæ.*

Christus D. non secus ac aquila, gloriosè evolavit ad cœlos, usque ad dexteram Patris. Hanc Aquilam in hac Exhortatione diversis ornabo symbolis, quæ pulcherrimas de gloriosa Christi D. Ascensione nobis suggerent cogitationes & affectus; cum magno animarum nostrarum fructu; ut oculos mentis aquilino intuitu in symbola illa conjiciatis, enixè rogo.

§. 2. Christus D. gloriosè ascendens ad cœlos, instar aquilæ, ornatur variis symbolis. Primum est.

In primo symbolo, vel Emblemate, Aquila fixis oculis aspicit Solem; addito hoc lemmate: *Ad te levavi oculos*. Apud Physicos certum est, nullam volucrem perspicaciores habere oculos, & nullam acutiùs, firmiùsque oculos in Solem defigere, quàm Aquilam. Talis Aquila fuit Christus D. Sol, dum triginta tribus annis vixit in terris, illi fuit Voluntas Patris; hunc Solem à primo momento conceptionis aspexit, usque ad mortem. Quidquid Pater jussit, suscepit & perfecit. Jussit Pater illum de cœlis descendere in uterum Virginis; respondit: ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Ad te levo oculos meos. Jussit Pater illum nasci in stabulo; fundere sanguinem in circumcisione; vivere 33. annis in terris, in laboribus, &c. Denique mori in cruce. In his omnibus Christus D. fuit aquila, irretortis oculis aspiciens Solem, sive voluntatem æterni Patris, donec hodierna die gloriosa aquila revolavit in cœlum, ad Patrem suum. O si & nos tales essemus Aquilæ! utinam hoc nostrum quoque esset symbolum: ut ad DEUM solum levemus oculos nostros; ut quivis dicat, vel cum S. Paulo: *Domine, quid me vis facere?* Actorum 9. v. 6. Vel cum Davide, ps. 56. v. 8. *Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum*. Vel cum S. Juda Machabæo: *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat*. l. 1. Mach. c. 3. v. 60. vel cum Hiram Rege Tyri: *Audivi, quæcunque mandasti mihi, ego faciam omnem voluntatem tuam*, l. 3. Reg. c. 5. v. 8. Vel iterum cum S. Paulo: *Ego non solùm alligari, sed & mori paratus sum, propter nomen Domini IESU*, Act. 21. v. 13. Vel cum S. Jobo: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*, Job. 1. v. 21. Vel denique cum Christo D. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matt. 26. v. 39. Talia desideria, ardentes hi affectus, aquilinæ sunt alæ, & pennæ, quibus rectà cum Christo D. evolamus ad cœlos.

Ideo alterum Emblema est hoc: Aquila suos pullos explorat ad Solem; qui si non rectis & fixis, sed nictantibus vel dubiis oculis Solem aspiciant, degeneres censentur, & à parente abjiciuntur in terram. Constanter verò aspicientes Solem, agnoscuntur ut genuini. Epigraphe ita habet: *Ex luce DEUS.* Perpendamus hodie, quales simus aquilæ; quales habeamus oculos; an Christum D. an mundum aspiciamus; & advertemus facilè, an genuinæ, an degeneres simus aquilæ. §. 3. *Symbolum alterum.*

Emblema tertium, nobis proponit Aquilam volantem in altum, quam sequuntur pulli, seu parvæ aquilæ, ex suis nidis provolantes. Lemma est: *Exempla trahunt.* O si ita nos hodie post se traheret Christus D.! O si Christum D. sequeremur! Sequelam, de qua loquor, per duo similia possumus intelligere. Variæ naves navigant per Oceanum: oritur interim grandis tempestas, furunt venti, fluctus insurgunt, jactantur naves: fit metus, clamor, horror: mors omnibus versatur ante oculos: at ecce, dum fortè una navis salva appellit ad portum, qui in aliis navibus hoc vident, ingentem concipiunt spem, eâdem felicitate attingendi portum. Notissima est tempestas, quam Christus D. sustinuit in Oceano hujus mundi. Quid non est passa hæc navis? qui & quales fluctus contra illam non sævierunt? ah! sanguinei fluctus, &c. Sed ecce hodie, ô felix nuntium! regia illa navis, sanctissima Christi D. Humanitas emergit: hodie tenet portum æternæ gloriæ. Sequamur obsecro; idem speremus, Ascensio Christi sit spes nostra, dummodo Ascendentem sequamur. §. 4. *Tertium.*

Dum milites gravi oppugnatione premunt urbem obsessam, forte vident suum Ducem jam ascendisse valla, & in vertice hostilis turris defigere vexillum: ego nullum puto tam pusillanimem & timidum, qui non concipiat spem & animum, eò quoque similiter conscendendi: & nos vivimus in hoc mundo, veluti milites. Clarè id asserit Job cap. 7. v. 1. Sed in quem finem certamus? ut cœlum occupemus. Sed scimus, quàm hoc sit difficile bellum! Nam Matth. 11. v. 12. ait: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Non desperemus! duremus! En hodie Dux noster pedem ponit in arcem gloriæ, Victoria! Hodie vexillum Crucis in- §. 5. *Prosecutio.*

fert JESUS in cœlum, Victoria! Et quis tam abjecti erit animi, ut non cogitet se velle sequi? Aquilæ sumus! aquila Christus nos trahit!

§. 6. *Quintum.* Huc facit symbolum quintum, Caroli V. Imperatoris, in quo repræsentatur Aquila, quæ uno pede premit serpentem, altero basiliscum. Ex altera parte nummi, qui hoc emblema repræsentant, Bruxellenses in honorem Cæsaris, curarunt pingi coronam lauream, cum his voculis: *Fundatori quietis.* Pulcherrimum symbolum, quo virtus & felicitas Caroli V. Imperatoris fuit denotata, hic fuit victor tot hostium; hic ob plurimas victorias, terrâ marique partas, lauream meruit coronam; hic ob varios titulos meruit nomen & elogium, *Fundatoris quietis*; sed alteri hoc symbolum meliùs convenit, scilicet JESU Christo Domino gloriosè ascendenti ad cœlos. O victricem Aquilam! O aquilam coronatam! quæ serpentem & basiliscum, hoc est, mortem & peccatum contrivit! hæc infernalem draconem conquassavit! juxta præsagium Davidis, ps. 90. v. 13 *Super aspidem & basiliscum ambulabis.* Ita Christus D. fundavit quietem. Docemur: si & nos velimus cum illo ascendere, ut simus aquilæ, ut conteramus serpentes & basiliscos, ut simus victores mortis, diaboli, & peccati; ut simus pacifici; sic cum Christo ascendemus ad cœlum.

§. 7. *Aquila symbolica Ferdinandi I. Imp.* Hodierno Festo, & Christo D. instar aquilæ evolanti ad cœlos, eleganter aptatur symbolum Ferdinandi I. Imperatoris: in quo pingi jussit aquilam coronatam, cum imagine Crucifixi in pectore; additis his quinque literis, A. E. I. O. V. hoc est, *Aquila electa justè, omnia vincet*: q. d. Quia à S. R. I. justè, hoc est, unanimi Electorum consensu, in Imperatorem electus sum, & quia una mea spes est Christus crucifixus, victoriam spero de omnibus meis hostibus; quod & contigit, spes in Christo crucifixo, piissimum Imperatorem non confudit; fuit Ferdinandus electa & coronata Aquila, quæ omnia vicit.

§. 8. *Applicatur Christo D. ascendenti ad cœlos.* Gloriosior longè Aquila fuit Christus D. gloriosè ascendens ad cœlos. Aquila Regia! *Rex Regum*! Aquila Cæsarea! *Dominus Dominantium!* Aquila coronata! non spinis, ut tempore cruentæ Passionis, sed *coronâ exultationis!* Eccli. c. 1. v. 11. sed, *coronâ*

nâ vitæ, Apoc.c.2.v.10. sed *coronâ justitiæ*, 2 ad Tim.c.4.v 8. sed *coronâ gloriæ*, Is. 28.v.5. sed *coronâ dignitatis*, Proverb. 16. v.31. Et *coronâ sapientiæ*, Eccli.1.v.22. Et *coronâ aureâ*, Esth.8.v.15. Et *gemmeâ*, ps.20.v.4. O coronatam Aquilam! O pulli! O Aquilæ parvæ! si ad similes aspiratis coronas, certate, pugnate, evolate! Aquila electa omnia vincit. Aquila electa ab æterno, à sanctissima Trinitate. Aquila, electa ex millibus! Aquila, electa Regina volucrum; Christus D. electus Rex omnium Sanctorum! qui omnia vicit. Non putaverat hoc Pilatus: non Scribæ & Pharisæi; non invidi Judæi. Nihilominus omnia vicit. DEUM immortalem! quot & quantos hostes habuit hæc Aquila! Hostis illi erat mundus, sed vicit, Joan.16. v.33. *Confidite, ego vici mundum*. Hostes Judæi; Vicit! infelices, contempti, inglorii, dispersi sunt per mundum; Christus D. gloriosus sedet in cœlis ad dexteram Patris. Hostis erat Satanas, vicit illum Christus D. & alligavit illum cum sociis in orco, ad saxum infelicissimæ æternitatis, Apoc. 20. v.9. Hostis fuit mors, sed fregit aculeum ejus: mors mortis *Dux vitæ mortuus, regnat vivus*. Cùm vos sitis pulli hujus Aquilæ, sive, ut S. Petrus loquitur, *Genus electum*, ep.1.c.2.v.9. *Induite sicut electi DEI, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, &c.* Col.3.v.10. Scit Christus D. quos elegerit, ut sint electæ aquilæ, ut vincant suos hostes, & post certamen, cum regia Aquila triumphantes evolent ad cœlum.

§. 9. *Emblema aliud. Aquila avolans à nido, respiciens tamen pullos.*

In alio Emblemate Aquila longè avolat à suis pullis, sed cum hoc lemmate, *Procul ista*: id est, videor longè ambulare, & deserere meos pullos *sed adsum*. Physica, sive historica explicatio est ista: Aquila, licèt à nido & pullis suis longiùs recedat, oculos tamen ab illis non avertit, sed etiam à longè vigilat, ne quis prædo accipiter in nidum involet & si quem advertit, illicò advolat instar fulminis, & prædonem capit, interimit. Procul! sed adest, dum tempus est. Hoc facit perspicax visus aquilæ. Allegoricè Christus D. cœlestis aquila idem facit suæ Ecclesiæ. Ille quidem instar aquilæ avolat in cœlum, ejus pulli, hoc est, Apostoli, & nos omnes hæremus quasi in nido hujus mundi, & tristes aspicimus abeuntem nostram Aquilam. Sed non est, quòd ideo triste-

tristemur. Avolat! sic tamen, ut oculos à nobis non avertat; videt nos, & videt nostros hostes, licet mille millionibus milliatium à nobis distet, licet sedeat ad dexteram Patris in altissimis; tamen videt omnia, etiam minutissima. Verissimum est illud Davidis ps. 10. v. 5. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes ejus. Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Procul abest, & tamen adest, & aderit, usque ad consummationem sæculi. Ethicè, ex hoc emblemate pii hauriunt magnum solatium: impii magnum timorem. Unde enim tanta in nobis in adversis tristitia? unde timores? nisi quia putamus nos quasi derelictos esse à DEO: sed fallimur: aliud nos docet regius Psaltes ps. 1. v. 6. *Novit Dominus vias justorum.* Imus per spinas tribulationum? novit Dominus. Premit nos paupertas? novit Dominus. Patimur injurias, detractiones, &c. novit Dominus! & confidite, statim Dominus nobis aderit, ut cùm expediet, ferat auxilium. Ideo gaudent justi, se in omnibus ita videri à tam perspicacibus oculis! O miseros econtra, qui judicant, se non videri, & proinde ruunt in omne malum. Tales fuerunt duo nequam illi Senes Danielis, c. 13. v. 20. *Ecce ostia pomarii clausa sunt, & nemo nos videt, tentare possumus aliquid.* Quid dicitis nequissimi? erratis; DEUS omnia videt, Christus Judex in cœlis perspicaces habet oculos, videt scelera vestra, ut puniat. Procul; sed adest.

§. 10. *Non est, quòd in conspectu hujus aq. d. timeamus hostes.*

Itaque Auditores, cantate hodie DEO psalmum, *Dicite nomini ejus, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* q. d. Illi, qui jam super occasum, super omnem corruptionem victor ascendit, psalmos canite; qui hostibus prostratis liberum dominatum est assecutus. Et ne timor aliquis ab hostibus vos terreat, *Exultate in spectu ejus.* Procul est, sed videt nos, sed adest nobis, neque enim veluti orphani relinquimur; ille enim Dominus hostium victor & triumphator, pater est orphanorum, & vindex, cujus conspectu turbati hostes omnes diffugiunt.

Denique illud Emblema, alicujus Marchionis Gonzagæ Castilionensis, in quo Aquila ad ardentissimos radios Solis expandens alas suas, illas accendit, ut juvenescat; combustisque veteribus pennis, accipiat novas; nos monet & docet, ut cum Christo D. ascendente

dente ad cœlos, ambulemus in novitate vitæ, ut combuſtis pennis ſuperbiæ, luxuriæ, rixæ, &c. aſſumamus novas pennas & alas, humilitatis, caſtitatis, manſuetudinis, iiſque ſequamur Chriſtum D. aſcendentem ad cœlos. Si in glorioſa Chriſti D. Reſurrectione *conſurrexiſtis cum Chriſto*, hodie, *quæ ſurſum ſunt, quærite*; *quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram*; ut hodie dicere poſſitis cum Apoſtolo, Phil. 3. v. 20. *Converſatio noſtra in cœlis eſt.* Ita cœleſtes erimus Aquilæ, ita & nos aliquando evolabimus in cœlum.

NB. Novitas religioſæ vitæ ſuggeret tibi latam materiam.

TRACTATUS SECUNDUS, DE QUIBUSDAM PRÆCIPUIS FESTIVITATIBUS.

EXHORTATIO DE EXIMIA PRÆPARATIONE AD FEſtum Pentecoſtes, ſive receptionem Spiritus Sancti.

Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, Joannis 15. v. 26.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRæparatio talis est puritas cordis, quæ exigit, ut etiam minima peccata fugiamus; & contrà, minima virtutis opera curemus exactissimè.

NB. Plurima ex his in particulari possunt accommodari præparationi pro adventu Spiritus Sancti.

§. 1. *Ratio, ob quam etiã minima peccata debemus cavere.*

EST hoc axioma apud Ascetas valde celebre, quod S. P. N. Ignatius frequenter his verbis proposuit: *Plus plerumque latere periculi in minutis peccatis contemnendis, quàm in maximis.* Neque enim vim delicti tantùm considerare debemus, aut quia parvum sit; sed illud præcipuè tenendum, *si radicem non evulseris, magnum inde peccatum succrescere posse.* S. Gregorius 3.p.pastor.c.34. *Major, quò citiùs, quin sit culpa, agnoscitur, eò celeriùs emendatur; minor verò, dum nulla creditur, eò pejus, quò & securius in usu retinetur: unde fit, ut plerumque mens assueta malis levibus, non perhorrescat graviora, & per culpas nutrita leves, perveniat ad majores; & tantò in majoribus contemnat pertimescere, quantò didicit in minimis non timendo peccare.* Clarissimis verbis rem propono; contemnere peccata levia in via spirituali, est res periculosa.

Clarum

Clarum id fit ex similitudine Artis medicæ, in qua Hippocrates, Galenus & alii, asserunt, in morbo aliquo nulla, vel minima momenta esse negligenda; cùm & minimæ interdum accessiones ægris corporibus mortem afferre possint. Quare periti Medici, minimas quasque res in medicamentis, in cibis, in circumstantiis temporis, accuratissimè observant & præscribunt; à quibus Seneca non videtur dissensisse ep. 85. *Ista, quantumvis exigua sint, in majus excedunt; nunquam perniciosa servant modum: quamvis levia initia morborum serpunt & ægra corpora, minima interdum mergit accessio.* Idem planè in defectibus, & morbis animæ accidere solet, dum anima per parva peccata ita diffluit, (loquor cum S. Joanne Chrysost.) *ut diu stare non possit, sed mox in perditionis barathrum se immittat.* Minimæ interdum & leves occasiones, ut putamus, animas mergunt in mortem. §. 2. *Similitudo à re medica desumpta.*

Quod fieri solet, dum minimæ noxæ parvi fiunt. Marcus Varro lib. de agricult. l. 1. c. 12. suadet, ne rusticana prædia & villæ ædificentur juxta loca lacunosa & paludosa. Sed quare? respondet, crescere in illis locis animalia quædam minuta, quæ vix oculis possint conspici, per aëra tamen intus in corpus per os ac nares perveniunt, efficiuntque difficiles morbos. Si parvuli vermiculi ita nocent corporibus, quid dicemus de parvis peccatis, quid faciant in anima, & quantum noceant, si contemnantur. Magno studio & curâ hi vermiculi sunt necandi. §. 3. *Quare villæ non sint ædificandæ juxta paludes.*

Quod assero, verissimum est in re bellica; ideo Q. Curtius l. 6. & 9. refert de Alexandro M. quòd dixerit: *In bello nihil tutò in hoste despici posse, quantumvis minimum: nihil parvum esse ducendum, ex quo gloriæ magnæ laus queat oriri.* Vel contrà, *Magnum damnum,* &c. Cùm itaque vita nostra religiosa in Societate JESU, sub labaro crucis, sit militia spiritualis super terram, contra invisibiles & potentissimos hostes, contra potestates tenebrarum, nullas minutias, cum periculo fraudis & proditionis, vel cladis, debemus contemnere; sed potiùs, ut victoriam reportemus, parva omnia debemus magni facere; ut pulchrè suadet Richardus Victorinus p. 2. c. 21. in Cant. *Qui molliter ac dissolutè vivendo, inimico contra se vires præbuit, versâ vice, ut contra hunc roboretur, & illi resistat, à minimis* §. 4. *In bello minimis est invigilandum*

minimis incipiat, & frequenter in talibus pravalere conetur, necesse est: quatenus usu vincendi roboretur, & de minorum victoria, ad majora vincenda paulatim convalescat. Frustra alioquin; futurus majoribus cladibus, damnisque implicandus.

§. 5. *Invectiva S. Bern. in illos, qui parum peccata contemnunt*

Mellifluum alioquin os, in hac materia videtur stillare myrrham, cùm dixit ser. 1. in convers. S. Pauli: *Desiste justum Iudicem DEUM, non modò quid fiat, sed quomodo fiat, considerare. Et cavete deinceps, ne quis parum reputet, quamlibet parva, si scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere; non est magnum, si in his maneam venialibus,* (audite voces tepidorum Religiosorum,) *minimisque peccatis; hac enim dilectissimi impœnitentia est, hac blasphemia in Spiritum S. hac blasphemia irremissibilis.* Talis enim facillimè labitur deinde in peccata etiam gravia; nam ut Angelicus Doctor ait: *Facillimè homo ea facit, ad quæ ex habitu & consuetudine inclinatur.* Et Frater Ægydius: *Parvâ negligentiâ, & exiguâ culpâ, magna potest amitti gratia, quæ postea reparari vix queat.* E contra S. Hier. ep. 14. *Non citò ad majora progreditur, qui parva formidat.*

§. 5. *Neglectum minimorũ, quantum noceat religiosæ disciplinæ.*

Notabile est, quod refertur in historia Societatis ab Orlandino l. 12. c. 23. Andreas Ovido, deinde Patriarcha Æthiopiæ, erat ,, Rector Collegii Neap. Nicolaus tamen Bobadilla, unus è primis ,, Sociis S. Ignatii, in Collegii administratione Superintendentis ,, nomine præsidebat: sed inter utrumque non satis conveniebat; ,, cùm quidquid Andreas astringeret, Nicolaus relaxaret; ejus o- ,, pinionis, putidum esse, sanctitatem Societatis exiguis quibus- ,, dam legibus alligari, censebatque domesticam disciplinam, non ,, tam ad minutissimam legum normam, quàm ad solidæ virtutis ,, rationem, officiique dirigendam. Quasi verò solida virtus ,, quidquam, quod DEO gratum sit, minutum putet, vel consiste- ,, re, & absolutionem, sive perfectionem suam habere, sine his or- ,, namentis & coloribus possit. Quid inde secutum est? leviorum ,, neglectu legum, veluti quibusdam fractis vinculis, fluere sen- ,, sim domestica disciplina visa est, ac dilabi. Quod ubi cogno- ,, vit S. Ignatius, remedium adhibuit, curam minimorum atque ,, observantiam. Jussit Oviedum totâ libertate suo munere fun- ,,

gi,

gi, & advigilari ad custodiam legum minutissimarum. Sentie-„ bat enim, in his violandis, plus plerumque latere periculi, quàm „ in maximis: propterea quòd maximarum damnum, si violentior „ apparet, & in promptu est remedium; at eorum, quæ pro mini-„ mis habentur, exitium, nisi progrediente tempore non sentitur. „ Hæc Orlandinus de domestica disciplina, quæ verissima quoque sunt de peccatis, quæ judicamus minuta, si contemnantur; neque enim vera sanctitas animæ diu subsistere poterit.

Bobadillam quod attinet, visus fuit deinde mutasse senten- § 7.
tiam, dum scholæ inferioris Magistrum jussit cibum è terra sume- *Prosecutio.*
re, ac frigidâ levare sitim, quòd in coërcendo adolescentulo contentiùs exclamasset, & sontem contra præscriptum suis manibus castigasset.

Eadem mens ac spiritus eorum semper fuit, qui genuinum §. 8.
Ignatii spiritum hæreditârunt; in eum intuentes, qui divino suo, *Quàm acriter DEUS etiam parvas noxas castiget.*
inscrutabilique judicio, modicas noxas sæpe acriùs videtur castigasse, quàm majores. Pro gravissimo Davidis adulterio & homicidio, morte unius pueruli illi fuit satisfactum; ejusdem Regis vana gloria in numerando populo, septuaginta millium interitu fuit vindicata. Aaron, etsi permisisset populo erectionem vituli, non legitur punitus; quòd dubitaverit, num aqua ex silice elici possit, ab introitu terræ sanctæ fuit prohibitus, (ita de Oza, de uxore Lothi, &c.) quod signum est, etiam levissimas noxas gravissimè displicere DEO, ideoque summâ curâ fugiendas.

Notandum autem est, curam minimorum, ut Ascetæ loqui §. 9.
solent, non tantùm exigere, ut minimos etiam defectus vitemus; *Altera exhortationis pars.*
sed è contrario, minima quoque virtutis opera curemus exactissimè, & omni sollicitudine amplectamur, ad ipsiusmet DEI imitationem, qui minima quæque perfectissimè facit; qui licèt magnus in magnis sit artifex, gloriosus tamen mirabilia in minimis operatur; quod non faceret, nisi vel ad ornatum universi, vel ad hominum usum, vel denique ad potentiam suam hominibus demonstrandam conducere judicasset, ut scilicet in rerum parvitate, v. g. apicula, formica, &c. Creatoris magnitudinem & potentiam eò vehementiùs miraremur.

§ 10. *Probatio Plinii & Quintiliani* Sapientissimus Plinius nobis proponit exemplum naturæ, dum ait: *Rerum natura nusquam magis, quàm in minimis tota est: nec ob id à maximis abest.* Similiter vir prudens in utroque hoc genere ita totus esse debet, ut nec maxima, pro minimis negligat; nec minima pro maximis parvi pendat; aut si alterutrum fortassis committendum, eis illa anteponat: idque eò diligentiùs, quòd nullam è disciplinis, à Grammatica ad Theologiam, per intermedias, cogitatione ascendens, invenias, quæ non minutias, ut necessarias, vel ad majora intelligenda, vel ad methodum servandum, præcipuâ curâ persequatur. Nihil in studiis parvum existimari, suadet Quintilianus; idem omnino de arte bene vivendi, dicendum est.

§. 11. *Testimonia & similitudines SS. Patrum.* Audiendus etiam est S. Gregorius M. dum ait: *Nemo repentè fit summus; sed sicut in communi conversatione à minimis vitiis ad maxima quis proruit, ita à modicis virtutibus gradatim ad ea, quæ sunt excelsa, contendit.* Sint pro exemplo fluvii, de quibus canit Poëta:

Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo,
Quaque venit, multas accipit amnis aquas.

Hâc similitudine utitur B. Petrus Dam. *Planè sicut fluvius ex sui fontis origine perexiguus oritur, sed processu longioris proclivii, rivis hinc inde confluentibus dilatatur; sic interior noster homo, in sancta conversationis itinere, velut aridus incipit; paulatim verò per incrementa virtutum, quasi rivis undique confluentibus convalescit.*

§. 12. *Prosecutio.* S. Ephrem hoc utitur simili: Immensus meritorum thesaurus est, quem comparare possumus, si minimos actus virtutum nolimus negligere; quod expendens S. Ephrem, ait: *Iusti parvis actionibus magis DEVM flectunt, & placant, præ nonnullis, qui multa faciunt. Non enim ad actionem respicit DEVS, sed ad propositum voluntatis; neque intuetur quod sit, sed quo quid studio & propensione peragatur. Vidua paupercula duobus obolis superavit divites auro abundantes.* S. Martini pannus à chlamyde abscissus, præ Regum paludamento laudatus est; *Quia nulli,* ut ait S. Leo, *parvus est census, cui magnus est animus; neque merito caret, etiam in tenui facultate, bona opulentia voluntatis.*

Quod

Quod B. Virgo S. Brigittæ dixit de benedicto Filio suo, l. 2. Rev. c. 3. *Quicunque voluerit, poterit eum hilari mente satiare, etiam micâ panis, si voluntas fuerit bona; vestire eum sufficit filo, si charitas fuerit ardens. Potare eum poterit stilla, si affectus fuerit rectus. Nec opus, nec facultatem solam attendit, sed ferventem voluntatem, & quâ opus factum fuerit intentione.* S. Basilius, & S. Chrysost. *Non tantùm in magnis, sed in minimis quoque animi promptitudo accepta est DEO, qui omnia facit, & satagit, ut ex minimis te coronet.* B. Petrus Falc. *Perge igitur exerceri in minimis, ut maxima æterna vitæ præmia merearis.*

Revelatio facta S. Brigittæ.

Vide pro dilatatione in solitudine P. Barri dissertationem de cura minimorum.

PRO FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS, DE GRATIARUM ACTIONE, ET LAUDE, QUAM ILLI DEBEMUS, EXHORTATIONES TRES.

EXHORTATIO I.

Invenietur in ea gratiarum actio, & vox laudis, Isa. 51. v. 3.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AD hoc à DEO creati sumus, & innumeris affecti beneficiis, ut grati simus, & ss. Trinitatem laudemus.

§. 1.

§.1. *Variis titulis invitamur, ut SS. Trinitati reddamus gratiam & dilectionem.*

SUppono vos sæpiùs audivisse, legisse, & scire multa, alta & sublimia, de mysterio sanctissimæ Trinitatis; præsertim de infinitis beneficiis, à tribus Personis, Patre, & Filio, & Spiritu S. in humanum genus collatis; de hominis (ut paucis omnia complectar,) creatione, redemptione, justificatione, & glorificatione; quibus suppositis, dico cum S. Paulo, ex ep. 1. ad Thess. c. 5. v. 16. *Gratias agite, hæc enim est voluntas DEI.* S. Bruno hîc: *Voluntas DEI hæc est, in omnibus, ut omnes agatis gratias.* Rupertus Abb. l. 1. in c. 1. Apoc. *Ad hoc divina nobis, tam sedula erga nos, & profusa beneficentia commendatur, ut sollicitemur ad gratiam, invitemur ad dilectionem.* Pater æternus dicitur *Creator*, Filius *Redemptor*, Spiritus S. *Justificator* & *Glorificator*; ut sollicitemur ad gratiam, invitemur ad dilectionem. Commendatur, deprædicatur, extollitur Patris omnipotentia, Filii sapientia, Spiritus S. bonitas & amor; ut sollicitemur ad gratiam, ut invitemur ad dilectionem. Exclamat S. Joannes Evang. cap. 3. v. 16. *Sic DEVS dilexit mundum*! sic Pater dilexit, ut dederit Filium; sic Filius dilexit, ut dederit semetipsum; sic Spiritus S. ut diffundi velit in cordibus nostris; ut sollicitemur ad gratiam, ut invitemur ad dilectionem.

§.2. *Quare DEVS hominem collocaverit in paradiso.*

De DEO Patre, de Filio, de Spiritu S. de ss. Trinitate ait Philo: *Non aliquando largitur, aliquando non; sed semper & continuò, qui sine intermissione benefacit, qui nullam occasionem benefaciendi*

ciendi sinit præterfluere. Hæc nobis inculcantur, ut sollicitemur ad gratiam, ut invitemur ad dilectionem. *Hoc est*, ait Rupertus, *intelligere debemus, ut Creatori in laude & gratiarum actione fidelem animum geramus.* Et addit, DEUM ob eundem finem plantasse amœnissimum deliciarum paradisum, Gen. 2. v. 8. ut ad majorem astringamur gratitudinem: de quo etiam S. Chrysostomus ait hom. 13. in Gen. *Imperavit in terra paradisum fieri, ut productus homo in eo versaretur. Extra paradisum formavit illum, sed mox introduxit, ut re ipsâ, sensu beneficiorum frueretur, & ut ex aspectu & conversatione multam perciperet voluptatem, provocareturque ad gratitudinem, intelligens, quantus sit affectus beneficiis!* O si hodie beneficia à ss. Trinitate nobis collata, quàm provocaremur ad gratitudinem! quàm incitaremur ad dilectionem! Eccles. 7. v. 32. *In omni virtute dilige eum, qui te fecit.*

Super v. 26. capitis 1. Genesis, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, iterum eleganter ait Rupertus Abbas l. 2. de Trin. c. 1. *Magnum planè consilium, in illo sapientiæ consilio, in illo talium Personarum, Patris, & Filii, & Spiritus S. non tam senatu, quàm soliloquio venerando, de nobis habitum est; ut unaquæque Persona suam operis partem susciperet, ut scilicet tunc quidem Pater conderet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret; Spiritus S. remissionem peccatorum perficeret. Et quorsum? nisi ut animus, mens, lingua, & os hominis repleatur laude; laude, sapientiæ Creatoris; honore, gratiæ liberatoris; gratiarum actione, pietati illuminatoris.* Exemplo Davidis, qui ausus fuit dicere: *Semper laus ejus in ore meo*, ps. 30. v. 2. *Repleatur os meum laude*, ps. 70. v. 8. &c. (Vide Concordantias.) §. 3. *Intentio SS. Trinitatis, in hominis formatione.*

Dicunt ss. Patres, inæstimabilem esse dignitatem, ad quam DEUS hominem evexit, in prima statim creatione: applaudente Psalmistâ, ps. 8. v. 6. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Ubi S. Greg. Nazianz. orat. 2. *Artifex ille infinitus, unum ex utroque, hoc est, ex visibili & invisibili natura hominem fabricavit; atque à materia quidem, ante producta, sumpto corpore, à se autem insito spiraculo,* (quod quidem intelle- §. 4. *Prosecutio.*

ctualem animam, DEIq; imaginem Scriptura vocat,) *velut alterum quendam mundum, in parvo magnum in terra collocat, eorum, quæ in terra sunt, Regem: Terrenum & cœlestem, caducum & immortalem, visibilem & intelligibilem, eundem spiritum & carnem condidit, &c.* ad quem finem? Citatus S. Naz. postquam multa talia enumerasset, respondet, *Vt scilicet homo eum, cujus beneficiis ornatus est, concelebret.*

§ 5. *Stimulus & calcar in gratiarum actionem ex S. Augustino.*

Consentit S. Augustinus l. med. c. 4. ubi nos invitat, ut oculos nostros in creaturas conjiciamus, pro gratitudinis stimulo erga liberalem adeo benefactorem, qui hæc omnia non propter suum, sed nostrum commodum nobis contulit, sublevemus; ait enim: *Respice universum mundum istum, & considera, si in eo aliquid sit, quod tibi non serviat. Omnis creatura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut obsequiis tuis famuletur, & utilitati deserviat, suisque oblectamentis pariter, & necessitatibus secundum affluentiam occurrat. Hoc cælum, hæc terra, hic aër, hæc maria, cum eis, quæ in eis sunt universis, explere non cessat. Hic circuitus temporum annuis innovationibus, redivivis partibus antiqua innovans, delapsa informans, consumpta instaurans, pastu perpetuo subministrat. Quo autem fine,* (idem prosequitur Sanctus,) *tot continuis & inæstimabilibus beneficiis nos accumulat DEVS, nisi ut nobis totidem ad tanto benefactori nostro laudes, gratiasque agendas, stimulos & calcaria addant. Quis ergo putas, hæc instituit? quis illud naturæ præcepit, ut uno sensu tibi serviat? beneficium accipis, & auctorem non agnoscis? donum in manifesto est, largitor occultus: & ipsa ratio tua dubitare te non sinit; hoc tuum non debitum esse, sed beneficium alienum.* Tantùm, ut sollicitemur ad gratiam, ut invitemur ad dilectionem!

§. 6. *Prosecutio ex S. Antonino, S. Aug. & Hugone de S. Vict. re.*

Pulchrè S. Antoninus: Cùm omnia fecerit DEUS propter „ hominem, ut dicit Augustinus, quælibet creatura est quoddam „ beneficium homini collatum, ut invitet eum ad regratiandum „ ipsi, pro tali beneficio. „ Sequitur elegans discursus ejusdem Sancti ex Hugone Victorino. Quælibet creatura trinâ voce quem- „ libet alloquitur, videlicet: Accipe, redde, fuge. Accipe, v. g. „ inquit cœlum, à me illuminationem & motum. Accipe, inquit „ ignis, à me calorem; accipe ab aëre respirationem; accipe ab a- „

qua

qua refrigerium, & lotionem. Accipe, ait terra, à me anima-„
lia, victualia, metalla, sustentationem. Secunda vox est, Red-„
de, scilicet obsequium tuo benefactori, & meo Creatori: qui„
ideo me creavit, ut tibi servirem, quod facio; tu ergo multò ma-„
gis illi obsequium præstes, in honorem suum me utendo, & sibi„
de meo obsequio tibi impenso, gratias agendo, ne ingrata inve-„
niaris. Tertia vox est, Fuge, scilicet supplicium tibi paratum„
propter ingratitudinem; nam si ingrata eris, non me bene uten-„
do, & gratias agendo, omnes erimus contra te ad judicandum„
tuam ingratitudinem.„ Id quod probat ex c. 5. Sap. v. 21. *Pugna-bit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* (Habes locum, ut has tres voces, *Accipe, Redde, Fuge*, in particulari pulchrè applices tribus Personis sanctissimæ Trinitatis, v. g. *Accipe* à Patre beneficium creationis; *Redde* gloriam. *Fuge* ingratitudinem. Sic de Filio & Spiritu S. corde, ore, & opere; repete millies, *Gloria Patri, &c.*)

Utinam & hodie inter nos adimpleretur propheticus versus 3. ex cap. 51. Isaiæ, quo de futura Christi Ecclesia prædixit: *Invenietur in ea gratiarum actio, & vox laudis.* Addit S. Hier. *Quòd sicut in cælesti Sion, quæ comparatur Paradiso DEI, aliud non reperitur, nisi gaudium & lætitia, confessio & vox laudis; ut idem fiat in Sion terrestri, hoc est Christi Ecclesia, ut sicut Sancti in cælo triumphante, ita nos in Ecclesia militante in jugi DEI laude & gratiarum actione occupemur.* Ideò postquam Sacerdos in Missa, continuarum, quas Angeli divinæ Majestati exhibent laudum, gratiarumque actionum, fecit mentionem, subdit clarâ voce: *Cum quibus & nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus.* Cùm hoc quotidie fiat, par est, ut hodierno festo SS. Trinitatis ferventiùs præstemus.

§. 7. *De gratiarum actione, & voce laudis, quæ prædixit Isaias c. 51.*

Innumeras frequenter proposui causas, propter quas Christus D. instituerit Sacramentum Altaris, & quare appelletur Eucharistia. Ad rem præsentem facit id, quod S. Chrysostomus ait hom. 26. in S. Matth. *Propterea reverenda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia,* (id est, gratiarum actio) *nuncupantur. Sunt enim beneficiorum recordatio*

§. 8. *Quare Sacramentum Altaris appelletur Eucharistia.*

plurimorum, caputq́ ipsum, divinæ erga nos charitatis ostendunt; nosque faciunt debitas DEO gratias semper exsolvere. Ad hoc quotidie obligamur; quantò magis hodierno Festo SS. Trinitatis, &c.

§. 9. *Quis finis sacrificii Missæ.*

Idem cit. S. Chrysostomus hoc applicat quotidiano Sacrificio Missæ, de quo ait: *Quod pro Iudæorum olim salute fecit, variis temporibus, locis & festivitatibus, & sacrificiis, & victimis, præsertim Agni Paschalis, in memoriam illos suorum beneficiorum reducens; id nunc equidem magno cum cumulo est operatus in nobis, ipso genere sacrificii, ad jugem nos pro beneficiis suis gratiarum incitans actionem.* Et hoc, quod D. Chrysostomus hoc loco de Missæ sacrificio asserit, nos quoque ad omnia festa extendere possumus, per quæ varia nobis beneficia in memoriam revocantur; præsertim hodierno festo sanctissimæ Trinitatis. (fiat p. digressio.)

§. 10. *Quàm excellens sit sacrificium laudis.*

Puto me hodierno festo eleganter uti posse verbis D. Chrysost. h. 52. in Gen. *Nihil tam gratum DEO,* (dico ego, sanctissimæ Trinitati) *ut anima grata, & agens gratias; nam cùm innumeris beneficiis quotidie nos prosequatur, nihil aliud à nobis exigit, quàm gratiam.* Item: *Nullum gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blasphemiâ nihil pejus.* Itaque immolemus hodie sanctissimæ Trinitati sacrificium laudis, hoc est, sacrificium acceptabile, hoc est, holocaustum pingue, ut laudetur DEus ab homine, inquit S. Hier. Laudare autem DEUM, vel agere illi gratias, est sentire omnia bona ab ipso esse data, & pro illis laudare, corde, ore, & opere. (Applica hæc sanctissimæ Trinitati.)

§. 11. *Quâ ratione DEIpara Virgo illud obtulerit.*

Hoc modo egit gratias DEIpara Virgo, dicendo, Luc. 1. v. 47. *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna, qui potens est;* quasi diceret: *Multitudo beneficiorum DEI impedit narrationem. Quis obsecro adeo ingenio pollebit, & facundiâ, ut narrare possit, quanta mihi fecerit Dominus. Quæ sunt ista? præ ipsorum magnitudine dicere non valeo. Sed ideo magnificat anima mea Dominum. Ideo glorificabo illum in laude; ideo cantabo cum Angelis stantibus ante thronum Agni,* Apoc. 7. v. 15. dies & noctes, sine quiete, sine fine dicentes, *Amen, benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo DEO nostro in sæcula sæculorum,* Apoc. 5. v. 13. (Fiat iterum

rum

rum pia & affectuosa digressio, & dictorum applicatio ad SS. Trinitatem.)

EXHORTATIO II.
DE SS. TRINITATE.

Invenietur in ea gratiarum actio, & vox laudis,
Isa. 51. v. 3.

SYNOPSIS.

QValis illa gratiarum actio, & laus esse debeat, ut placeat SS. Trinitati.

§. 1. Desiderium gratitudinis in Tobia, erga Raphaëlem Archangelum.
§. 2. Optat Auctor, tale in nobis esse, erga SS. Trinitatem.
§. 3. Quisquis laudare vult SS. Trinitatem, debet habere cor purum & mundum.
§. 4. Angelis debemus esse similes, ut dignè laudemus.
§. 5. Probatur ex aliquot locis ex Apocalypsi.
§. 6. Toti debemus laudare SS. Trinitatem.
§. 7. Caveamus aliquid agere, quod displiceat SS. Trinitati.
§. 8. Imitemur S. Gertrudem.
§. 9. Et S. Hieronymum.
§. 10. Et sic in hoc etiam exilio, inveniemus veram beatitudinem.

§. 1. Desiderium gratitudinis in Tobia erga Raphaëlem Archangelum.

CUM senior Tobias cum admiratione ex filio reduce intellexisset mirabilia beneficia, ab ignoto Angelo comite ipsi collata, cap. 12. v. 1. hanc eidem filio proposuit quæstionem: *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?* Respondens Tobias dixit patri suo: *Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum à devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli;*

 & bo-

& bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc dignum poterimus dare? Advertite obsecro, quàm accuratè & sigillatim omnia à Raphaele accepta beneficia recensuerit & ponderarit; quàmque sollicitus fuerit, ut dignam ei pro omnibus retributionem gratâ mente referret; mox enim ait v. 4. *Peto te pater mi, ut roges eum, si fortè dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere.* Tum Archangelus Raphael respondit, v. 15. *Ego sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus coram Domino.* Ad quas voces pater & filius perterriti, in terram se prostraverunt, quos Raphael animavit, dicens v. 17. *Pax vobis, nolite timere, etenim cùm essem vobiscum, per voluntatem DEI eram, ipsum benedicite, & cantate illi.* q. d. laudibus, benedictionibus, gratiisque DEO insistite; benedicite DEUM, & narrate mirabilia ejus; quod deinde Regius Psaltes nuper citatus, citatis verbis suasit, ps. 49. v. 14. *Immolate DEO sacrificium laudis.*

§. 2. *Ostendit Author, tale esse in nobis erga SS. Trinitatem.* Convenit, meo judicio, pulcherrimè hodierno festo SS. Trinitatis; quis quærere non potest: *Quid possumus dare his tribus sanctissimis Personis?* Quis respondere non potest: *Quid dignum esse poterit tantis beneficiis? Pater æternus nos creavit, Filius nos redemit, Spiritus S. nos justificavit.* Quòd diabolus contra nos nihil possit, quòd ab infernali dracone hactenus devorati non simus; quòd videamus lumen cœli, &c. debemus SS. Trinitati. Ab hac replemur omnibus bonis, & replebimur. Quid ad hæc poterimus dignum dare? Nolite quæso cogitare de auro & argento, gemmis vel divitiis, aut aliis muneribus; unicum superest, ipsum benedicite, & cantate ei; benedicite DEUM, & narrate omnia mirabilia ejus. Sive, ut cum Regio Psalte loquar: *Immolate SS. Trinitati sacrificium laudis;* de cujus sacrificii excellentia cùm egerim in Exhortatione priori, æquum est, ut in hac aliquas ejusdem circumstantias & conditiones vobis proponam.

§. 3. *Quisquis laudare vult SS. Trinitatem, debet habere cor purum & mundum.* Inter illas, primo loco ponenda est hæc, ut scilicet voci & linguæ conjungatur cor purum & mundum. Ita D. Chrysostomus super versum primum Psalmi 146. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum,* ita scribit, *Vides, quomodo ante verba requirit gratiarum actionem, quæ fit per vitam, & bona opera? non sufficit enim verbis solùm gratias agere,*

agere, nisi etiam factorum virtus concurrat; nam laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Et in pſ. 49. ait: *Ita vivas, ut Dominus tuus glorificetur,* juxta Christi D. verba, Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum. Sit vita tua ejusmodi, ut tuus laudetur, ac celebretur Dominus, & perfectum obtulisti sacrificium.* Idem quoque in pſ. 112. *Oportet prius vitam rectè instituentem, hymnos DEI canere; non est enim pulchra laus in ore peccatoris. Secundò, non verbis solùm, sed etiam factis laudare oportet, & hanc DEVS laudem maximè requirit.* Ex hoc discursu colligamus breviter, quinam sint veri, & perfecti cultores SS. Trinitatis; quinam illam laudent & celebrent, prout decet. Vel quid facere debeamus, ut tres SS. has Personas, debitis laudibus concelebremus. Ante omnia debemus esse sancti, hoc est, puri ab omni graviori culpa: ita debemus vivere, ita exercere nos in operibus bonis, ut sanctissima Trinitas glorificetur, &c.

Sacer textus frequentissimè nos adhortatur, ut laudemus DEUM, & debitas eidem agamus gratias; sed advertere nos oportet, qualem similibus exhortationibus præfigat monitionem. Tales exhortationes sunt tres ultimi pſalmi, 148, 149, 150, in quibus omnes ferè creaturæ invitantur, ut laudent DEUM. (fiat pulchra inductio.) Pari ratione hodierno potissimùm festo eædem invitari possunt, ut laudent SS. Trinitatem. Sed advertite initium, quo utitur Regius Psaltes, pſ. 148. v. 1, 2, 3. *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus.* Ubi S. Chrysoſt. *Ideò cùm præcipit laudes offerre, incipit à superioribus Potestatibus,* &c. *Oportet enim Angelum fieri, & ita laudare Angelica vita, Angelica lingua, Angelica conversatio, Angelica puritas, priùs sonare & laudare debet, & ita DEVM laudare possumus.* (Applica hæc S. Trinitati.)

§. 4. Angelis debemus esse similes, ut dignè laudemus.

S. Joannes in sua Apocalypsi satis describere non valet voces laudis, quas audivit in conspectu throni divinæ Majestatis, v. g. illas Apoc. c. 5. v. 12, 13, 14. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cælo*

§. 5. Probatur ex aliquot locis ex Apocalypsi.

est,

est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, omnes audivi dicentes, sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum; & quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores, dixerunt Amen! Cap. 4. v. 8. jam dixerat de istis animalibus: *Et requiem non habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus DEUS omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Sed advertite circumstantiam, cujus sacer textus expressè meminit, nimirum cœlestium spirituum, & Angelorum, qui dicuntur fuisse præsentes; ait enim v. 5. cap. 4. *Vidi septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus DEI.* Iterum v. 11. *Vidi & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, erat numerus eorum millia millium, dicentium: Dignus es Domine DEUS noster accipere gloriam, &c.* Sed cur fit sola mentio SS. Angelorum, cùm DEUS est laudandus? Jam superiùs respondit S. Chrysost. *Oportet Angelum fieri, & ita DEUM laudare,* (jam dicta p. applica laudi SS. Trinitatis.)

§. 6. *Toti debemus laudare SS. Trinitatem.*

Audiendus S. Augustinus in ps. 148. *Cùm laudatis DEUM, toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta, DEUM toti laudate.* Totus David laudavit DEUM, cùm dixit ps. 85. v. 12. *Confitebor tibi Domine DEUS meus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. DEUS meus es tu, & exaltabo te. Cantabo Domino in vita mea, psallam DEO meo, quàm diu sum. Vivet anima mea, & laudabit te: benedicam nomini tuo, per singulos dies, laudabit usque ad mortem anima mea Dominum.* O si ita laudaremus SS. Trinitatem! toto corde, totâ vitâ, toto esse, totâ animâ, toto corpore, omni tempore, dies & noctes, denique in morte. Fuit David magnus divinæ Majestatis laudator; sed mementote cor ejus fuisse cor secundùm cor DEI. Mementote vitam ejus fuisse immaculatam; mementote, quàm excellens fuerit in nobilissimarum virtutum exercitio, quando DEUM laudabat; quàm humilis! quàm patiens! quàm promptus ad faciendum omnes justificationes ejus.

§. 7. *Caveamus aliquid agere, quod displicet SS. Trinitati.*

Itaque hæc est eximia gratiarum actio, & perfectissima DEI laus, nihil facere, quod in vita vel moribus displicere possit mundissimis oculis divinæ Majestatis. Cùm Vespasianus electus esset Roma-

Romanorum Imperator, venit Romam quidam Princeps, qui censebatur legitimus esse Imperii hæres; suaserunt Vespasiano aliqui ex amicis, ut eum occideret, ne foret causa alicujus rebellionis. Clementissimus Vespasianus non tantùm non occidit, sed Consulem fecit, & ditissimum. Demirantibus amicis dixit: *Vos nescitis quidquam, sine manuum mearum sanguine, sic ego manus ejus ligavi beneficiis meis, ut, licèt sanguis regius ebulliat in venis ejus, & corde, ipse tamen ob nobilitatem suam, nihil adversus tantum benefactorem agere audeat.* Utinam tot & tam varia beneficia nobis à sanctissima Trinitate collata, ita ligarent manus nostras, ne quidquam audeamus adversus tantum benefactorem! Hæc est eximia gratiarum actio, & laus divinæ Majestatis.

Quæ laus, ut majorem adhuc assequatur perfectionem, in memoriam vobis revoco, quod narratur de S. Gertrude: Cùm aliquando magnâ devotione festo Paschatis se præpararet ad decantandum Matutinum, dixit suo cœlesti Sponso: *Doce me, instructor benignissime, quali devotione te laudare possim per Alleluja, quod toties hoc festo repetitur.* Respondit ei Dominus: *Poteris me convenientissimè per Alleluja collaudare, in unione laudis supercælestium civium, qui per idem jugiter me collaudant in cælis; in unione illius excellentissimæ laudis, quâ omnes Sancti conjubilantes extollunt præsuavissimam delectationem divini influxus in meam Deificam Humanitatem, immortalitatis gloriâ sublimatam, pro multivaria amaritudine passionis & mortis, quam sustinui propter humanam salutem.* Immuto ego paululùm quæstionem S. Gertrudis, & quæro: Quomodo hodierno festo SS. Trinitatis, quâ devotione illam laudare possimus, per illos versus, *Gloria Patri, &c. Sanctus, &c. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus & superexaltemus in sæcula;* qui versus hodie toties in Ecclesia repetuntur: Respondeo, poteritis laudare convenientissimè in unione illius laudis, quâ Seraphini & Cherubini SS. Trinitatem deprædicant. (Fiat hoc modo pulchra inductio per alios choros, &c.)

§. 8. *Imitemur S. Gertrud.*

§ 9. *Et S. Hieronymum.* S. Hieronymum puto ita laudasse DEUM; ait enim ep. 2. ad Eustochium: *Solus deserta penetrabam, sicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus: & ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensq; cantabam,* (applica p. festo SS. Trinitatis.)

§ 10. *Et etiam in hoc exilio inveniemus veram beatitudinem.* Cùm regius Psaltes ps. 26. totus anhelaret ad patriam cœlestem, dixit v. 4. *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Addit causam eodem vers. *Ut videam voluntatem DEI.* Vulgata habet, *Ut videam voluptatem Domini.* Hebraica, *Ut videam dulcedinem Domini.* S. Hier. *Ut videam pulchritudinem* DEI. S. Aug. & S. Ambrosius legunt, *Ut videam delectationes Domini.* Reverendi Patres, si cum Davide simili flagratis desiderio, ut aliquando habitetis in domo Domini; sed relinquam cœlestem Jerosolymam, descendo in vallem lachrymarum, in qua vivimus; nihilominus quæro; Vultisne in hoc exilio videre voluptatem Domini, vel dulcedinem, vel pulchritudinem, vel delectationes ejus? agite, estote cultores SS. Trinitatis, illam laudate, magnificate, glorificate; cum Seraphinis dicite, *Sanctus!* cum Cherubinis, *Sanctus!* &c. Sive cum S. Augustino: *Beati! quorum hoc est negotium, laudare* DEUM. Addo ego, SS. Trinitatem, cui sit honor, gloria, & benedictio in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO III.

DE SS. TRINITATE.

Invenietur in ea gratiarum actio, & vox laudis, Isa. 51. v. 3.

SYNO-

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ITerum ostenditur, quanta sit nostra obligatio, ut laudemus SS. Trinitatem.

§. 1. *Aurea praxes amandi & laudandi SS. Trinit.*
§. 2. *SS. Trinitas nobis imposuit tributum amoris.*
§. 3. *Memoria hominis grati, est liber recordationis.*
§. 4. *Vel Calendarium.*
§. 5. *Vel marmoreum monumentum.*
§. 6. *Testimonia SS. PP. de obligatione, quam habemus, ut* DEUM *laudemus.*
§. 7. *Prosecutio.*
§. 8. *Prosecutio, quòd laus SS. Trinitatis debeat jugiter durare.*
§. 9. *In quo consistat laus jugis & continua.*
§. 10. *Prosecutio.*

CUm B. Melchtildis l. 4. c. 22. anxiaretur, pro eo, quòd DEUM non sufficienter laudaret, nec amaret; suspiravit ad Christum D. *O bone IESV! largire mihi gratiam, ut dignè laudem, ut dignè amem te:* Fateor, Auditores, me hodierno festo SS. Trinitatis, simili flagrare desiderio, ut suspirare possim: O bone Jesu, instrue nos, quomodo dignè possimus amare & laudare ss. Trinitatem! Cùm Christus D. responderit S. Melchtildi: *Cùm me desideras laudare, nec id pro tuo desiderio perficere potes, dic: O bone* JESU, *laudo te; & quod mihi in tua laude deficit, digneris supplere pro me. Et si vis me amare, dic: O bone IESV! amo te; & quod mihi in tuo amore deficit, digneris supplere pro me,* DEOq; *Patri amorem cordis tui offerre pro me.* Quem jubilum sentio in corde meo, ob doctrinam hanc ex ore Christi prolatam. O ss. Trinitas! ita, ita; desideramus hodie laudare te; sed quia pro nostro desiderio id perficere non possumus, optimum nostrum Jesum rogamus, ut quod nobis deficit, dignetur pro nobis supplere. O ss. Trinitas! volumus, volumus, volumus amare te; quod nobis deficit, pro nobis supplebit dilectissimus Filius tuus, offerendo amorem divinissimi cordis sui. Et quia idem dilectus Filius tuus aliàs S. Mechtildi dixit: *Si me dignè vis laudare, tunc dic hæc quinque verba: Gloria tibi dulcissima, nobilissima, fulgida, tranquilla, & ineffabilis Trinitas!* §. 1. *Aurea praxes amandi & laudandi SS. Trinitatem.*

tas! Nos quoque hodie cum jubilo, cum Seraphinis & Cherubinis, cum tota cœlesti curia, laudes tuas concelebrabimus, & millies, millies ingeminabimus: *Gloria sit dulcissima, nobilissima, fulgida, tranquilla, & ineffabili Trinitati!* Quantum ad hanc gratiarum actionem, laudem & amorem ss. Trinitatis obligemur, iterum ostendam.

§. 2. *SS. Trinitas nobis imposuit debitum amoris.* Verba illa Sponsæ Cant. 2. v. 4. quibus de Sponso ait: *Ordinavit in me charitatem.* Alia lectio ita vertit: *Imposuit mihi debitum amoris.* Ex Hugone de S. Victore, verborum horum hic potest esse sensus, quòd Sponsa de Sponso voluerit dicere: *Beneficiis rapuit cor meum, ut totum sit absconditum in corde Sponsi, ad amandum ardentiùs.* Quis vetat, nos hodierno festo talia affirmare de tribus Personis ss. Trinitatis; an non Pater cœlestis imposuit nobis debitum amoris, dum ex nihilo nos creavit? Idem Hugo: *Anima mea considera mundum, respice ea, quæ in eo sunt, quoniam omnia tradidit, omnia serviunt tibi; dilige ergo Dominum, à quo ita dilecta es.* An non Filius DEI nobis imposuit debitum amoris, dum de cœlo descendit, factus homo; dum tanta passus est, &c. ergo es debitor, dilige eum. Et Spiritus S. quale debitum, sive jugum nobis imposuit, quàm suave, quàm leve! ut diligamus. Nunquid æquum est, ut tot & tanta beneficia rapiant corda nostra, ut ardeant Seraphico amore erga ss. Trinitatem! S. Aug. in sol. c. 18. *Sicut nulla est hora, vel punctum, quo* (ss. Trinitatis beneficiis) *non utimur, sic nulla debet esse hora, quâ non habeamus ante oculos -- SS. Trinitatem, ut illam laudemus, & amemus.* O si quâvis horâ clamaremus, *Gloria sit dulcissimæ, nobilissimæ, fulgidæ, tranquillæ & ineffabili Trinitati.*

§. 3. *Memoria hominis grati, est liber recordationis.* Esther cap. 6. v. 2. & seqq. fit mentio regii libri, in quo notabantur illorum nomina, qui præclaro aliquo opere Regi fidem suam demonstrarunt, ut apud Regem memoria præstitæ fidei, & beneficii jugiter permaneret. Seneca l. 1. de benef. c. 4. *Obligantium & obligatorum animi certent, ut qui beneficium præstiterint, obliviscantur; pertinax verò sit memoria debentium.* Huic fini serviunt tales libri. Malachiæ 3. v. 16. fit mentio librorum, qui vocantur *Monumenti*; in Hebraico, *Recordationis & memoriæ.* De tali libro

bro videtur locutus regius Psaltes ps. 101. v. 19. postquam multa enumerasset beneficia à DEO in populum collata, ait: *Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.* Exodi quoque 17. v. 14. similis libri fit mentio, quando Dominus post obtentam celeberrimam victoriam contra Amalecitas, dixit Moysi: *Scribe hoc in monumentum in libro, & trade auribus Iosue, ut ipse tradat auribus Posterorum.* Teste Senecâ: *Ingratissimus est, qui beneficiorum obliviscitur.* Hoc ad minimum à nobis exigit multitudo & magnitudo beneficiorum, quæ in nos contulerunt tres Personæ ss. Trinitatis, ut memoria nostra sit liber *monumenti & recordationis* eorundem; & ut illorum memores, in alias generationes scribamus, mirabilia, quæ fecit Dominus. Titulus unius folii esse potest, Creatio hominis; alterius folii, ejusdem Redemptio; tertii, Sanctificatio Spiritus S. ut millies, millies dicamus: Gloria sit dulcissimæ, &c.

Si velimus cogitare, hunc librum gratæ recordationis esse simul aliquod Calendarium, in quo ab Ecclesia notata sunt præcipua festa, quibus DEUS in humanum genus contulit eximium beneficium, v. g. festum Incarnationis, quo Verbum in utero Virginis caro factum est, ut hujus mysterii semper simus memores; rogo vos, ut huic Calendario aureis characteribus inscribatis Festum sanctissimæ Trinitatis, ut tanti mysterii nunquam obliviscamur. §. 4. *Vel Calendarium.*

Si placet, convertamus hunc librum & Calendarium in altare, sive marmoreum monumentum. Noë Gen. 8. v. 21. post diluvium egressus ex arca, videns se cum familia sua salvatum, ob tam eximium beneficium statim exstruxit altare, immolavitque victimas & hostias, *odoratusque est Dominus odorem suavitatis*; de quo S. Chrysostomus ait: *Vide gratitudindm justi, ædificavit altare, obtulit suæ voluntatis gratitudinem, & DEUS approbans voluntatem hanc coronavit.* Ita idem Sanctus ait de Abrahamo: *Vidisti mentem gratam, quia mox ut tabernaculum fixit, statim pro facta sibi promissione gratiarum actiones obtulit Domino; & in singulis locis, ubi tabernaculum fixit, invenies hoc præ omnibus fuisse curæ, ut exstructo altari preces offerret, & gratias ageret.* De Jacobo Patriarcha referunt §. 5. *Vel altare, sive marmoreũ monumentum.*

ferunt SS. Patres, quòd quamprimùm eximium aliquod beneficium à DEO acceperit, erexerit altaria, vel lapides, vel marmorea monumenta, quibus notas accepti beneficii insculpsit, pro æterna memoria. Ita Josue cap. 4. v. 5. ex ejus præcepto, quævis Tribus debuit afferre durissimum lapidem, & suo ordine collocati, æternum essent monumentum præstiti beneficii, in transitu Jordanis. Imitabimur hos sanctissimos Patriarchas, si corda nostra convertamus in altaria, dedicata honori sanctissimæ Trinitatis, ut in eis jugiter ardeant holocausta divini amoris, cum suavissimo fumo & odore vocis laudum, & gratiarum actiones.

§. 6. *Testimonia SS. PP. de obligatione, quam habemus, ut DEUM laudemus.*

Marginales glossæ in hoc libro, in hoc Calendario, in his altaribus & marmoribus esse possunt aurea dicta SS. Patrum, quibus nos memores faciunt obligationis & tributi, quod sanctissimæ Trinitati, & DEO Opt. Maximo debemus. Ingentem obligationem insinuat S. Antoninus: *Poterat DEUS nos facere creaturas vilissimas*, v.g. vermiculos, ranas, &c. *sed fecit nobilissimas*, tam nobiles, ut nobis impresserit imaginem trium Personarum in unitate Divinitatis. Memini me legere, aliquem Eremiculam in spirituali conferentia, sive colloquio ad socios exclamasse: *Benedictus DEUS, qui fecit tot innumeras, & mirabiles creaturas, ex quibus nulla est, quæ me non doceat* DEUM *laudare, & regratiari.* Quod audiens quidam non ita expertus in spiritualibus, opposuit: *Quomodo te docet laudare* DEUM *bufo?* respondit ille: *Multum quidem, & multipliciter, nam cùm intueor illud animal, ita horribile in aspectu, veneno plenum, corpore turgidum, super pectus gradiens super terram: considero* DEUM, *me potuisse talem facere; fecit autem rationabilem creaturam, sui capacem.* Audi mi homo! quòd non sis vipera, non serpens, &c. sanctissimæ Trinitati debes, quæ te formavit ad imaginem suam: ideoq; obligatus es, ut illam laudes.

§. 7. *Prosecutio.*

Priorem discursum etiam reperio apud S. Greg. Nyss. or. 1. in orat. Dom. *Quis me, cùm pulvis in animis essem, vitæ pariter & mentis participem fecit? quis hoc lutum ad imaginem divinæ naturæ formavit?* Infert S. Bern. Ille, *Creator tuus est, tu creatura; ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & fecit te, & benefecit tibi.* Repetit omnia, sed

paucis

paucis verbis S. Aug. t. 9. de contrit. cordis: *Non eram, & de nihilo fecit me, non arborem, non avem, nec aliquod de animantibus brutis, sed hominem me voluit esse, dedit mihi esse, vivere, sentire, & discernere.* Audite iterum consequentias SS. PP. v.g. D. Chrysostomi hom. 26. in Gen. *Propter hoc rationales facti sumus, & à brutis differimus, ut laudemus, celebremus, glorificemus jugiter Dominum, ea propter & animam nobis inspiravit, & linguam dedit.* Et S. Augustini l. de spir. & animâ: *Ut factorem suum pro imagine cognoscat, & pro similitudine diligat, - factus est homo in animam viventem,* in Hebraico legitur, *In animam loquentem*; tum subdit: *Magno debito obligata es anima mea; multum accepisti, & pro omnibus his, non habes, quod retribuas, nisi tantùm ut diligas.* (Per pulchram digressionem applica hæc omnia ss. Trinitati.)

Cogor iterum facere mentionem Altaris, de quo, quia Dominus in veteri lege præcepit, jugiter in illo ardere perpetuum ignem, quem Sacerdos nutrire debebat, subjiciendo mane ligna per singulos dies. Rupertus Abbas inquit: *Igni ligna subjicere, est commemorationem sanctissimæ Trinitatis beneficiorum jugiter habere, & propter hæc in amorem ejus magis atque magis proficere.* Philo Alex. *Gratiarum actionem hæc sacra flamma figurat; semper instaurandam, ne quando extinguatur.* In quo pulchrum modum nobis præscribit S. Anselmus in medit. c. 7. „Plus debeo, quàm me ipsum totum, sed nec plus habeo, nec hoc ipsum possum per me reddere totum: trahe me Domine in amorem tuum; & hoc ipsum totum, quod sum, tuum est conditione, ac totum tuum dilectione.„ Toti itaque debemus tradi in amorem sanctissimæ Trinitatis, ut toti illius simus.

§. 8. Laus SS. Trinitatis jugiter debet durare.

Jugem & continuam sanctissimæ Trinitatis laudem hoc modo exponit Oleaster: „Frequentissimè nos admonet gratitudinis supremus pater, quòd noverit nos ad ingratitudinem promptissimos; & ubi beneficia contulit, aut promisit, illic nos gratos esse cupit. Neque fuit satis, quòd Jacob semel construxisset altare, & pro gratiarum actione victimas obtulisset, - sed sæpiùs id fieri voluit, ut videas non sat esse, semel DEO pro magnis beneficiis gratias agere, & hostias obtulisse; quia frequentissimè id fieri voluit,„

§. 9. In quo consistat laus jugis & continua.

voluit; quo modo de laude nostra, & gratiarum actione dici pot- „ est, quòd sit jugis & continua. „ (Applica hæc ss. Tr.)

§. 10. Prosecutio. Alium modum (ut denique finiam,) suggerit nobis Regius Psaltes ps.33.v.3. *In Domino laudabitur anima mea.* Versio S. Antonini ait: *Occupabitur anima mea. Quod non est aliud, quàm ipsa DEI beneficia cogitare, & noscendo & recognoscendo, - & iterum iterumq́, & frequentissimè meditando, - - ipsum benefactorem amare.* (Fiat iterum applicatio vel digressio ad sanctissimam Trinitatem, cum affectuoso epilogo, qui poterit esse repetitio Exordii.)

DE EXCELLENTIIS, FRUCTIBUS, EFFECTIS, SUMPTIONE SS. EUCHARISTIÆ, ET ALIIS EJUSDEM CIRCUMSTANTIIS, EXHORTATIONES QUATUOR.

EXHORTATIO I.

Si quis manducaverit hunc panem, vivet in æternum, Joannis 6. v. 59.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

De primario SS. Eucharistiæ effectu & fructu, qui est vita animæ, quoad gratiam & gloriam.

§. 1. *Exordium.*

§. 2. *SS. Eucharistia hominem præparat*

parat ad vitam æternam.

§. 3. *Per Eucharistiam in nobis est Christus; consequenter Vita.*

§. 4. *Per frequentem sumptionem Eucharistiæ inseruntur nobis virtutes, in quibus consistit vita gratiæ, quæ est semen gloriæ.*

§. 5. *Simile S. Basilii, cur alii Religiosi langueant, alii ferveant spiritu.*

§. 6. *Per Eucharistiam incorporatur nobis Christus, à quo est Vita.*

§. 7. *Advertendum tamen est, qualiter hunc panem manducemus.*

§. 8. *Cibus ille non est omnibus dulcis.*

§. 9. *Quo fervore illum debeamus manducare.*

§. 10. *Hoc Elogium SS. Eucharistiæ, quòd sit pignus futuræ gloriæ, ex SS. Patribus variè explicatur.*

UT illâ devotione, quâ par est, colamus sanctissimum Altaris Sacramentum; ut frequenter ingenti fervore nos disponamus ad sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem; ut qui Sacerdotes sumus, præparatione & apparatu possibili, quotidie offeramus sanctissimum Missæ sacrificium; ut quotidie mane, vespere, de die aliquoties Christum D. in altari domestici sacelli, sub speciebus consecratæ hostiæ nobis præsentem, piè & devotè visitemus; ut ad lucrandas Indulgentias suspiremus millies, præcipuè post sacram Synaxin: *Benedictum sit sanctissimum Sacramentum*; ut inflammato zelo, ejus cultum & venerationem conemur ubique excitare & augere: necesse est, nos sanctissimi hujus Sacramenti fructus, effectus, utilitates, aliasque circumstantias frequenti meditatione perpendere & revolvere. In quem finem, aliqua, quæ ex piis libellis selegi, in aliquot Exhortationibus vobis proponam. Ego de hac affectuosa materia libenter, & cum affectu loqui soleo; vos, ut spero, cum simili gustu, illa libenter audietis. *Benedictum sit sanctissimum Sacramentum!* §. 1. *Exordium & Propositio.*

Piè S. Bonaventura in c. 6. S. Joan. v. 33. illis verbis Joan. 3. v. 16. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Modum, quo Pater ad hunc finem dedit suum Filium, ita exponit S. Bonav. *Dedit illum in pretium.* Sed piissimè subdit: *Pius* JESUS *sic* §. 2 *SS. Eucharistia hominem præparat ad vitam æternam.*

sic dilexit mundum, ut hominibus, redemptis suo sanguine, se ipsum, id est, carnem & sanguinem suum etiam dederit in cibum. De quo ipse ait v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habebit vitam æternam.* Nervosè S. Ambrosius l. de parad. c. 9. *Hic est cibus, quo vita æterna definitur*; id est, cibus Eucharisticus, sive Christus D. quem in illo sumimus, quem in cœlesti hoc pane manducamus, est ille, qui de se ait: *Ego sum vita*: & est ille, qui per hunc cibum nobis dat vitam. Angelicus Doctor ideo in hymno suo Eucharistico ait, *Panis vivus & vitalis.* Et Petrus Blesensis ep. 123. *Magnum hoc est Sacramentum, supra omnem æstimationem, supra omnem intelligentiam, supra omnem eminentiam, in qua est salus mundi, & pretium sæculi.* Quale pretium? quo ex una parte redempti sumus; quo ex altera parte emere, & quasi manducare possumus vitam æternam. Sive, ut ipse Salvator ait, *Hic est panis, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Ubi Rupertus: *Contra cibum mortis, panem comedite vitæ æternæ, & calicem bibite salutis æternæ.* Albertus Magnus in persona Christi ait: *Quia in corporali cibo vitam perdidistis, ideo ego corporalem cibum præparavi vobis, in quo vitam invenietis.* In hoc mundo, *vitam gratiæ vivificantis*; in altero, *vitam æternam*; cujus semen & pignus est gratia. Quò collimant verba illa Christi D. Joannis 6. v. 27. *Operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.*

§. 3. *Per Eucharistiam in nobis est Christus D. consequenter vita.*

Eadem reperio apud S. Hilarium, l. 8. de Trinit. *Hæc verò vitæ nostræ causa est*, (loquitur de vita animæ spirituali) *quia in nobis carnalibus, manentem per carnem Christum habemus, victuri per eum, eâ conditione, quâ vivit ipse per Patrem.* Quam conditionem ipse Christus D. exposuit Joan. 6. v. 58. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, vivet propter me.* S. Hilarius: *Vivit ergo per Patrem, & quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem vivemus*: hoc est, manducando carnem, & bibendo sanguinem Christi, meremur vitam gratiæ, & æternæ beatitudinis. Et est mirabilis observatio S. Bonaventuræ, quod hoc capite 6. S. Joannis à Christo D. *decies repetitur hic actus vivificandi, & attribuitur pani.* S. Aug. ser. 2. de verb. Ap. *Illum bibere,*

bere, quid est, nisi vivere? manduca vitam, bibe vitam; habebis vitam, & integra est vita. Sic in Canone Missæ ait Sacerdos: *Panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ.*

§. 4. *Per frequentationē Eucharistiæ, inseruntur nobis virtutes, in quibus consistit vita gratiæ, quæ est semen vitæ æternæ.*

Quâ ratione cibus Eucharisticus nobis det vitam spiritualem animæ, sive gratiam, ita exponit Dion. Carth. & S. Th. Quia scilicet corpus Christi fideles suos in bona vita confirmat & confortat. „ Et ideo (P. Salmeron) *Virtutes Theologicas & morales, quæ ad salutem nostram faciunt, eorumq́; incrementa, nullâ ratione magis nobis polliceri possumus, quàm per hoc ipsum fidei & charitatis Sacramentum; quippe ejus frequentatione illæ nobis inseruntur; illæ nobis insertæ augentur, atque auctæ perficiuntur non secus ac cibo corporeo, singulæ corporis partes & membra accrescunt, aut saltem conservantur.* Proinde, rogo vos, ait Albertus M. Rogo vos accipere cibum pro salute „ vestra, quia nullius vestrum capillus de capite peribit: cibus e- „ nim salutis saluberrimus omnibus, & confortat in gratia, & sal- „ vas à periculo. „ Et S. Bernardinus: Sicut alimentum corpora- „ le habet, vitam corporis servare: sic hoc Sacramentum, cùm sit a- „ nimæ cibus, habet ipsam in gratia solidare, quæ ipsius animæ vita „ est. S. Cyprianus de cœna Dom. n. 14. Potus & esus ad eandem „ pertinent rationem, quibus sicut corporea nutritur substantia, „ & vivit, & incolumis perseverat: ita vita spiritus hoc proprio ali- „ mento nutritur.

§. 5. *Simile S. Basilii, cur aliqui Religiosi langueant spiritu, alii ferveant.*

Æquè eleganter S. Basilius in c. 3. Is. Quemadmodum cor- „ pora nostra convalescunt ac firmantur, sub altera sumptione con- „ gruentium alimentorum: ita quiddam est, quod consentaneè pa- „ scit animam, ejusque suggerit vegetas vires ad bonitatem con- „ sectandam. Quid illud tandem est? nimirum quòd dixit Do- „ minus: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. „ Enimverò experientiâ constat, quòd dum quis aliquanto tempore sine cibo vitam degit, paulatim omnia corporis membra languescant; at verò quando sufficienter nutritur, omnes illius partes vigorem & vires denuò recipiunt: eundem quoque effectum in animabus operatur, raritas vel frequentia communionis; unde Psalmista ajebat ps. 101. v. 4. *Ossa mea sicut cremium aruerunt; percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere pa-*

nem meum. Ecce causam irrefragabilem, ob quam in Societate JESU videmus homines languidos spiritu, aridos in devotione, &c. quia,&c. contra, cur alii ita fervent spiritu, cur in meditationibus exardescunt, cur, &c. Advertite, quoties & qualiter accedant ad S. Synaxim, & advertetis differentiam. Locum hîc habet aphorismus mulierum, qui sic ait: *Omnis nauseatio mala,* (& signum ægritudinis) *panis autem pessima.* (Applica p. Pani Eucharistico.)

§. 6. *Per Eucharistiam incorporatur nobis Christus, à quo est vita.*

Neque Christus D. certiorem arrham obtinendæ vitæ æternæ nobis relinquere potuit, quàm instituendo SS. hoc Sacramentum, in quo modum adinvenit, quo se totum nobis incorporat, & inviscerat, tanquam cibus & potus. Alb. M. *Nos non modò attrahit, sed intrahit, & ipse in nos penetrat usque ad medullas.* Ut communicantibus dici possit: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro, membra estis corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus, ut non tantùm per charitatem,* subdit S. Chrysost. *hoc fiamus, verùm & ipsâ re in illam misceamur carnem.* Ad quod Ecclesia videtur alludere in oratione Dom. 3. Quadrag. *Quæsumus omnipotens DEUS, ut inter ejus membra numeremur, cujus corpori communicamus & sanguini.* Quæ unio infallibile semen est gratiæ in anima, & futuræ vitæ æternæ. Ubi Christus est, erunt & membra. S. Hilarius l. 8. de Trinit. *Hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Et S. August. tr. 26. in Joan. *Hoc est, manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere.* S. Ans. de Sacr. Alt. cap. 10. *Est ergo hæc vita nostra causa, quòd in nobis carnalibus, per carnem* (mundissimam, cœlestem, divinam, vivificantem) *Christum manentem habemus, junctum nobis per eum, eâ conditione, quia vivit ille per Patrem, vivamus & nos.*

§. 7. *Advertendum tamen est, qualiter hunc panem vitæ manducemus.*

Verùm, circa tam nobiles effectus SS. Eucharistiæ, bene ponderanda est admonitio S. Augustini ser. 2. de verbis Apostoli: *Tunc autem hoc erit,* (hæ particulæ tibi suggerent pulcherrimam dictorum repetitionem; v. g. tunc autem Christus nobis incorporabitur, tunc, &c.) *id est, vita unicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter*

mandu-

manducetur, & spiritualiter bibatur. *Audivimus enim ipsum Dominum dicentem: Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam.* Itaque visibiliter tantùm & corporaliter comedere carnem Christi, & bibere ejus sanguinem, parum prodest; imò potest cum carne & sanguine Christi manducari & bibi mors æternæ damnationis; spiritus & fervor in fide, fervor fiduciæ, ardor charitatis, verbo spiritus devotionis operatur mirabiles & eximios illos effectus, de quibus mihi sermo est, præsertim de hoc, cujus mentionem facit S. Chrysost. *Hic sanguis facit, ut imago in nobis regia floreat; hic sanguis pulchritudinem atque nobilitatem animæ, quam semper irrigat & nutrit, languescere non sinit.* Fundamentum habemus in ep. 1. ad Corinth. c. 11. v. 29. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ille non dijudicat corpus Christi, (*inquit S. Bernardinus*,) qui ad „ hunc divinum panem tanquam ad alium corporalem cibum in- „ consideratè accedit, nam cùm capacitas nostra ad suscipiendum „ Christum efficaciter, sit à spiritu, & non à carne, fit in mente, non „ in ventre; & mens non potest Christum attingere, nisi per cogni- „ tionem, & dilectionem; id est, per fidem & charitatem; ita quod „ fides illuminat ad cognitionem, & charitas accendit ad devotio- „ nem; ideo ad hoc, quòd aliquis dignè accedat, oportet quòd spi- „ ritualiter comedat, & sic per cognitionem fidei masticet, & per „ devotionem amoris suscipiat, & deglutiat. „ S. Paschasius l. de corp. Christi, c. 17. *Cogitandum à nobis est, non quantum à dente premitur, sed quantum fide & dilectione capitur.*

Ideo Sponsa dixit Cant. 2. v. 3. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Non dicit absolutè, *fructus ejus dulcis*, sed *gutturi meo*; qui modus loquendi insinuat, cœlestem illum cibum, non cuilibet palato esse dulcem & suavem, sed tantùm illis, quorum palatum simile est gutturi Sponsæ, per quam anima sancta & immaculata repræsentatur. Illis enim, qui stomachum glandibus refertum habent, non mel, sed fel est. Ubi S. Th. op. 58. c. 6. *Dulcis gutturi meo, id est, piæ & fideli menti, quæ credit & intelligit, hunc cibum sanctum esse, & sibi utilissimum.*

§. 8. *Cibus ille non est omnibus dulcis.*

§. 9. *Quo fervore illum debeamus manducare.* Itaque, ut cum Fulberto Carnotensi loquar: Exere pala-,, tum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende, & sume,, panem vitæ, interioris hominis alimentum, non arte pistoriâ fer-,, mentatum, sed incarnatæ Deitatis vitale pulmentum.,, S. Joan. Damasc. l. 4. de fide, cap. 14. ita nos hortatur: *Demus operam, ut per divini ignis perceptionem inardescamus, Diiq; efficiamur.* S. Cyrillus: *Ad cælestem gratiam accedamus, Corporisque Christi participes efficiamur; sic enim, sic inquam, diabolum fugabimus, & divinæ naturæ participes, ad vitam & incorruptibilitatem ascendemus.* Ob quam causam

§. 10. *Hoc elogiû SS. Eucharistiæ, quòd sit pignus futuræ gloriæ, ex SS. PP. variè explicatur.* SS. Eucharistia bene à S. Th. vocatur, *Pignus futuræ gloriæ.* Quod elogium SS. Patres variis modis explicant. Ecclesia in Missa Fer. 6. Dom. 2. Quadrag. *Fac nos quæsumus Domine accepto pignore salutis æternæ, sic tendere congruenter, ut ad eam perveniamus.* Et in festo Corp. Christi: *Fac nos quæsumus Domine, Divinitatis tuæ sempiternâ fruitione repleri, quam pretiosi Corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.* S. Bonav. postquam ex S. Chrysost. demonstrasset, majorem esse Christi D. erga nos amorem, quàm sit parentum erga filios, in persona Christi ait: *Ego autem Filius DEI non ita meipsum vobis appono, omnes vos nobiles esse volens. Qui enim hic vobis dedi meipsum, multò magis in futuro, volo vester fieri.* Alb. M. SS. Eucharistiam vocat, Edulium vegetans ad vi-,, tam æternam; viaticum confortans nos, ad perficiendam hujus,, exilii viam, & pignus æternæ salutis. Tales successus habet do-,, num istud.,, S. Th. de Villa N. Hoc Sacramentum est pignus,, æternæ hæreditatis; hæc unica anchora spei nostræ, hoc unicum,, solatii nostri asylum; per hoc ad DEI nostri conspectum intra,, sancta sanctorum confidimus introire.,, Iterum affectuosè Alb. M. Sacramentum hoc est institutum in signum futuræ beatitu-,, dinis. Id quod nunc in Sacramenti specie percipiendo Chri-,, stum agimus, signum est, qualiter eundem aliquando, secundùm,, dulcedinem suæ Deitatis in cœlesti beatitudine percipiemus.,, Rupertus Abb. SS. Eucharistia expellit à nobis amaritudinem,, mortis, & vitæ æternæ dulcedinem indit.,, S. Th. Ultimus e-,, jus effectus est, introitus ad vitam æternam. Corpus Christi est,,

fructus

fructus vitæ, valens ad destructionem gehennæ, & acquisitio-„ nem vitæ æternæ. Hic panis vitam edenti præstat, non cente-„ nariam, sed æternam vitam; jucundam vitam, beatam vitam, om-„ nium bonorum plenitudine felicissimam. „ Exordium verti potest in epilogum.

EXHORTATIO II.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, Joannis 6. v. 56.

SYNOPSIS

VIde statim EXHORTATIONIS Propositionem.

§. 1. Propositio.

§. 2. Sex gradus divini amoris, quorum summus est Institutio SS. Eucharistiæ.

§. 3. Amorosa unio in Eucharistia, exponitur per pulchrum simile.

§. 4. Testimonium S. Bernardini.

§. 5. SS. Eucharistia idem est, quod beneficentia, sive liberalitas.

§. 6. Ingentia Christi D. dona, in SS. Eucharistia.

§. 7. Præsertim quædam inexplicabilis suavitas.

§. 8. Conglobatio suavissimorum effectuum in sumptione SS. Eucharistiæ.

§. 9. Alia ex Thoma de Kempis.

§. 10. Invectiva in indignè communicantes.

UT illâ devotione (repetatur breviter EXORDIUM prioris EX- *§. 1. Propositio.* hortationis usque ad propositionem) in quem finem pro hac xhortatione ex sanctis Patribus hæc tria elogia sive puncta selegi: 1. SS. Eucharistia est *Sacramentum immensi amoris*, quem ejus institutione hristus D. erga genus humanum demonstravit. 2. SS. Eucharistia est *mysterium infinitæ largitatis & munificentissimæ liberalitatis.* 3. SS. Eucharistia est *profundum*, sive *abyssus quædam mirabilium & suavissimarum adinventionum*, per quas hristus D. ostendit immensa desideria, ut nobis bene faciat. Benedictum sit millies

sit millies hoc *Sacramentum amoris.* Benedictum millies hoc *mysterium liberalitatis.* Benedicta millies hæc *abyssus mirabilium inventionum.* Percipite jam, quàm in his punctis triumphent pietas & eloquentia ss. Patrum.

§. 2. *Sex gradus divini amoris, quorum summus est institutio ss. Eucharistiæ.*

Profundus, subtilis, sed Angelicus est discursus S. Thomæ Aquinatis opusc. 58. cap. 3. ubi varios divini amoris & liberalitatis erga nos homines constituit gradus. Primus fuit, *cæli, terræ, totiusque naturæ creatæ ex nihilo productio.* 2. *Deputatio Angelorum in nostrum ministerium.* Tertius, *impertitio sui in Incarnatione per modum socii.* Quartus, *oblatio in servum, siquidem formam servi accepit.* Quintus, *consignatio in pretium redemptionis nostræ.* Sextus gradus est, & summus, *quòd dat homini corpus suum in cibum. In hoc est expressio summæ largitatis, & præcipui amoris. Magnum est enim, dare se in socium peregrinationis, & in servum necessitatis; majus in pretium redemptionis: tamen tale donum est adhuc in aliqua separatione in eo, cui datur; sed cùm datur in cibum, datur non ad separationem aliquam, sed ad omnimodam unionem: uniuntur enim in unitate corporis, cibus & sumens.* In hoc est expressio summæ dilectionis.

§. 3. *Amorosa unio in Eucharistia exponitur per pulchrum simile.*

Cujus amorosæ unionis effectum ibidem S. Thomas ita exponit: Si trunco etiam sylvestri inseratur ramus arboris bonæ & ,, fructiferæ, ille naturali virtute prævalens, sylvestris arboris ama- ,, ritudinem in suam dulcedinem & nobilitatem convertit, & simi- ,, lem sibi bonum fructum proferre facit, sic corpus Christi, nobis ,, quasi insitum, defectus nostros evacuat, & in suam nos bonita- ,, tem trahit; ut quales ipse frondes, flores, & fructus justitiæ facit, ,, pares & nos per eum faciamus. ,, Ut in versu 21. Jacobi 1. unico mutato verbo, dicere possimus, *Suscipite insitum* - corpus Christi, - *quod potest salvare animas vestras.* Ramus insertus ita unitur, alligaturq; arbori, ut eam suis imbuat qualitatibus, & proprietatibus; quem eundem effectum panis ille cœlestis operatur in nobis; *Trahe me post te*, ait S. Thomas, *me scilicet mutando in te, violentiâ tuæ dilectionis, magnitudine tuæ charitatis, virtute firmæ insertionis; ut vivam ego, jam non ego, vivat verò in me Christus.* Nunquid in hoc est expressio summi amoris? saltem ex mente Alberti M. juxta S.

Dion.

Dion. Areop. *Optimè iste dictus est divinus amor, qui DEVM sic in nos transponit, & nos in DEVM; extasis enim græcè constat, quod latinè est transpositio; dicit enim Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. In me, inquiens, manet, extra se transpositus, & in ipso maneo transpositus, extra me ipsum.* Quod idem punctum attigit S. Chrysost. hom. 43. in Joan. docens, *Quòd accommodatiorem adinvenire non potuerit modum, se nobis per amorem uniendi, unumque nobiscum evadendi, quàm dum se nobis in cibum & potum consignavit. Vt autem non solùm per dilectionem,* inquit Sanctus, *sed re ipsâ in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est; cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur.* In hoc est expressio amoris. Sic *manducans,* S. Bern. *transformatur in naturam cibi, quem manducavit, Corpus enim Christi manducare, nihil aliud est, quàm corpus Christi effici.*

Postquam S. Bernardinus t. 2. ser. 54. eosdem posuit amoris gradus, quos superiùs Angelicus Doctor ait, „Ultimus gradus amoris est, cùm se dedit nobis in cibum; quia dedit se nobis ad omnimodam unionem & transformationem. Nam in septem superioribus gradibus, & consimilibus beneficiis Christus factus est nobis uniformis; sed in hoc Sacramento, ut homo fiat Deiformis; nam sicut cibus & cibans invicem uniuntur, sic dignè suscipiens illum, in ipsum per ardentissimum amorem, totaliter transformatur, & Deiformis efficitur.„ (potest fieri in illas particulas, *dignè suscipiens.*) §. 4. *Testimonium S. Bernardini.*

Fundamentum alterius elogii, quòd SS. Eucharistia sit mysterium liberalissimæ munificentiæ, reperio in v. 16. capitis 13. ep. ad Hebræos: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci.* Significantiùs equidem sacræ Communioni, sive sumptioni SS. Eucharistiæ attribui non potest, quàm ut vocetur beneficentia; sive, Sacramentum, *in quo,* ut Conc. Trid. sessione 13. loquitur, *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.* De qua prodiga effusione veluti ex quodam fonte, sic ait S. Bern. ser. in Cœna Domini: *Potésne æstimare, quale vel quantum est hoc Sanctum Sanctorum, & Sa-* §. 5. *SS. Eucharistia idem est quod beneficentia, vel liberalitas.*

cramentum Sacramentorum, (reliqua tubi sunt, & canales, & rivuli, Eucharistia fons est, & mare) *amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum. Hic bibuntur in loco uberi, torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cœlestis.* Ex paradiso voluptatis, Gen. 2. v. 10. fons scaturiit, qui totum irrigavit paradisum; Paradisum Sponsi, sive hortum Ecclesiæ uberrimè rigat fons Eucharistiæ, saliens & scaturiens in vitam æternam. Juxta hunc fontem, non steriles salices germinant, sed arbores cœlum ipsum attingentes, quæ fructus solidos semper producunt. Quod Jeremias Propheta prædixit c. 31. v. 42. *Et venient, & laudabunt in monte Sion, & confluent ad bona Domini, super frumento & vino; eritque anima eorum, quasi hortus irriguus, & ultra non esurient.* S. Hier. in ps. 21. v. 27. *In monte Sion, hoc est, in Ecclesia, frumento & vino, de quo conficitur panis Domini, & sanguis ejus, & benedictio sanctificationis ostenditur.* Quam mysticam convivii hujus ubertatem ita describit Petrus Cellensis l. de pan. c. 2. Escam animarum, pabulum spirituum, dapes cœlesti- „ um delitiarum, præfert hæc mensa: hæc inquam mensa, plena vi- „ sceribus misericordiæ, chrismatibus referta gratiæ, sedentium „ penetralia mirabiliter implendo non explet, appetitus residen- „ tium satiando, acriùs & sacratiùs urget. Est enim hujus convi- „ vii & convivantis natura, ut succumbant semper desiderio, nun- „ quam fastidio.

§. 6. *Ingentia Christi dona in SS. Eucharistia.*

Breviter, sed pulchrè de liberalitate Christi in institutione Eucharistiæ ait Alb. M. *Magna dona Christi! in hoc convivio corpus dedit in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, Deitatem in condimentum exhibendo.* Tertull. l. de pudic. c. 10. ait, *Opimitate corporis Christi vescimur*; quæ vocula excessivam quandam omnium & singulorum bonorum denotare videtur abundantiam; quâ habitâ, nihil homini deesse possit, quam David in spiritu prævidens ait, ps. 22. v. 2. *Dominus - in loco pascuæ me collocavit, super aquam refectionis educavit me, - & nihil mihi deerit*; quia in sumptione Eucharistiæ, ut Regius Psaltes insinuat, ps. 89. v. 14. *Replemur omnibus bonis, quia* (Alb. M.) nullum bonum est, quod in hac commu- „ nione non inveniatur; hæc enim communio corporis Christi est, „ thesaurus sapientiæ DEI, quæ est Christus. Quia, dum corpus „ suum

ſuum dat in communionem; ſimul animam dat in redemptio-„ nem, ſanguinem in ablutionem, Deitatem in omnis boni acqui-„ ſitionem. Paulò antè Alb. M. In viſceribus charitativi affe-„ ctus corpus, & ſanguinem, & viſcera, ſpiritum & animam, & Dei-„ tatem nobis communicavit.„ Quæ major poteſt excogitari liberalitas? quàm quòd Chriſtus D. ſe totum nobis tribuat in cibum & potum. Figura fuit Agnus paſchalis, Exod. 12. v. 6. cujus caput cum pedibus & inteſtinis debuit devorari. *In quo myſterio deſignatur,* (S. Bernardinus) *quòd in hoc Sacramento totus Chriſtus, cum Divinitate & anima, & corpore ibi continetur & ſumitur. Caput Divinitas, inteſtina, anima; pedes verò ſunt Corpus Chriſti.* Ex hoc cibo oritur

Illa ſuavitas, de qua ait S. Cyprianus, de cœna Dom. *Sapit amplius, quàm manna; implet & ſatiat edentium appetitus, & omnia carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exſuperat dulcedinum voluptates.* Nam ſaporem gratioſum valde habet ex Deitate; hoc ſapore omnibus præfertur delectabilibus; nec aliquid eſt, quod comparari poſſit delectationi hujus Sacramenti: ſi enim delectatio eſt, diffuſio naturæ ſuper maximè conveniens, inæſtimabilem convenit eſſe delectationem ſuper guſtum Deitatis, in omni gratia, & in omni bono refertum. Angelicus Doctor ait, *Suavitatem hujus Sacramenti nullus dignè exprimere ſufficit, per quod ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur.* S. Cyprianus: Per quod ſic imprimi-„ mus, & eliquamus dulcedinem charitatis (& munificentiæ, & li-„ beralitatis, &c.) ut hæreat palato noſtro, & viſceribus, ſapor dile-„ ctionis infuſus, penetrans & imbuens omnes animæ, corporiſ-„ que receſſus. Alb. M. Quantæ putas dulcedinis eſt, ſanguis„ hujus Sacramenti, qui de tam dulci fonte manavit, & à tam dulci„ fonte hauriente, in tam dulce vas eſt transfuſus? Fons enim hu-„ jus ſanguinis eſt ſanguis in viſceribus glorioſæ Virginis conten-„ tus, hauriens hunc fontem Spiritus Sanctus eſt; vas, in quod trans-„ funditur, corpus Dominicum eſt, ex quo manat etiam in Sacra-„ mentum, & ex Sacramento in corda fidelium.„ Theodoretus: *Cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus nutrimur.* Ad abun-

§. 7. *Præſertim quædam inexplicabilis ſuavitas.*

dantiam, ad ubertatem, &c. fons est Deitas Patris; fons est caro Filii; fons ejus sanguis, fons Spir. S.

§. 8. Conglobatio suavissimorum effectuum, in sumptione SS Eucharistia.

Itaque ex immensa Christi D. liberalitate, in sumptione SS. Eucharistiæ nobis accidit, teste S. Theresia: *Vt sanguinem, quem Christus D. fudit cum multo dolore, nos eo fruamur cum multis deliciis.* Ita deliciæ sunt cœlesti Sponso, esse cum filiis hominum; non quidem ut suas à filiis hominum captet delitias, sed ut suas cum filiis hominum communicet, & liberali manu largiatur proprias. Ita à Domino misericorditer largitum nobis est, ut in sumptione hujus Sacramenti mens spiritualiter delectetur, saginetur, & impinguetur. *Ita* (S. Cypr.) *animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat, & delectat.* Quidquid enim in hoc Sacramento est, dulcedine plenum est. Ita nobis tribuit sua pinguia, atque medullas suas. B. Laur. Justin. de discipl. mon. c. 19. *Cujus vel ferreum pectus, aut adamantina mens non liquescat, præ devotione, cùm DEVM sibi, & se DEO senserit corporaliter unitam? Non capit cor, lingua deficit, humanus sopitur sensus ad investigandum tanti arcana mysterii. O quantæ ibi delitiæ! quantus ardor! qualia verba! quàm vehemens amor! quàm casti amplexus gustantur!* S. Bern. ep. 190. Aliud est, sequi JESUM, & aliud tenere, & aliud manducare. Sequi! salubre consilium: tenere & amplecti, solenne gaudium: manducare, vita beata! Ita, in sumptione SS. Euchatistiæ, (B. Laur. Justin.) pia mens, tanti Sponsi lætificata præsentiâ; hoc mediante Sacramento repletur gaudio, exultatione perfunditur, lumine irradiatur, pace satiatur, roboratur fide, devotione saginatur, atque indissolubili amoris vinculo Redemptori interius copulatur.,, Ita sumptione hujus cibi Religiosus quotidie fit ferventior in dilectione, fortior in labore, promptior in opere, in tentatione prudentior, sollicitior in virtute, in administratione alacrior, & in ipsius frequentatione efficitur ardentior. Qualia dona liberalissimi Redemptoris in institutione sanctissimæ Eucharistiæ!

§. 9. Alia ex Thoma de Kempis.

Piè & suaviter Thomas de Kempis l. 4. c. 4. Est hoc altissimum & dignissimum Sacramentum, salus animæ & corporis,,

medi-

medicina omnis ſpiritualis languoris, in quo vitia non curantur, „ paſſiones refrænantur, tentationes vincuntur ac minuuntur, gra- „ tia major infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, ſpes „ roboratur, & charitas igneſcit, ac dilatatur. „ Unum addit S. Cypr. Vide quomodo his, qui Chriſti memorant Paſſionem intra „ ſacra officia, quaſi per quoſdam canales de interioribus fontibus „ egrediantur torrentes, & ſuper omnes delitias, lachrymis necta- „ reis anima delectetur. „ B. Laur. Juſtin. Ita, hoc Sacramentum „ dignè ſumentibus exuberans confertur gratia! ex illo enim quæ- „ dam vivificantis ſpiritus, & melliflua ſuavitatis demonſtratur e- „ manatio, per quam omnis vigor interioris hominis roboratur. Quales effectus! quales fructus! qualia dona Chriſti D. in SS. Euchariſtia!

Examinet ſe quiſque, an talis, hoc eſt, dignè & devotè ad ſumptionem Euchariſtiæ accedat. Quia licèt mel naturâ dulcedinem habeat, tamen ægrotis amarum eſt, non propriâ, ſed illorum ægritudine, ita Communio, *Mors eſt malis, vita bonis, vide paris ſumptionis, quàm ſit diſpar exitus.* In indignè communicantibus panis vertitur in fel aſpidum. *Divitias, quas devorarunt, evoment, & de ventre eorum extrahet illas DEUS, &c.* Job. 20. v. 4. (Fiat invectiva in illos, qui indiſpoſiti accedunt ad ſumptionem ss. Euchariſtiæ. — § 10. *Invectiva in illos, qui indignè communicant.*

EXHORTATIO III.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, Joannis 6. v. 56.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Oſtendit ex B. Laur. Juſtiniano hanc maximam: *Iuxta menſuram charitatis, & diſpoſitionis effectus percipitur hujus Sacramenti.*

§. 1. *Propositio.*

NUllus est ex SS. Patribus, ex quorum flosculis & discursibus, instar sollicitæ apiculæ, collegi melliflua dicta, de eximiis fructibus & effectibus ss. Eucharistiæ; nullus inquam est, qui non insinuet hos fructus correspondere sumentis dispositioni; & illorum præ reliquis magis fieri participes, qui majori curâ, devotione, & ardore, ad dignam tanti Sacramenti susceptionem, se præparant & disponunt. Breviter B. Laur. Justin. *Iuxta mensuram charitatis & dispositionis effectus percipitur hujus Sacramenti.* Et S. Bonav. t. 7. in fasc. c. 7. *Adverte, quòd effectus Sacramentorum solet esse secundùm dispositionem, & præparationem suscipientium.* Quas maximas hac EXHORTATIONE fusiùs demonstrabo.

§. 2. *Effectus SS. Euch. pendet à sumētis dispositione. Quod pulchro simili declaratur.*

Christus D. cœlestis Sponsus, hanc veritatem S. Catharinæ Senensi hoc exposuit simili: Si multi varias ad accendendum afferrent candelas, quarum una ponderaret unam unciam, alia duas, alia sex, alia libram integram; tam quidem primæ, quàm ultima ignem concipient, quo accenduntur. Ita tamen, ut candela unius vel duarum unciarum, minorem ignem & lucem accipiat, quàm illæ, quæ longè sunt majores, grandiores, & integras ponderant libras. Hoc patet experientia. Ita contingit in hoc Venerabili Sacramento illis, qui recipiunt illud, & candelas suas accendunt; videlicet charitatem & sanctum desiderium, cum

cum quo recipiunt Venerabile Sacramentum. Tantum enim „ accipiunt ex infinito illo lumine & igne, quantum de materia „ sinceræ dilectionis & amoris, & igniti desiderii portant; quam- „ vis omnes in veritate recipiant.

Pari ratione scaturiens & saliens fons, indifferenter omnibus patet, ut bibant, sed bibunt & hauriunt alii minus, alii plus, vel juxta sitim cum qua ad fontem accedunt, vel juxta capacitatem & angustiam vasis, quod ad aquam hauriendam secum deferunt; pari ratione SS. Eucharistia est fons aquæ salientis in vitam æternam; est fons omnium gratiarum, fons amoris & misericordiæ divinæ; sed venire oportet ad hunc fontem cum siti, si multum volumus bibere. Oportet, ut cor nostrum sit vas vacuum & dilatum, si copiosas volumus haurire aquas. Non sitienti fons Eucharisticus non sapit. Sitientes implet bonis. Dilatata corda replet lacte & melle. Sicut Christus D. desiderio desideravit manducare non Agnum tantùm paschalem, sed proprium suum corpus in SS. Eucharistia; pari ratione & nos desiderio debemus desiderare, bibere ex hoc fonte, si multum volumus bibere. Tantum recipiemus gratiæ ex isto Sacramento, quantum nos disponimus ad recipiendum. §. 3. *Alterum simile.*

Radius solaris unus & idem ceram liquefacit, lutum verò indurat: non diversus in se, diversè operatur in rebus, utens materiis sicut eas invenit. Sic Christi D. gratia in ss. Eucharistiæ, quantum in ipso est, uno modo se in omnes infundit, sed diversos inveniens animos, diversè in eis operatur. Hunc in amorem suum misericorditer emolliens, illum justè non juvando indurans. Judæ, buccella Dominica fuit venenum, non quia mala, sed quia bonum, *malus malè accepit.* Itaque eniti debemus, ut simus boni, & bene dispositi, cùm ad Solem illum divinum, qui sub speciebus Eucharistiæ latet, volumus accedere, ut accendamur, & illuminemur. §. 4. *Tertium.*

Cœlestis & divinus ille sapor cibi & potus Eucharistici, sive carnis & sanguinis Christi, pendet à dispositione gustus & palati, in illo, qui comedit & bibit. Figura fuit manna, quod habuit unum determinatum saporem per naturam, sed varios per divinam gratiam, §. 4. *Typus & figura fuit Manna, diversi valde saporis.*

gratiam. Quòd autem in lib. Sap. dicatur habuisse *omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem, non erat naturale,* (inquit Dion. Carthus.) *neque ex natura, & vi mannæ; sed divinâ virtute;* quemadmodum etiam ipsum manna in se dulce, videbatur iniquis insipidum, qui dixerunt: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo:* justis verò & DEO gratis sapiebat, quasi omnium habens saporum suavitatem. *Hæc omnia autem in figura contigerunt;* per quam DEus nobis insinuare voluit, omnes sapores, fructus & bona infinita, quæ ex sumptione Eucharistiæ in nos redundant, radicem & augmentum suum, magna ex parte habere repositum, in pietate, devotione, & bonitate illorum, qui inde reficiuntur. S. Bonav. *Per manna significatur congruè Corpus Christi; comedentes ex eo, pro suo desiderio, id est, devotione, recipiuntur; secundùm illud: Desiderium animæ ejus tribuisti ei.* Item: *Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo.* Hoc ego ita intelligo, quidquid à Christo D. in Eucharistia obtinere desideramus, dabitur nobis. Qui parum desiderat, parum accipiet, qui multum, multum. Juxta mensuram desiderii, juxta mensuram humilitatis, devotionis, &c. effectus percipitur hujus Sacramenti. De manna dixit S. Bonav. *Deserviebat uniuscujusque voluntati; ad quæ quisque volebat, convertebatur.* Idem præstat cibus Eucharisticus, sive Christus D. in Eucharistia, deservit cujuscunque voluntati, ad illa quæ volumus, convertitur. (Poterit fieri affectuosa inductio.) S. Aug. epistola 118. *Sicut unicuique manna secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat, sic in ore uniuscujusque Christiani, Sacramentum illud, quomodo sumatur, æstimandum est.*

§. 6. *Deditus mundanis delectationibus non gustat suavitatem SS. Eucharistiæ*

Occurrit & alia circumstantia, quæ circa lapsum mannæ de cœlo, bene est observanda: nusquam enim pluit, nisi in deserto & solitudine. De qua re Albertus M. sic ait: *Dabatur manna, ubi aliud delectabile, & reficiens ad esum non fuit; & sic non sentitur dulcedo gratiæ, & sapor Eucharistiæ, nisi ab his, qui se in desertum corde transferunt, ut mundanas non sentiant delectationes.* S. Bernard. *Delicata est divina consolatio,* (præsertim in SS. Eucharistia,) *non datur admittentibus alienam. Multò magis,* (S. Th. de Villa N. conc. 1. in festo Corporis Christi) *curæ hujus sæculi, anxietates, sollicitudines, ambi-*

ambitiones, invidiæ, odia, cupiditates, libidines, concupiscentiæ, appetitus effrænes, cogitationes turpes, illecebrosæ passiones, nos disponunt ad gustandam dulcedinem cibi Eucharistiæ; quisquis his inficitur, illius mannæ dulcedinem non experitur. Iterum eleganter S. Bernardinus, quod quotidiana experientia nos docet: Quantò quis amplius se tradit delectationibus hujus mundi, & hoc Sacramentum præsumit accipere, tantò magis ei spiritualem nauseam parit. Ita populus Hebræus, in Ægypto carnibus saturatus, in deserto Panem cœli, & cœleste manna, omni suavitate plenum, cum nausea respuit.,, Effectum expressit S. Ambr. in ps. 21. Manna illis contra præcepta divina tractantibus, vermes effecti, sunt, id est, contumaciæ ultores & judices: quæ similitudo Christum indicat, quem, qui suavem cibum, & dulcem potum haurire neglexerit, judicem patietur.

Ad percipiendos fructus SS. Eucharistiæ, necessariò præmittenda est digna præparatio. De illis fructibus ait S. Th. de Villa N. Conc. 3. de Sacram. Fructus uberrimus præstatur, illuminatur intellectus, inflammatur animus, impinguatur affectus, excitatur gustus, vivificatur sensus, purificatur spiritus, virtutes augentur, dona cumulantur, gratiæ multiplicantur, & omnium denique bonorum spiritualium plenitudo in ejus participatione, possidetur.,, Sed addit duas voculas, à quibus hæc omnia dependent, fructus uberrimus præstatur *piè accedentibus.* S. Carolus Borromæus: *Gratiam in animam influit, animam alit atque sustentat; vires animæ addit, efficitq́, ut spiritus divinarum rerum delectatione magis commoveatur, virtutibus augeatur, ac divinè corroboretur.* Sed addit paucas voculas, à quibus dependent omnia, *Cùm purè, & sanctè sumitur.* B. Laur. Justin. ser. de Euch. *Hic cibus justis confert gratiam, peccantibus veniam, debilibus robur, lætitiam mæstis, diligentibus exultationem, nutantibus spem, credentibus pacem, victoriam certantibus, captivis libertatem, sed, cùm dignè & sanctè sumitur.* A cibo Eucharistico confertur peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi & corporis ejus mystici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, spei elevatio, charitatis excitatio,

§. 7. *Conglobati fructus SS. Eucharistiæ supponunt hanc conditioné.* Cùm purè & sanctè sumitur.

tio, devotionis augmentatio, & Angelorum comessatio; *sed - cùm dignè & sanctè sumitur. Fiunt hæc*, ait S. Bernardinus, *virtute sanctæ Communionis.* Piè S. Carolus Borromæus: *SS. Eucharistia vires præbet, ut à criminibus fideles, puros & integros, atque à tentationum impetu incolumes se conservent; ac præterea tanquam cœlesti medicamento animam præparat, ne alicujus mortiferæ perturbationis veneno facilè infici, & corrumpi queat. Concupiscentiæ ardorem debilitat, dum charitatis igne animos fidelium vehementer inflammat.* S. Bernardus in Cœn. Dom. *Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modo, tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini; quoniam virtus Sacramenti operatur in nobis.* Repeto toties repetitas voculas, *Cùm dignè & sanctè accipitur*; juxta modum & mensuram præviæ dispositionis: in cujus defectu tam nobilis cibus degenerare potest in vermes. Communicant multi frequenter, & quomodo illorum viscera roduntur à vermibus invidiæ? &c. *(*Est locus pro pulchris invectivis,*) Accedunt indignè: &c.*

§. 8. *Prosecutio ex B. Laur Justin.* Ingentem catenam horum effectuum nectit B. Laur. Justin. Ex hujus sumptione devotâ cessant odia, contentiones sopiun-„ tur, dirimuntur lites, vitia displicent, diligitur pudicitia, terrena „ vilescunt, efficiturque homo alter, non per naturam, sed per gra-„ tiam, mutaturque totus in melius. Compescit linguam, amat „ silentium, orationi vacat, fraternitatis custodit unitatem, cordis „ sectatur munditiem, & quidquid DEO placere cognoscit. Nun-„ quid hi aurei sunt annuli, quibus nos conspicuos vult esse S. Ig-„ natius in suis Regulis? „ Verùm quæ est officina, quæ fornax, in qua cuduntur hi annuli? Est devota sumptio SS. Eucharistiæ; non quævis sumptio, sed sancta, digna, munda, fervens, ardens.

§. 9. *Prosecutio ex Alb M. & Thoma de Kempis.* Redeo ad Albertum M. qui ait: *Confert hoc Sacramentum gratiam Communionis, & super hanc gratiam expiationis; & super has duas, gratiam redemptionis. Et super has tres confert gratiam vivificationis; & super has quatuor, dat gratiam refectionis spiritualis; & super*

ſuper has quinque ſignificat nobis gloriam æternæ beatitudinis. Addo, *cùm dignè & ſanctè ſuſcipitur. O quàm magnum ſuſcipit Dominum*, exclamat Thomas de Kemp. *qui communicat. Quàm dilectum inducit hoſpitem! quàm jucundum recipit ſocium! quàm fidelem acceptat amicum! quàm ſpecioſum & nobilem amplectitur ſponſum! Sed cùm ſuſcipit, cùm inducit, cùm recipit, cùm acceptat, cùm amplectitur dignè & ſanctè:*

Væ nobis miſeris, inter tot & tantas perverſi hoſtis contra nos inſidias & tentationes, niſi frequenti SS. Euchariſtiæ ſumptione muniamur & roboremur. *Iugum grave*, ingemiſcit S. Hier. *ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ.* Innatus namque nobis fomes, ad peccatum exſtimulans, paſſiones inordinatæ, motus rebelles, dæmonis ſuggeſtiones, & tentationes grave conglomerant jugum, quod Apoſtolus titulo mortis afficere non dubitavit, dicens, Rom. 7. v. 24. *Quis liberabit me de corpore mortis hujus?* S. Hieron. legit: *Quis diſrumpet rete mortis?* Reſpondet idem S. Hier. *Faciet pingue convivium*, &c. Iſa. 25. v 6. *Vt præcipitet & abſorberi faciat faciem mortis & vinculi, quo omnes populi ligabantur.* S. Aug. *Datus enim nobis eſt ſanguis Chriſti, quo diabolus ligatur, ut nos ab eis nexibus liberemur.* S. Chryſoſt. *Hic myſticus ſanguis dæmones procul pellit, Angelos & Angelorum Dominum ad nos allicit; dæmones enim, cùm Dominicum ſanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt*, &c. Si tamen, &c.

§ 10. *SS. Euchariſtia eſt antidotum contra tentationes diaboli.*

Vide hoc punctum fusè & pulchrè apud Ioh. Mancinit. Euch. f. 2, 1.

Rogo vos, Reverendi Patres, ne putetis, dum toties nomino Communionem dignam & indignam, me apud viros Religioſos, & Socios JESU, loqui de illa indigna communione, quæ eſt ſacrilegium, contra quam dudum S. Paulus horribilem illam fulminavit ſententiam, 1. Corinth. 11. v. 27, 28. *Qui manducat Corpus Chriſti indignè, & indignè bibit ejus ſanguinem, reus eſt corporis & ſanguinis ejus; reus eſt judicii, reus eſt æternæ damnationis.* O bone JESU! à tua ſancta Societate, averte ſimilia fulmina. Sed ſunt quidam defectus, quædam immortificatæ paſſiones, & deliberata peccata venialia, quæ eximios fructus S. Synaxeos, licèt mortalia non ſint, ſummoperè impediunt, efficiuntque, ut talis communio in homine

§ 11. *De qua indigna communione loquatur Auctor.*

ne Religioso vocetur minùs digna. Ita ait S. Bernardinus: *Contingere potest, quòd tantâ devotione mens per sumptionem Sacramenti in Domino absorbeatur, quòd ab omnibus venialibus expurgetur; hunc tamen perfectionis effectum plurimùm impedit vaga mentis distractio, & accessus ad Sacramentum cum proposito, venialia peccata admittendi.* Sed adverto, quòd materiam ingrediar, cujus utilitas, præsertim apud homines Religiosos, qui vel quotidie, qui Sacerdotes sunt, vel semel saltem in septimana ad S. accedunt Synaxin, integram jure optimo exigit Exhortationem. Finio itaque hanc, insinuando rursum infallibilem, & verissimam maximam: *SS. Eucharistia, dummodo dispositos nos inveniat, eximios & admirabiles in nobis operatur effectus.*

EXHORTATIO IV.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.
Joannis 6. v. 56.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AGit de quatuor defectibus, sive peccatis, vel pravis inclinationibus, v. g. ad luxuriam, ad dissensiones, ad superbiam, ad acediam, quæ fructus & effectus SS. Eucharistiæ summoperè impediunt.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *Castitas est fructus SS. Eucharistiæ.*
§. 3. *Adultera ex præsentia Christi conversa in lilium.*
§. 4. *SS. Eucharistia Angelicæ vitæ est stipendium.*
§. 5. *Corpus humanum comparatur cum Ætna monte: Christus D. cum rore & pluvia.*
§. 6. *Fimbria vestis Christi D. fuit salutaris: quantò magis totum Corpus Christi.*
§. 7. *Digna sumptio SS. Eucharistiæ deponit iras, odia, &c.*
§. 8. *Prosecutio.*
§. 9. *SS. Eucharistiæ fructus in nobis impedit superbia. Humilitas digna*

Ut promissioni meæ, quam in fine superioris Exhortationis feci, satisfaciam; proponam in Exhortatione præsenti, tres vel quatuor defectus, qui nobilissimos SS. Eucharistiæ fructus & effectus, de quibus hactenus mihi fuit sermo, in Religiosorum animis magnopere solent impedire, & efficaciæ atque virtuti gratiæ, quæ in SS. Eucharistiæ sumptione conferri solent, magna ponunt obstacula. Tale obstaculum inprimis est illa dispositio, vel ille fomes, qui in cordibus nostris excitare solet inclinationes quasdam ad impuram carnis delectationem, quæcunque illa sit, sive in mente & cogitationibus, sive in corporis sensualitate. Plus religiosæ linguæ apud homines Religiosos effari non licet; hoc insinuo, Angelicam castitatem, qualem S. Ignatius in suis Regulis exigit, optimam esse dispositionem, ad percipiendos fructus SS. Eucharistiæ, inter quos unus ex præcipuis est Puritas & Castitas. *§. 1. Propositio.*

Expertus id fuit S. Joannes Evangelista, qui cùm post institutionem SS. Eucharistiæ in ultima cœna, refectus carne & sanguine Christi, recubuisset supra pectus JESU; *Hic continuò in ejus visceribus omnium libidinum fomenta decoxit, ut corpus ejus, tanquam revera Spiritus S. templum vernaret, æstuantis luxuriæ squaloribus defæcatum.* O dulcem accubitum supra pectus JESU! in quo post sumptam Synaxin S. Joannes simul recubuit inter lilia; imò, exclamat B. Petrus Dam. *Ecce lilium, discipulus ille, quem diligebat JESUS*; adeo, ut ob peculiarem castitatis & virginitatis excellentiam, postridie Christus D. de cruce in testamento suo illi legaverit purissimam & dilectissimam Matrem suam. Eja religiosissimi Fratres, quoties sacram Synaxin acceditis, ornate vos liliis, & supra pectus, imò suavissimum cor JESU, suavissimè quiescetis. *§. 2. Castitas est fructus SS. Eucharistiæ.*

§. 3. *Adultera ex præsentia Christi conversa in lilium.*

O felicem adulteram! quam licèt Pharisæi gravissimè accusassent, tamen Christus D. illam non condemnavit, sed abeuntibus accusatoribus, *remansit solus* JESUS, *& mulier in medio stans*, Joan. 8. v. 9. Quid JESUS, qui in tot occasionibus aliàs exemplo suo nos docuit, ne soli cum sola fœmina conversemur, solus cum adultera? Quæso vos, nolite cogitare adulteram, quam JESUS solus cum illa, momento commutavit in lilium; siquidem brevissimâ temporis morâ, Christus D. per divinam suam præsentiam adulteram à carnali infirmitate ita liberavit, ut decoctis æstuantis luxuriæ squaloribus, in ipsius corde castitas veluti lilium effloruerit. Ita remansit solus JESUS cum muliere. Cùm toties longè excellentiori modo nobis Christus D. in Communione sit intimè præsens, cùm liceat illum amplecti, &c. nostrâ sine dubio accidet culpâ, si loco liliorum in cordibus nostris crescant spinæ alicujus libidinis.

§. 4. *SS. Eucharistia Angelicæ vitæ est stipendium.*

Hæc pestis, quò præ cæteris vitiis est naturæ familiarior, eò ad cavendum difficilior, quia cùm repellitur, nolenti se ingerit importuna; cùm admittitur, nolenti incumbit, blandè onerosa; & dum sic sensim infundit amorem suum, prorsus extirpat amorem cœlestium. Sed quid è contra faciendum, ne pereamus? Respondit B. Algerus, *Angelicam in terris vitam ducamus;* hoc est, *castitatis munditiâ, corde & corpore, Christi simus munditiæ conformes; ne cœlesti alimoniâ indignè reficiamur, simus spe & conversatione cœlestes; quia Panis Angelorum non nisi vitæ Angelicæ est stipendium.*

§. 5. *Corpus humanũ comparatur cum Ætna monte, Christus D. cum rore & fonte.*

Audiendus nobis est S. Bonaventura in c. 6. S. Joan. *Si quis æstum patitur, ad hunc veniat fontem, & refrigeret æstum; etenim incentiva omnia mitigat: æstus non solares, sed quos ignitæ sagittæ imprimunt.* Mons Ætna flammis semper est gravidus, unde continuò fumum, flammas & cineres eructat. Nihilominus in exterioris superficiei lateribus glaciem & nives intactas conservat, & verno tempore pulcherrimas herbas, & amœnissimos progerminat flores; idque, quia frequenti rore à cœlo irrigatur. Eodem modo, tametsi corpus humanum instar Ætnæ, concupiscentiæ ignem continuò spiret, dicente Apostolo, ad Galat. 5. v. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum.* Et iterum, Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ;* nihilominus ob cœlestem

ſtem Euchariſtiæ, & frequentem Communionis rorem, intactas caſtitatis nives conſervare, virtutis, honeſtatis, bonorumq; aliorum operum flores & fructus producere non deſinit, *Fons eſt, ubi Chriſtus eſt*, inquit S. Ambr. in pſ. 45. *Fons eſt, ut aquæ ſuperfluant requirentibus, quo & univerſa carnis flagitia vel diluantur, vel reſtinguantur incendia.* S. Cyr. Alex. *Sedat, cùm in nobis manet Chriſtus, ſævientem membrorum legem.*

§. 6. *Fimbria veſtis Chriſti D. fuit ſalutaris, quantò magis totū ejus corpus.*

Gilbertus Abbas ſerm. 1. in Cant. pulchrè ait: *Mulier illa Evangelica felici furto attingit fimbriam IESV, & ſtatim ſtetit in illa fluxus ſanguinis, fluxus carnalis illecebræ, & carnalis delectationis exſiccata ſunt, quæ priùs fluida erant, & totum contigit ex contactu fimbriæ. Quid ſi caput ipſum complexari licuiſſet?* O nos felices! cùm totum Chriſtum habeamus in SS. Euchariſtia; non enim veſtis ſolùm, ſed corpus ipſum nobis propoſitum eſt, non ut tangamus ſolummodò, ſed ut comedamus & ſaturemur. *Audiant Chriſtiani,* inquit S. Chryſologus ſer. 34. *qui quotidie corpus Chriſti attingunt, quamnam de ipſo corpore poſſunt ſumere medicinam, quando mulier totam rapuit de ſola Chriſti fimbria ſanitatem, ſed quod nobis flendum eſt, mulier de vulnere medicinam tollit, nobis medicina ipſa retorquetur in vulnus.* Noſtrâ culpâ, quia Chriſtus D. &c. Itaque, &c. (Finiatur p. punctum brevi & pulchrâ repetitione, cum exhortatione, ut caſti accedamus ad ss. Euchariſtiam.)

§. 7. *Digna ſumptio SS. Euchariſtiæ deponit iras, odia, &c.*

Suffocant præterea in nobis fructus & effectus ss. Euchariſtiæ, parva odia, invidiæ, rancores, rixæ, diſſenſiones, & ſimilia, quæ pacem & unionem, atque religioſam concordiam in domo aliqua perturbant. Sacramentum hoc, utpote unitatis & pacis ſacramentum, diſcordes & vindictam meditantes, planè rejicit. Eximia ad ſumptionem ss. Euchariſtiæ præparatio, eſt reconciliatio prævia cum DEO & proximo ſuo: quæ reconciliatio perfectam injuriarum omnium condonationem involvit. Modum nos docuit mitiſſimus Joſeph, Gen. 43. v. 10. Veroſimile eſt, Joſephum injuriam, crudelitatem, & inhumanitatem fratrum ſuorum multis annis in mente ſæpiùs revolviſſe: nihilominus, cùm admirandâ DEI providentiâ adveniſſet tempus, quo vindictam de iis ſumere potuiſſet, non tantùm id non fecit, ſed ait Oeconomo cit. loco: *Inſtruite*

ſtrue convivium, quoniam mecum comeſturi ſunt hodie. De quo facto pulchrè Petrus Cellenſis ait: *Ubique gratioſus Ioſeph, ſed in convivio magis, multòque ampliùs jucundus. In convivio hoc non retinuit injuriam, extendit munificentiam; in hoc convivio cibando inimicos ſanavit malevolentiam.* Omnia in figura contigerunt. Nocte quâ cœleſtis Joſeph noſter fuit traditus; nocte quâ congregati erant Phariſæi,&c. bonus JESUS inſtituit ss. Euchariſtiam: ubique gratioſus, ubique jucundus! ſed vel maximè in cœna Euchariſtica,&c. Diſcamus à Joſepho, diſcamus à JESU, quomodo ad convivium hoc debeamus accedere,ut ſcilicet, &c.

§ 8. Proſecutio. Pulchrè S. Chryſoſt. *Si tibi contra inimicum dolor eſt, ſolve iram, inimicitias laxa, ut remedium de menſa recipias; occiſus propoſitus eſt, & cur occiſus eſt? Videamus! ut cœleſtia pacificet, ut in terra reconciliet univerſa, & amicum DEO te conſtituat, & DEO te ſociet;* quod ut fiat, neceſſe eſt, ut priùs reconcilieris fratri tuo, hoc JESUS occiſus & crucifixus, ore & exemplo ſuo à te poſtulat,ut ignoſcas; à quocunque demum ſis offenſus. Abelis innocens ſanguis clamavit vindictam, aliud clamat ſanguis Chriſti, cùm illum in ſumptione Euchariſtiæ vis bibere, ut ignoſcas. D. Chryſoſtomus: *Sanctum Altare non ſuſcipit diſſidentes. Audiamus oro, & perhorreſcamus,* inquit D. Chryſoſt. hom.51. in Matth. *Carnem ſuam nobis tradidit, ſeipſum immolatum propoſuit; quam igitur ſatisfactionem offeremus, cùm tali pabulo nutriti, taliter peccemus.* Subſiſto nonnihil, & mente revolvo, quale peccatum Vir ſanctus ſit propoſiturus, quod præ reliquis facit, *ut indignè communicemus*; hoc queritur: *Cùm Agnum comedentes in lupos convertimur; cùm ſanguine Agni ſaturati, leones ab illa menſa recedimus.* Talis lupus, talis leo fuit Judas proditor; ſed poſt buccellam intravit in illum diabolus. Scio inter meos Auditores non eſſe tales lupos, & tales leones; inſinuo tamen, fieri quandoq;, ut nutriti hoc pabulo, ut ſaturati ſanguine Agni, non ſimus Agni, ſed impatientes, ſed murmuratores, ſed invidi, in verbis & factis, ubique lædentes charitatem. Sed quomodo tales dignè accedere poſſunt ad ſumptionem SS. Euchariſtiæ? quomodo in tali agro pleno ſpinis & ſentibus, pullulabunt Eucha-

Euchariſtici flores pulcherrimarum virtutum. Ita Euchariſtia eſt Sacramentum pacis.

§. 9. *SS. Euchariſtiæ fructum in nobis impedit ſuperbia. Humilitas digna eſt ad illam præparatio, quam Chriſtus D. in SS. Euchariſtia nos docet.*

Superbia, arrogantia, ambitio, elatio animi, aliorum deſpicientia,& ſimilia, etiam cùm venialia tantùm ſunt peccata, fructibus & effectibus SS. Euchariſtiæ ingentia ponunt obſtacula. Nemo ſuperbus dignè communicat, nullus humilis vacuus à divina illa menſa recedit. Humilitati, quam Chriſtus D. in Euchariſtia profitetur, per reciprocos humilitatis actus, dum illam recipimus, correſpondere debemus. Duplex dignitas, *una rei*, & hâc nemo poteſt Chriſtum dignè ſuſcipere. Alia eſt *præparationis*, & hâc poteſt homo dignè illum ſuſcipere, ſi ea faciat, quæ ipſemet fieri, qui ſuſcipi voluit, mandavit; quòd ſi quis ea non exhibet, indignè ſuſcipit. Propter Chriſti D. humilitatem in hoc ss. Sacramento exclamat B. Laur. Juſtin. de Euch. *O ineffabilis dignatio Conditoris! O ſtupor indicibilis charitatis! quis non contremiſcat? quis non cum exultatione miretur? ſanè nunquam fuiſſet homo auſus talia petere, ſed neque cogitare, quoniam hoc miſericordiæ opus omnem mortalium ſupereminet dignitatem.* S. Bern. ſer. de ult. cœna: *O ſtupenda DEI miſeratio! Verbum carnem: DEUS cinerem: figulus lutum: vita morticinium induit, ut jumenta manducent Panem Angelorum.* Cajet. *Maxima deſcribitur DEI benignitas* (& humilitas, &c.) *dum uſque ad infimum deſcendiſſe deſcribitur.* Th. de Kemp. *Ut uno communi cibo veſcantur, & in eadem menſa conſideant, vernaculus & filius; pauper & dives; ſervus & Princeps; miles & dux; vilis è terra vermiculus, & Rex gloriæ! quis hoc non obſtupeſcat?* (Si tempus patitur, potes inducere pulcherrimos actus humilitatis, quos exercet Chriſtus D. ſub ſpeciebus ss. Euchariſtiæ, v. g. quòd ſub illis vermium, murium morſibus velit ſubjacere,&c. intrare peccatorum corda,&c.) *Sed de humilitate Chriſti D. nemo poteſt dubitare.*

§. 10. *Hanc Chriſti D. humilitatem debemus imitari, ſine qua fructus SS. Euchariſtiæ percipi non poſſunt.*

Dummodo nos velimus imitari, quod ad percipiendos dignè ss. Euchariſtiæ fructus planè eſt neceſſarium; *Sicut enim*, (S. Cæſ. Arel.) *de fonte terreno & corporali fluvio non poteſt aliquis bibere, ſi ſe noluerit inclinare; ita & de vivo fonte Chriſti, nemo aquam vivam haurire poterit, niſi ſe humiliter inclinare voluerit. Qui ad hanc menſam invitati ſunt, humilia debent de ſe ipſis ſentire, & quæ ſentiunt, ore teſtari,*

testari, dicentes: Domine non sum dignus. Quisquis in hac mensa divinis muneribus repletur, instar fructiferæ arboris onustæ fructibus ad terram inclinatur. Dejicitur atque demittitur, vel ex eo, quod ante oculos habet à Christo humiliato, & in formam servi exinanito, insigne humilitatis argumentum. Citatus Cæs. Arelat. aliam adducit similitudinem: Nôstis fratres, quia pluvia, si montem nimis e-„ rectum invenerit, citò in vallem decurrit; & ideo, qui se ad acci-„ piendam benedictionem humiliter inclinantes, quasi valles fa-„ ciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt, & impletur „ in eis illud, quod scriptum est, Omnis vallis implebitur.„ Cùm lib. 2. Reg. c. 9. v. 7. David diceret Mephiboseth: *Tu comedes panem in mensa mea semper*, hic corruit in faciem suam, & adoravit, dicens v. 8. *Quis ego sum servus tuus, quia respexisti super canem mortuum similem mei.* Hoc animi sensu & nos hanc cœlestem mensam tanti Regis debemus accedere. Postquam S. Joan. Chrysost. in laudes Eucharisticas se diffudisset, hom. 45. in Joan. in specie ait de sanguine Agni immaculati: *Hic animarum nostrarum salus est, hoc lavatur anima; hoc ornatur, hoc incenditur, hic igne clariorem mentem nostram reddit, & auro splendidiorem.* Et bene advertit, quòd tametsi hæc arbor vitæ fructuum, gratiæ, virtutis, sanctitatis & gloriæ ferendorum fertilissima sit, regium tamen oculum certum est, ps. 110. v. 5. *Escam dedit timentibus se.* Et illud Ecclesiastici cap. 2. v. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Omnis autem sanctitatis radix & fundamentum est humilitas.

§. II. *Requiritur etiam furor & actualis devotio.*

Superest adhuc una digna præparatio, & valde necessaria, de qua S. Bonav. Tria sunt, quæ exigit a te hujus Sacramenti dig-„ na susceptio; scilicet munditiem, puritatem conscientiæ, & a-„ ctualem devotionem.„ Quæ devotio ab aliis SS. Patribus vocatur *esuries, fames, sitis, & fervens desiderium* suscipiendi Christum D. in ss. Eucharistia. Siquidem *esurientes replet bonis*. D. Chrysost. hom. 83. in Matth. Nemo nauseans accedat, nemo „ remissus, sed incensi & ferventes omnes. Non videtis, quan-„ tâ infantes animi alacritate mamillas arripiunt? non minori „ cupidi-

cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad hujus calicis spi-„ ritualem accedamus pupillam; imò verò majori desiderio, quasi „ lactantes pueri (pulchrè ex vulneribus Jesu) gratiam sugamus. „ Festinanter olim Judæi debuerunt comedere Agnum paschalem; ne & nos lento corde, & ore languido, Sacramentum Dominici Corporis sumamus & sanguinis, sed quasi esurientes justitiam; *Beati* enim, dicit Dominus Jesus, *qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, Matth. 5. v. 6.

Non possum omittere ingeniosam cogitationem P. Salmeronis, t. 9. tr. 40. Poterimus eos imitari, qui cùm appetitione „ ciborum destituantur, huc illucque deambulant, aut salsamenta, „ cibis adhibent, ut faciunt infirmi: aut cum aliis, qui vehementi „ cupiditate tenentur, convivantur, ut illorum exemplo ad edendum & ipsi excitentur. „ Ita nobis faciendum est, aut enim in montes Calvariæ, Oliveti, Thabor & Sion, deambulare debemus; ut ex illorum mysteriorum, quæ in illis montibus peracta sunt, contemplatione, fames nobis spiritualis acuatur: aut condimenta orationum adhibenda, quò paulatim devotione invalescat homo, & suavius, quod percipit, degustet. (Potest fieri affectuosissimus epilogus, v.g. quæramus condimenta in areolis vulnerum Crucifixi, &c.) *§. 12. Elegans simile P. Salmeronis.*

TRACTATUS TERTIUS,
DE FESTIVITATIBUS B. MARIÆ VIRGINIS, EXHORTATIONES OCTO.

EXHORTATIO I.

DE IMMACULATA CONCEPTIONE B.M.V.

Virgo singularis, Ora pro nobis, ex Lit. B. Virg.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

OMnia ferè elogia B. Virginis continent singulare aliquod argumentum, pro Immaculata Conceptione.

§.1. *In vocula* singularis *multa latent argumenta pro Im. Conceptione.*
§.2. *Quid speciale habeat Oliva, in illius favorem.*
§.3. *Quid stella maris?*
§.4. *Quid mare?*
§.5. *Quid mons & civitas?*
§.6. *Prosecutio.*
§.7. *Quid hortus conclusus?*
§.8. *Quid thronus?*
§.9. *Quid ebur?*
§.10. *Quid nubes?*
§.11. *Quid Paradisus?*
§.12. *Quid rubus Moysis?*
§.13. *Conglobatio elogiorum B. Virginis.*

§. 1. *In elogio Virginis, quòd dicatur* singularis. *multa latent argumenta pro Im. Concept.*

CUM causas expenderem, ob quas Ecclesia & SS. Patres BB. Virginem Mariam potuerunt appellare *singularem*; inter alias hæc mihi occurrit, quòd omnia ferè elogia B. Virginis *peculiare*, *singulare*, & *speciale* aliquod contineant argumentum, quo probari & roborari potest sententia, quæ asserit, B.V. Mariam conceptam esse sine omni labe peccati originalis, in primo etiam instanti conceptionis, ut scholæ loqui solent. Hâc exhortatione sine ordine proferam plurima talia elogia, & assertioni meæ libenter subscribetis.

§. 2. *Quid speciale habeat Oliva, in*

Capite 24. v. 19. ait Ecclesiasticus de B.V. *Quasi Oliva speciosa in campis*; legunt alii, quasi *Oliva specialis*. Hoc enim singulare & speciale est, quòd uni Olivæ universale diluvium nullum intulerit damnum.

damnum. Cessante enim diluvio, Noë emisit exploratricem columbam, num aquæ forent imminutæ. Et rediit columba ad Noë, *portans ramum Olivæ virentibus foliis*, Gen. 8. v. 11. Cur non ramum de cedro, vel de palma, vel de therebinto ex monte Libani? Arbores omnes universale diluvium suo virore & pulchritudine spoliavit; de Oliva ait S. Ambr. l. de Noë, c. 19. *Vir justus gavisus est. fructum de veteri semine aliquem reservatum. Et inde collegit insigne misericordiæ divinæ, quòd jam diluvium removisset, quæ fructum demonstraret, cui non potuissent nocere diluvia*; cùm ex ramo colligeret, Olivæ pulchritudinem non fuisse læsam. Ergo unus, singularis, & specialis fuit ramus Olivæ, cui diluvium non nocuit. Una, singularis & specialis est Virgo Maria, cui peccatum originale nocere non potuit. *favorem Immaculatæ Concept.*

Maria idem est, quod Stella maris. Petrus Dam. serm. 1. in Epiph. *Erat stella in aëre, stella in terra, Sol in præsepio. Stella in aëre corpus illud lucidum. Stella in terra, Maria. Sol in præsepio Christus.* Tum subdit: *Maria quasi stella singularis refulsit in mundo.* Cur *singularis?* quia à primo conceptionis instanti, sanctitatis & gratiæ lumine coruscavit. Gerson p. 4. ser. 2. *Ipsa est stella, quæ nunquam lumen amisit gratiæ, nec obscurata fuit peccato mortali, aut veniali, aut originali.* Ideo interpretatur Maria, *Maris stella*; sic dicta, à stando; quòd licèt omnes Adami posteri corruerint, & corruant in abyssum peccati in prima conceptione, sola & una Maria steterit. Singularis, specialis, & semper pulchra, semper lucida stella est Maria. *§. 3. Quid stella maris?*

Si placet, vocate non tantùm stellam, sed ipsum mare! quid autem latet in mari, pro favore Immaculatæ Conceptionis? Hoc, *Mare est Maria propter affluentiam, & copiam gratiarum. Omnia flumina intrant in mare; in Mariam flumina gratiarum. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam,* (sic per reliquos Sanctorum choros.) S. Bonav. *Tanta inundatio gratiæ, tanta profunditas, & magnitudo in Maria fuit, ut mare plenum ipsa dici possit; juxta illud: Tonet mare & plenitudo ejus.* Sed quare ad mensuram gratiæ aliorum Sanctorum, conamur metiri gratiam Mariæ? *Profundum hujus abyssi quis mensus est?* Ecclesiastici 1. cap. v. 2. Rich. à S. Laur. *§. 4. Quid mare?*

I. 1. *In mari nec fundus, nec mensura est; nec Maria accepit gratiam ad mensuram aliorum.* Sed unam, specialem & singularem habet gratiam, nulli alteri puræ creaturæ communicatam; quòd in hoc mari submersus fuerit infernalis Pharao peccati originalis. In primo momento concept. tonuit hoc mare, & plenitudo ejus; in primo concept. momento fuit mare formidabile, quod infernalis serpens ingredi ausus non fuit. Maria est mare singulare, & specialis Virgo, sine peccato originali concepta.

§. 5. *Quid mons, & Civitas?* De Virginis Conceptione intelligi potest v. 3. ps. 47. *Fundatur exultatione universæ terræ, mons-Sion, Civitas Regis magni*; Et ps. 68. v. 5. *Ipse fundavit eam Altissimus.* Mons est Maria! Civitas est Maria! speciale & singulare aliquid latet in fundamentis montis & civitatis; quod advertêre Interpretes, qui citata verba ita legunt: *Pulchro germine fundatur, ab initio præscripto splendore*; ac si diceret: Fundatur hic mons, hæc civitas, ut pulcherrimum ex ea germen oriatur, ideoque ab initio posita sunt fundamenta pulchra & lucidissima. Ideo S. Chrysost. ait: *Magnus Dominus in civitate DEI nostri, in monte sancto suo bene radicans; hoc est, bene radices agens, & eam pulchrè firmans, ac stabiliens in gaudio & lætitia.* Et quæ potuisset esse lætitia, quale gaudium, si primus (ut ita loquar,) lapis, cui tam magnifica civitas erat imponenda, fuisset peccatum originale? quænam ibi fuisset pulchritudo?

§. 6. *Prosecutio.* Aliud nobis innuit verbum *Fundavit*; sive DEUS posuit fundamenta. B. Petrus Dam. ser. de Nat. Mar. ita ait: Immen-„ sum concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturivit.„ Qui antequam nasceretur, talem creavit eam, ut ipse dignè na-„ sci posset ex ea, de qua Propheta multò antè prædixerat: Homo„ factus est ex ea, & ipse fundavit eam.„ Addit Psalmista: *DEUS in domibus ejus cognoscetur*; quæ verba alii SS. Patres ita legunt: *DEUS in regia sua cognoscetur ad munitum.* Hoc est, ponit DEUS fundamentum non tantùm pulchrum, sed forte, solidum & munitum. Alii legunt: In palatio ejus cognitus est, ad eripiendum„ eam. Deinde ostendens, quomodo sit civitas Regis magni per„ illud, in domibus ejus cognoscitur, magnam enim ostendit pro-„ videntiam, quòd eam totam ex omni parte servarit.„ Hoc est,

primis

primis fundamentis hujus montis, hujus civitatis, peccatum originale nocere non potuit: Maria mons est, sed specialis, Maria civitas est, sed singularis, Maria Virgo sola inter filias Adæ præservata à peccato originali. Cui Psaltes iterum applaudit ps. 86. v.3. *Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI.* Sed quid est illud speciale, quòd dicatur Virgo gloriosa, sive in magna gloria, sola & singularis? Respondet Richardus de S. Laur. lib. 11. Civitas DEI dicitur,, ad differentiam civitatis Babylonicæ, in qua Diabolus est; in,, quam Dominus non ingreditur. Bene civitas DEI, quæ tota fuit,, DEI, & nullius nisi DEI, quia nihil in ea habuit pars adversa; ideo,, Dilectus toties eam vocat suam, Amica mea, columba mea, so-,, ror mea, sponsa mea: civitas DEI! quia sola digna tanto Rege, tan-,, to fundatore, tanto habitatore.,, Verbo, Virgo singularis, cui soli concessum est privilegium Immaculatæ Conceptionis. Ut ipse Altissimus dignè in ea possit concipi, & dignè ex illa nasci.

Hortum quoque Sponsus compellavit suam Sponsam; vel potiùs Spiritus S. Virginem Mariam; sed addit verbum planè singulare & speciale, dum vocat *Hortum conclusum. Hortus conclusus, soror mea, hortus conclusus.* Cant. 4. v. 12. ex hac vocula Rich. de S. Laur. hanc infert sequelam, *ergo Virgo Maria concepta fuit sine peccato originali. Conclusit enim Dominus hunc hortum tam fortiter, ut draconem pervigilem omninò lateret, & leonem rugientem longè à se excluderet; & nec ulla pateret rimula, quâ posset introspicere subtilis astutia inimici.* Hortus fuit, *sed clausus ab Aquilone, à quo panditur omne malum; quia nihil coinquinatum aut nocivum potuit subintrare.* Conclusit hunc hortum tota beata Trinitas, quia potentia Patris munivit Virginem contra Diaboli violentiam. Sapientia Filii contra fraudulentiam ejusdem. Bonitas Spiritus S. contra malitiam. Gloriosæ huic animæ nihil unquam fuit turpitudinis, vitii aut peccati, & nihil defuit spiritualis pulchritudinis, gratiæ & virtutis. Sed aliud dicendum est de filiabus Adæ, &c. Sic est; sed ideo Maria fuit & est Virgo singularis, *Hortus conclusus.* §. 7. *Quid Hortus conclusus?*

Thronus est Maria! de quo ait liber 3. Reg. c. 10. v. 18. *Fecit Rex Salomon de ebore grandem sedem.* Sub candido ebore videtur §. 8. *Quid thronus?*

latere

latere singulare aliquod argumentum pro Immaculata Conceptione; omnino latet, & advertit B. Petrus Damianus ser.1.de Nat. B. Mariæ: *Maria est thronus ille mirabilis, de quo in Regum historia. Salomon enim noster non modò sapiens, sed & sapientia Patris fecit thronum, uterum videlicet intemeratæ Virginis*, (vel potiùs Virginem DEUM parituram,) *in quo sedit illa Majestas, quæ nutu concutit orbem. Sola eboris substantia capax est tantæ compositionis; nam fabricatur in ea, quòd omnibus operibus præferatur.* Sed cur de ebore? *Ebur mirabili candore relucet, & multâ præeminet fortitudine. Quid candidiùs illâ, quæ singularis aspectus sui gratiâ super cœlestem curiam allicit ad videndum? quid fortiùs illâ fortitudine, per quam Domini fortitudo vasa diripuit fortis.* Quid fortiùs Virgine, quæ in primo conceptionis momento, caput infernalis serpentis intemerato pede contrivit & conquassavit.

§. 9. Quid ebur? Pulchrè ait nobilis Interpres super citata verba: *Fecit Rex Salomon thronum de ebore*; hinc colligo Deiparæ contra serpentem „ victoriam. Quia si totus thronus fuit ex ebore, sine dubio fun-„ damentum throni, quod est Virginis conceptio, serpenti fuit „ exitialis. Elephas enim, (Rich. de S. Laur.) naturæ frigidissimæ „ est, ita ut sanguis ejus interdum serpentis virus dicatur extingue-„ re. Sic & gloriosa Virgo serpentinum virus, quod serpens an-„ tiquus Evâ mediante, humanæ naturæ infuderat, consumpsit & extraxit. „ Item elephas est draconi inimicus, & B. Maria serpenti antiquo, qui seduxit Evam, cui à DEO fuit dictum: *Inimicitias ponam*, &c. Gen.3.v.15.

§. 10. Quid nubes? Si vobis placeat Mariam appellare *nubem*, de qua dicitur Exodi 16. v.10. *Gloria Domini apparuit in nube.* Dicam statim, sub hac nube latet singulare argumentum pro Immac. Conceptione. Credo enim sanctis Patribus, qui asserunt, Mariam in conceptione fuisse nubeculam illam parvam, quam Propheta vidit ascendentem de communi amaritudinis pelago, *ipsa tamen* (Joannes Jerosol. *levis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum.* Et addit causam: *Ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa, de qua per Moysen significatè est scriptum: Ecce gloria Domini apparuit in nube.* Sed qualis gloria in hac nube, in ejus ortu, in ejus ascensu,

ſcenſu, ſi atro colore peccati originalis fuit denigrata. Applicemus potiùs huic nubi illa verba B. Petri Damiani, ſer. de Aſſ. *Nubes hæc, ſive caro Virginis, ex Adam ſumpta, maculas Adæ non admiſit, ſed ſingularis continentiæ puritas - in ortu ex illo mari, - in candorem lucis æternæ converſa eſt.* Hic poterimus dicere: *Gloria Domini apparuit in nube.* Nubes ſingularis & ſpecialis, figura & ſymbolum ſingularis Virginis.

Non oſtendam multis, Mariam fuiſſe Paradiſum. Inſinuo tantùm aliqua ſingularia, ex quibus inferre poterimus hanc conſequentiam: ergo Maria concepta eſt ſine peccato originali. *Plantaverat autem DEVS,* (inquit Moyſes Gen. 1. v. 2.) *paradiſum voluptatis à principio.* LXX. habent: *In Edem ad Orientem.* Infero: ergo nullæ in paradiſo fuerunt tenebræ, propter nimiam enim ſitus celſitudinem nunquam non leve perfundebatur. S. Baſilius orat. de parad. *Ob ſublimitatem loci, in quo erat, nulla fuit parte tenebras admittens, ſed orientium ſiderum ſplendore ſemper illuſtratus.* Ideoque principium, ſeu plantatio, ſeu conceptio Mariæ fuit in Oriente, tota lucida. Reliqui filii Adæ dicere poſſunt ex pſ. 43. v. 20. *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, cooperuit nos umbra mortis.* Maria ſola fuit hortus voluptatis, de quo S. Bernardus ait ſer. de Nat. Locum voluptatis Mariam intelligo, in quo „ cumulavit omnes delitias delitiarum Dominus. De quibus Spi- „ ritus S. admiratorio ſermone ait: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de „ deſerto, delitiis affluens? Nunquid in Angelis voluptatem habet „ DEUS? Reperit in illis pravitatem. Nunquid in aëre, vel igne, „ vel ventis? non in igne, non in commotione, non in ſpiritu Do- „ minus. Nunquid in aquis? ibi fureus & tortuoſus Leviathan „ commoratur. Aut in terra? ſub maledicto Adæ ſpinas emittit. „ Non eſt locus voluptati, niſi Maria: quippe quæ non obſcura- „ tur, nec Leviathan peccati originalis habuit: nec cecidit un- „ quam, nec ſpinas aut tribulos emiſit, ſicut cæteri. „ Hæc eſt gloria Virginis ſingularis. Ita in illa apparet ſingularis gloria DEI.

§. 11. *Quid Paradiſus?*

Supereſt pro hac exhortatione notiſſimus Rubus, quem Exodi 3. v. 2. *Vidit Moyſes, quòd arderet, & non combureretur.* De

§. 12. *Quid rubus Moyſis?*

quo Theodor. *Rubus accenditur, ignis conspicitur, & tamen quæ ignis natura fert, non operatur: illuminat, non consumit; abstergit, non accendit; beneficium præstat, pœnam non infert.* Nonne virgineo in rubo animadvertis? Rubus itaque Mariæ, expressa fuit similitudo; si ergo super vilem illam arbusculam, ita DEUS ipse olim insedit, ut eum illi splendorem, eam gloriam, eam mirandam integritatem indulserit; quâ quæso ratione Virginem nostram obsederit, aut potiùs possederit? Quem illi nitorem, quam puritatem, quam lucem intulerit, quando eam ita ab omni peccati affectione immunem præstitit? Isti nardo, quam totam possedit ignis divinus, sine dubio nocere non potuit flamma peccati originalis. Admirabilis rubus, singularis Virgo est Maria!

§. 13. *Conglobatio elogiorum B. Virginis.* Estne Maria aurora consurgens? estne electa ut Sol? estne pulchra ut luna? estne terribilis, &c. estne mater pulchræ dilectionis? estne gratiâ plena, &c. sic est; est aurora, est Sol, &c. sed hæc aurora, hic Sol, &c. omnia! singulares continent congruentias, &c. Im. Conc.

EXHORTATIO II.

PRO PURIFICATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, Luc. 2. c. v. 22.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRofert aliquas causas, ob quas B. Virgo se subjecit legi Purificationis.

§. 1. *Descriptio hodierni festi ex Taulero.*

§. 2. *Eva in paradiso fuit superba; Maria in purificatione humilis.*

§. 3. *Exemplo Filii sui, Christi D.*

§. 4.

HOdiernum festum Purificationis Joannes Taulerus piè & devotè ita describit; *Cujus* (nimirum MARIÆ Virginis) *tanta supra omnium Angelorum munditiem puritas fuit, ut sub DEO major intelligi non possit. Nihilominus tamen & ipsa duræ se legi submisit, charissimumq; Filium suum DEO Patri, per manus Sacerdotis, atque se ipsam, unà cum eodem dulcissimo pignore suo, hostiam vivam, ad laudem DEI, pro cunctorum obtulit salute mortalium.* Ferrerius conc. de Purif. *Licèt Maria fuerit purior Sole, in tantùm, quòd Spiritus S. de ea philo captus, de sua puritate fecit cantilenam, dicens: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Licèt inquam B. Virgo talis esset, nihilominus legi Purificationis se voluit subjicere, & in templò cœlesti Patri offerre unigenitum Filium suum. Ex his SS. Patribus proponam pias aliquas causas, quæ nobis erunt solatio, B. Virgini verò gloriosæ. §. 1. *Descriptio hodierni festi ex Taulero.*

O Mater immaculata! (sic Virginem alloquitur Guerricus Abbas. serm. de Purif.) *Mater intacta! nonne tuæ tibi conscia es puritatis; quia scilicet integritatem tuam nec conceptus, nec partus violavit, sed sacravit. Quomodo ergo in templo hodiernâ die compares, ut una ex reliquis puerperis, secundùm legem purificandis.* Quæstioni pulchrè respondet in persona Virginis, & ait: *Sic decet, me implere omnem justitiam; ut quæ elata sum Mater justitiæ, ejusdem omnibus sim exemplar; novi ego superbiam filiorum Evæ; quod promptior est ad excusandum, quàm ad expurgandum commissa.* Et subdit: *Necessarium arbitror, ut vitiis originis antiquæ, statim in initiis, omnia novæ generationis occurrant exempla. Mater prævaricationis peccavit, & excusavit procaciter; Mater redemptionis non peccat, & satisfacit humiliter; ut filii hominum, qui de matre vetustatis traducunt necessi-* §. 2. *Eva in paradiso fuit superba: Maria in purificatione humilis.*

tatem peccandi; de MATRE saltem novitatis trahant humilitatem purgandi.

§. 3. *Exemplo Filii sui, Christi D.*

Ecce pulchram causam, ob quam purissima MATER se subjiciat legi Purificationis, ut nos doceat humilitatem. D. Laur. Iustin. *Vt DEVM veneraretur in lege, formamq; humilitatis ex hoc praeberet, legem purificationis voluit implere.* Jansenius: *Quemadmodum Christus sponte legi fuit subjectus*, (puto illum loqui de lege Circumcisionis,) *ita & haec sanctissima Virgo*, (licèt purissima) *ne quem suo facto scandalizaret, sed humilitatis & obedientiae omnibus exemplum praeberet, legi se subjicere voluit. Vt ita*, (utor phrasi S. Bernardi,) *purissima Virgo inter mulieres esset tanquam una illarum, cùm videret Filium suum esse unum ex numero puerorum, imò peccatorum.* Eleganter quoque sanctus Doctor Angelicus D. Thomas ita loquitur: *Quòd sicut plenitudo gratiae à Christo derivatur in Matrem, ita decuit, ut Mater Filii humilitati conformaretur: humilibus enim DEVS dat gratiam. Et ideo sicut Christus, licèt legi non esset obnoxius, voluit tamen circumcisionis, & alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis & obedientiae exemplum, & ut approbaret legem, & ut calumniae occasionem tolleret Iudaeis. Propter easdem rationes voluit & Matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia.* Hoc est; sicut Filius DEI circumcidi voluit, quamvis non tenebatur ad legem, ut MATER purissima purificari voluit, licèt legi non esset subjecta. *Sicut Christus*, (Vener. Beda) *ita & B. Virgo legi sponte est subjecta.*

§. 4. *Mater in Purif. suit imitata exemplum Filii in Circumcisione.*

Dum Christus D. octavo statim die post nativitatem legi Circumcisionis se subjecit, & sanguinem effudit, voluit mundo demonstrare ingens desiderium, quo flagrabat, ut citò redimeret genus humanum, & pro liberatione coelesti Patri offerre posset sanguinem crucis. Hoc Filii desiderium & promptam voluntatem, hodie suo modo imitari voluit beatissima Virgo MARIA; ideo spoliavit se Filio suo, eumque manibus Sacerdotis obtulit, Patri coelesti hostiam sacram, & DEO placentem: Filium inquam suum obtulit ad passionem, ad mortem, ad effusionem sanguinis in ara crucis.

Etsi

Etsi enim causa primaria, principalis & efficax seu efficiens nostræ salutis sit solus Christus, qui solus suo sanguine, & infinitis meritis, pro omnium singulorumque peccatis superabundanter satisfecit; attamen non absque justa sanctissima Virgo, ut Mater Christi, à SS. Patribus etiam vocatur *Redemptrix*, hoc est, causa cooperativa redemptionis humanæ, & causa nostræ salutis. Non tantùm quia potentissimis suis precibus, suspiriis, desideriis & lachrymis accelerationem Incarnationis de congruo meruit, non tantùm quia Christum, veram causam nostræ salutis concepit & peperit; verùm etiam, licèt Christus D. verus ejus esset Filius, haberetque in ipsum veram & omnimodam maternam potestatem, atque jurisdictionem, quam genitores in filios habere solent; tamen in hoc suam voluntatem conformavit voluntati Patris æterni, & ejusdem decreto, ut suus & Mariæ filius, pro redemptione generis humani in cruce moreretur, lubens subscripsit; & ad illum finem per manus Sacerdotis hodie obtulit in templo, veluti futuram victimam in ara crucis. Quia itaque B. Virgo pro hominis redemptione obtulit, quod revera suum erat, necessariò sequitur, fuisse aliquo modo causam nostræ salutis. Ita loquitur doctissimus Arnoldus Carnotensis: *Omnino fuit una Christi & Mariæ voluntas, unumque pariter obtulerunt holocaustum DEO, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis. Vnde communem in mundi salute cum illo effectum obtinuit.* Et S. Antoninus tit. 15. c. 20. §. 1. *Quod dicitur de æterno Patre Christi, & de ejus Matre dici potest; proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, scilicet crucis voluntate & affectu; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit pertinentia ad salutem.* Ecce causam, cur hodie, &c.

§. Maria fuit cooperatrix redemptionis humanæ.

Ex hoc discursu sequitur alter, qui B. Virgini valde est gloriosus. Quòd nimirum hi tituli Christi D. Redemptor, Reparator, Restaurator, Reformator, Renovator, Operator, Auctor, Mediator, Causa salutis, Donator gratiæ, & Advocatus omnium; suo, sed longè inferiori modo debeantur benedictæ ejus Matri. Appello ad sanctos Patres.

S. Bern. ser. 1. super *Salve. Propter hanc totus mundus factus est, & per hanc homo redemptus est, & Verbum caro factum est.* Ex

§. 6. Testimonia SS. Patrum.

mente

mente ergo S. Bernardi, *Maria est Redemptrix generis humani.* S. Anselmus de excell. Virg. *Pura sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem, sanctitatemque transcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, ut perditi orbis reparatrix dignissima fieret.* Ex mente S. Anselmi, *Maria est mundi reparatrix.* Idiota de contempl. Virg. c. 4. *Speciale DEI opus fuisti, ô beatissima Virgo, qui ob hoc te fecit, ut quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.* Ex mente Idiotæ, *Maria est mundi reformatrix.* Andreas Hierosol. ser. de Annunt. *Senio quasi confectus mundus, per Mariam peccatorum senectam exuit.* Ecce renovatricem! Alb. M. super missus est, con. 191. *Fuit Maria mediatrix reconciliationis, adjutrix redemptionis.* S. August. serm. 17. de Nat. *Veneremur salutis auctricem, quæ dum Auctorem suum concepit, de cælo nobis Redemptorem præbuit in terra.* (Accommoda hæc pulchrè hodierno festo.) S. Laur. Justin. serm. de Annunt. *Est Maria juxta Gabrielis oraculum plena gratiæ, quæ effecta est paradisi scala, DEI & hominum verissima mediatrix. Ecce habemus Mediatricem.* Rich. à S. Victore super Cant. c. 29. *Omnium salutem desideravit, quæsivit, obtinuit; imo & salus omnium per ipsam facta est.* Maria est causa salutis humanæ. S. Petrus Chrysol. ser. 142. *Invenisti gratiam apud DEUM. Quantam? quantam - Archangelus annuntiavit. plenam! & verè plenam, quæ largo imbre totam funderet, & infunderet creaturæ.* Maria! est inventrix & dispensatrix gratiæ. S. Bern. ser. de Ass. *Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Mater, misericorditer & efficaciter salutis nostræ negotia pertractet.* Maria! est advocata nostra. Itaque sicut dicimus, Christus D. verè est DEUS! Maria verè est MATER DEI. Et sicut affirmamus, Christus D. est Rex Regum: Maria Regina cœli & terræ; ita asserere possumus, Christus Redemptor, Maria Redemptrix; Christus reparator, Maria reparatrix; Christus mediator, Maria mediatrix; Christus D. Advocatus noster, Maria Advocata, &c. sed ut ante monui, in gradu longè inferiori. Scimus, quid debeamus Christo D. & quid, salvo ejus honore, de ejus Matre asserere possimus. Tantorum titulorum radicem posuit in hodierna festivitate, dum

in

in Templo æterno Patri obtulit Filium suum, in cruce aliquando pro redemptione generis humani immolandum.

§. 7. *Quomodo B. Virgo in templo obtulerit Filium suum.*

Modum oblationis eleganter describit S. Thomas de Villa Nova, serm. de purif. *Postquam igitur ad Altare ventum est, Virgo sacra genibus flexis, divino inflammata spiritu, plus quàm Seraphim, Filium manibus tenens, ipsum offert Domino, munus & oblationem acceptabilem.* Ex virgineo corpore, ex oculis, ex ore, &c. tam amabilis emicuit lux, *ut justus Simeon* (Timotheus Hierosf.) *huc & illuc oculos circumferens, postquam vidit multas matres in privato habitu humanitatis, solùm autem Virginem infinito & divino lumine circumdatam, separaverit reliquas matres, clamans, & dicens coram omnibus: Date locum, ut teneam eum, qui desideratur. Date locum, hæc est illa benedicta, &c. illa fortunata mater Verbi Incarnati; date locum, hæc templo infert Messiam, & mundi Salvatorem.* Hodie impletur prophetia Aggæi: *Et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum; magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quàm prioris. Hodie* (l.3.Reg. c.8. v.11.) *implevit gloria Domini domum Domini.*

§. 8. *Ardor Simeonis.*

Quo ardore talia dixerit senex Simeon, advertit Guerricus Abbas in Cant. *Anima ejus liquefacta est, ut dilectus ejus infusus est illi,* (ut in ulnas accepit JESUlum) *infusio namque unctionis testimonium fuit uncti. Hæc Seni testabatur de Puero, & Simeoni de Christo, tanquam spiritus veritatis & charitatis. Veritate docente, charitate ungente, & accendente: - ardens amor - omnia interiora gelidi Senis posuit, quasi cùm unguenta bulliunt.* O si ita hodie ebullirent corda nostra amore JESU & Mariæ!

§. 9. *Triste vaticinium Simeonis pro B. Virgine.*

Sed quid agis, ut sacratissima Puerpera? itane dilectissimum Filium tuum offers æterno Patri, ad tam ardua perferenda? Audin', quid inter gaudia obmurmuret senex Simeon, *tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Vis, ut paucis tibi exponam, quidnam prædicat Simeon? *Pertransibit*: hoc est, stabis aliquando juxta crucem, - & tuam animam tam multiplex pertransibit gladius, quantis Filii corpus cernes confossum vulneribus. Gladius hic erit acutissimus dolor, qui penetrabit cor tuum, cùm lilium eris inter spinas; hoc est, cùm spinæ lacerantes caput Filii, pungent & lace-

rabunt

rabunt cor tuum, cùm clavis & lanceâ illud perforabunt. Adverto! horrore concutitur cor Virginis, sed aliud corde non loquitur, quàm, *Fiat, fiat*! Plena lachrymis, immersa doloribus, tam hodie conformis fuit divinæ voluntati, quòd si oportuisset, statim fuerit parata videri, crucifigi Filium suum. O Virgo! animam tuam pertransibit gladius: hoc est, omnia vulnera, quæ Filius tuus suscipiet in corpore, suscipies tu in corde; & sicut lancea perforabit latus Filii, ita gladius doloris perforabit animam tuam. Quid ais Virgo! *Fiat, fiat*! inquit. Ideo sum facta mater ejus, ut ipsum reddam Patri, ad tam atrocia tormenta! *Fiat!* Nolo hodierno festo inter gaudia Natalitia me immergere abysso dolorum, quos sustinuit Virgo. Insinuo tantùm, hoc modo meritam esse titulos Redemptricis, Reparatricis, &c. & similium, quos superiùs ex SS. Patribus insinuavi.

EXHORTATIO III.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. V. M.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum,
Luc 1. v. 38.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXponuntur eximiæ gratiæ, collatæ in *MARIAM*, in mysterio Incarnationis.

§. 1. *Propositio.*

§. 2. *Desiderium S. Augustini, loquendi de utero Virginis, in quo DEUS latet.*

§. 3. *Uterus B. Virginis aureum reclinatorium.*

§. 4. *In mysterio Incarnationis contigit quædam dispensatio.*

§. 5. *In qua sponsus erga sponsam fuit munificus & liberalis.*

§. 6. *Ob eximias collatas gratias MARIA ab Archangelo Gabriele vocatur gratiâ plena: quæ vocula significant admirabilem*

SAcrum tempus Adventus, quod celebramus, meo judicio à nobis exigit, ut de tanto mysterio, de Verbo in utero Virginis Incarnato, de Parvulo in eodem per menses novem latente, pias & sanctas foveamus cogitationes, quæ peculiarem in nobis erga hoc mirabile mysterium possint accendere & inflammare devotionem. *§. 1. Propositio.*

Pias & amœnas cogitationes reperio apud S. Aug. ser. 17. de Nativitate: *Expandat nunc fidei splendor splendentis uteri pulchra tentoria, alvus Virginis sertis verecundia coronetur; flammeus ibi rosæ fulgor anhelet; albens lilium candicet, mollis viola rutilet, purpurei spargantur flores, & vario nitore depictus Christi thalamus exornetur.* De quibus floribus S. Aug. fuerit locutus, exposuit B. Laur. Justin. l. de casto connub. c. 9. B. Virgo fuit thalamus nitidus, mo-„ ribus ornatus, & omni præditus sanctitate, floribus aspersus, vir-„ tutibus decoratus, fragrans castitatis odore, charitate fervens, „ virginitate redolens, pollens humilitate. *§. 2. Desiderium S. Augustini loquendi de utero Virginis, in quo DEUS latet*

Floridas cogitationes de floribus, Honorius super Cant. vertit in aureas, super illa verba, Christus verus Rex pacificus *fecit sibi ferculum*, sive *lectulum de lignis Libani*; hoc est, Virginem sibi elegit, in qua ut in lecto, vel thalamo, recubuit ipse positus, in carne, quam de Virgine sumpsit. Reclinatorium aureum fuit corpus Dominicum, de ea sumptum, in quo Divinitas se reclinavit: aureum, quia sapientiâ & charitate ornatum. Ipsa etiam Virgo fuit reclinatorium, in quo Christus se reclinavit, splendore charitatis fulgidum. Ascensus purpureus sancta Crux fuit, in qua nobis Filius in sua passione ascensum ad cœlos fecit. *§. 3. Uterus B. Virginis aureum reclinatorium.*

Illæ voculæ, *thalamus, lectulus, serta* ex amœnissimis floribus, reclinatio Divinitatis in Humanitate, SS. Patribus dederunt cau- *§. 4. In mysterio Incarnatio-*

nis contigit quadam desponsatio.

ſam, quòd dixerint, in myſterio Incarnationis fuiſſe celebratas quaſdam nuptias, tum inter Verbum DIVINUM, & SS. Humanitatem, tum inter DEUM hominem, ſive Chriſtum, veluti Sponſum, & Virginem Mariam, veluti Sponſam. Ideo de Chriſto nato D. Auguſtinus utitur v.6. pſ.18. *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*, & ait: *Ipſe procedens de utero virginali, ubi DEUS natura humanæ, tanquam ſponſus ſponſæ copulatus eſt.* B. Laur. Juſt. l. de caſto connub. c.9. „Verbum ſponſus, caro ſponſa, virginitatis uterus thalamus eſt.„ D. Greg. hom. 38. in Evang. „DEUS Pater DEO Filio ſuo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, cùm DEUM ante ſæcula, fieri voluit hominem in fine ſæculorum.„ D. Aug. ſer. 17. de Nat. „Nec mora, revertitur nuntius, & nuptialem thronum ingreditur Chriſtus; accepit ſtolam carnis in thalamo Virginis; Divinitati deſponſatur homo.„ Ex hoc fonte, quod Chriſtus D. in myſterio Incarnationis factus fuerit ſponſus, & Virgo mater ſponſa, ſuaviſſimæ & glorioſæ de ſponſa, ſive de Maria ebulliunt cogitationes.

§. 4.
In qua ſponſus erga ſponſam ſuam munificus & liberaliſsimus.

Sponſus erga ſponſam eſt liberalis; talis fuit JESULUS in utero erga ſuam ſponſam. Gen.24. v.53. antequam Rebecca deſponſaretur cum Iſaac, Abrahamus per famulum Rebeccæ miſit *Inaures aureas, & armillas, prolatiſque vaſis argenteis, & aureis, ac veſtibus, dedit ea Rebeccæ pro munere.* Additque ſacer textus, *& matri dona obtulit.* Quæ non obſcurè præfigurarunt dona, quæ futuræ DEI Matri, tempore deſponſationis Verbi divini, cum humana natura erant conferenda. Et ſi tanta fuit liberalitas Regis Aſſueri erga ſponſam ſuam Eſtherem, cap.2.v.15. *Ut quæcunque voluit, ei dederit ad ornatum*; quantò quæſo major credenda erit magnificentia divini Sponſi, in exornanda Sponſa? adeo, ut facta fuerit *arca* (Rupertus in lib. 2. Reg.) *mirabilis, totos in ſe continens theſauros Divinitatis, in quâ facta eſt fabrica humani corporis, quod DEI Filio Spiritus ſanctus de virginali utero compegit.* Eximia dona, Virgini collata, paucis verbis expreſſit Gabriel Archangelus, Luc.1. v.35. *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Et duabus illis voculis, *Gratiâ plena.* Chryſippus, *Quia tecum eſt univerſus gratiæ theſaurus, totius lætitiæ Rex, cum ancilla: cum ſpecioſa inter*

inter

ter mulieres, speciosus formâ præ filiis hominum: cum puella impolluta is, qui sanctificat omnia.

§. 6. Ob tantas collatas gratias, à Gabriele vocatur gratiâ plena, &c. quæ vocula significant admirabilē Mariæ excellentiam.

Sed cœlestis Sponsi erga Mariam in die desponsationis, vel Incarnationis, gratiam, quis dignè poterit explicare? puto insistendum verbis Archangeli Gabrielis, & quidem paulò ante citatis, quibus illam salutavit, *gratiâ plenam. Rationabiliter enim credimus*, inquit Angelicus Doctor, *quòd illa, quæ genuit Unigenitum, plenum gratiæ, - præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit.* Has gratias, in ordine ad mysterium Incarnationis, sive ad Mariam, in utero gestantem unigenitum DEI filium, eleganter ita nobis proposuit S. Epiphanius ser. de laud. Mariæ. Audite piissimas sancti hujus viri cogitationes, quæ mysterium, de quo ago, & quoad parvulum filiolum conceptum, & Mariam matrem concipientem, amœnis metaphoris vobis proponunt. Ita cum Gabriele Archangelo Virginem salutat: Ave gratiâ plena, multis virtu- ,,
tibus exornata, Virgo! in lampade gestans lucem inaccessibilem ,,
& inextinguibilem, Sole splendidiorem. Ave gratiâ plena, quæ ,,
es urna aurea, continens manna cœleste. Ave gratiâ plena, ,,
quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias. Ave gratiâ ple- ,,
na, mare spirituale, habens gemmam cœlestem Christum. Ave ,,
gratiâ plena splendidum cœlum, quæ incomprehensum in cœ- ,,
lis contines DEUM. Ave gratiâ plena, quæ Cherubicum thro- ,,
num Divinitatis fulgore superas. Ave gratiâ plena, quæ cœli ,,
circulum habes, & Deum incomprehensum, angusto loco, in te ,,
ipsâ contines. Ave gratiâ plena, nubis columnæ similis, quæ ,,
DEUM habes, qui populum deduxit per desertum. Quid dicam? ,,
& quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo? solo enim DEO ,,
excepto, cunctis superior existit. ,, Advertitis, quid est Parvulus, latens in utero Virginis? Sol splendidissimus, ignis inextinguibilis? quid Virgo Mater? aurea & divinissima lampas. Quid Parvulus? Manna cœleste! quid Maria? urna benedicta! Quid Parvulus? fons perennis! Quid Maria? scaturigo. Quid Parvulus? cœlestis gemma. Quid Maria? immensum mare. Quid Parvulus? stella ex Jacob! quid Maria? serenissimum cœlum. Quid Parvulus? flos campi. quid Maria? Paradisus voluptatis. Quid Parvulus? Ramus vitæ. Quid

Maria?

Maria? arbor vitæ. Quid parvulus? DEus incomprehensus. Quid Maria? Mater Dei. Quid parvulus? Agnus DEI. Quid Maria? altare holocausti!

§. 7.
Testimonia SS. Patrũ, quòd Maria in gratia excedat omnes Sanctos.

Quæ elogia tanta, tam sublimia, & tam eximia sunt, ut S. Bern. ser. 4. super *Salve Regina* dixerit: *Nihil est virtutis, quod in ea non resplendeat: Et quidquid singuli habuère Sancti, ipsa sola possidet.* Et S. Hieron. ser. de Ass. *Cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul tota se infudit gratiæ plenitudo.* D. Ambrosius: *Bene sola gratiâ plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est; ut gratiæ repleretur Auctore.* Iterum D. Bernardus hom. 3. super Missus: „Legimus in Actis Apostolorum, & Stephanum plenum gratiâ, & Apostolos fuisse repletos Spiritu Sancto; sed longè dissimiliter à Maria; neque enim in Stephano habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria; nec Apostoli conceperunt de Spiritu S. quomodo Maria.„ Denique D. Athanasius ser. de Deipara: „Hâc de causâ factum est, ut gratiâ plena appellata sit, utpote quæ omni gratiâ abundaret, idque per supervenientem Spiritum S. &c.„ qui in utero Virginis tam mirabilia fuit operatus.

§. 8.
Mellifluus & eximius discursus S. Bernardini.

S. Bernardinus serm. 61. de B. V. c. 12. cùm divina charismata Beatissimæ Virgini Mariæ, in Incarnatione collata, fuisset contemplatus, ex fervoris affectu, quo æstuabat, ita exclamavit: „Sicut divinæ perfectiones, omni intellectui incomprehensibiles sunt, sic perfectiones gratiarum, quas Virgo suscepit in conceptione Filii DEI, soli intellectui divino & Christo, & sibi comprehensibiles exstiterunt. Unde cecinit: Quia fecit mihi magna, qui potens est.) Et quidem quòd DEus generaret DEUM, nulla requirebatur in DEO dispositio; cùm ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum, per omnia sibi æquale; imò impossibile est, quòd non generet DEUM propter suam fœcunditatem; sed quòd fœmina conciperet Deum, est & fuit miraculum miraculorum: oportuit enim, (ut sic dicam,) fœminam elevari, ad quandam quasi æqualitatem divinam, per quantam infinitatem perfectionum & gratiarum, quam creatura nunquam experta est. Unde (ut credo) ad illam abyssum imperscrutabi-

tabilem omnium charismatum Spiritus Sancti, quæ in B. Virgi- „
nem descenderunt, in hora divinæ conceptionis, intellectus hu- „
manus vel Angelicus, nunquam poterit attingere; quod decla- „
rans Archangelus Gabriel, cùm ab eo quæreret B. Virgo, & di- „
ceret: Quomodo fiet istud? respondit Angelus, se tantum myste- „
rium ignorare, dicens: Spiritus S. superveniet in te, & virtus Al- „
tissimi obumbrabit tibi; quasi diceret: Quod à me quæris, igno- „
ro, sed æternæ sapientiæ doctor, qui tibi soli hoc altissimum my- „
sterium reservavit, te per illuminatissimam experientiam edo- „
cebit. „ Ita ille.

Advertitis credo justissimas causas, quas habemus, ut hoc sacro tempore Adventus in peculiarissima devotione erga mysterium Incarnationis peculiari quoque affectu accurramus ad Mariam, gratiâ & DEO plenam, ut de plenitudine ejus accipiamus universi. (S.Bern. super *Missus.*) *Captivus redemptionem, cæcus illuminationem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, Filius DEI humanæ carnis substantiam, & tota Trinitas gloriam; ita ut non sit, qui se abscondat à calore ejus.* Omnes has gratias ipsa ultrò nobis offert per os Ecclesiastici cap.24. v.26. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implete.* Itaque captivi, & onerati vinculis imperfectionum, ut festo Nativitatis liberi possitis occurrere parvulo de Bethleem, transite ad Mariam. Vos cœci, vos ægri, &c. (hoc modo poterit fieri pulchra inductio, quomodo nos parare debeamus ad festa Natalitia.) §. 9. *De plenitudine Marianæ gratiæ accipiunt omnes.*

Iterum moneo, ut in consideratione mysterii Incarnationis hanc circumstantiam bene ponderemus, Virgini Matri, à Filio & tota SS. Trinitate collatas esse excellentissimas gratias, & sublime privilegium sublimissimi honoris, qui à nobis satis explicari & extolli non potest. *Ideoque dignum est*, (inquit S. Jacobus in sua Liturgia,) *ut Deiparam dicamus beatam, & honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim, quæ sine corruptione DEUM concepit.* Idiota l. 6. c. 3. Bibl. *Sanctorum omnium privilegia Virgo omnia habet in se congesta, nemo æqualis est illi, nemo major, nisi DEUS.* B. Ephrem de laudibus Mariæ: §. 10. *Iterumque agit de Mariæ excellentia super omnes creaturas, eò quòd conceperit Filiũ DEI.*

Intemerata, prorsusque pura Deipara Maria, Regina omnium, sublimior cœlicolis, purior Solis radiis, & splendoribus, honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & nullâ comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior, præstantissimum orbis terræ miraculum, omnium Sanctorum corona. Finiat hanc exhortationem D. Anselmus: *Decens erat, ut eâ puritate, quâ major sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui DEUS Pater unicum Filium suum, quem de corde suo, æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus, idemque communis DEI Patris & Virginis Filius.*

§. II. Epilogus. Epilogus ostendat, quæ gratiæ nobis sint necessariæ, cùm in sanctissimo Sacramento suscipimus eundem Filium DEI Mariæ; præsertim si desideremus, ut festo Nativitatis in nobis nascatur Jesulus.

EXHORTATIO IV.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. V. M.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum, Luc. 1. v. 38.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Quare sapientissimus DEUS mysterium Incarnationis noluerit dare executioni, sine consensu B. Virginis MARIÆ.

§. 1. *Propositio, & ratio prima, ut MARIA tanto operi cooperaretur.*

§. 2. *Altera ratio. Ruina contigit per assensum fœminæ; similiter reparatio.*

§. 3. *Tertia. Ut B. Virgini plurimùm essemus obligati.*

§. 4. *Prosecutio.*

§. 5. *Ruina humani generis contigit per inobedientiam, reparatio per obedientiam.*

§. 6. *Primorũ parentum superbiæ, Mariæ opponitur humilitas.*

§. 7. *Marianæ humilitatis eximia encomia.*

§. 8.

PUlchras rationes afferunt SS. Patres, quare DEUS Opt. Maximus, admirabilis in consiliis suis, mysterium Incarnationis, (quod tempore Adventus cum peculiari devotione recolimus,) noluerit dari executioni, sine B. Virginis consensu; quod tamen à Spiritu S. fieri potuisset. Proponam paucas per modum meditationis, 1. Guilhelmus ait: *Incarnandus DEI Filius præmisit ad eam, unum ex familiaribus suis, ut consensum & cooperationem ejus efflagitaret; quippe nolebat Omnipotens suæ Incarnationis miraculum operari in ipsa, non cooperante ipsâ; nec carnem volebat sumere in ipsâ, non dante ipsâ: non sic olim, non sic, quando immisit soporem in Adam, ut de corpore nescientis tolleret, unde illi mulierem formaret.* Dies Incarnationis, fuit *dies desponsationis Filii DEI*, & *dies lætitiæ cordis ejus.* (Cant. 3. v. 11.) in qua Verbum Patris cum humana natura fuit desponsatum; cujus naturæ quia B. Virgo vices gessit, æquum fuit, ut ejus consensus adesset, quem dedit, dicendo: *Ecce ancilla Domini*, &c. sine consensu Virginis non fuisset desponsatio; non fuisset dies lætitiæ cordis. Ex quo colligere licet immensam quandam Virginis excellentiam, quam tamen minuit, dicendo, *Ecce Ancilla, &c.*

§. 1. Quare ad executionē Incarnationis DEUS petiverit consensum Virginis. Prima ratio.

2. Deinde conveniens fuit, ut sicut ruina humani generis non sine assensu fœminæ accidit, ita nec ejusdem restauratio absque fœminæ consensu perficeretur. S. Chrysologus serm. 142. *Hoc agitur, ut homo cursibus iisdem, quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam; agit cum Maria Angelus de generis humani salute, quia cum Eva Angelus egerat de ejus ruina, ut nostræ perditionis initio conveniens nostræ reparationis principium responderet.*

§. 2. Altera ratio.

Tertia ratio est, ideo voluisse Deum non aliter, quàm dependenter ex Virginis consensu incarnari, ut sic tantæ Virgini essemus obligati debitores, videntes ex ejus voluntate nostram omnium

§. 3. Tertia ratio.

salutem

falutem dependere; hanc rationem perpendit S. Bernardus, cùm dixit: *Expectamus ô Domina verbum miserationis; ecce offertur tibi pretium nostræ salutis, statim liberabimur, si consentis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus exspectat, ex ore tuo dependet redemptio captivorum, responde ergo verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant Superi.* Paulò pòst: *Exspectat Angelus responsum, exspectamus & nos ô Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. In sempiterno Verbo DEI facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat te (ô pia Virgo) flebilis Adam cum misera sobole sua, exul de paradiso. Hoc Abraham, hoc David, hoc cæteri flagitant Patres sancti. O Domina, responde verbum. Ipse quoque omnium Rex & Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum.*

§. 4. *Prosecutio.* Iisdem ferè verbis usus fuit S. Augustinus serm. de Nativ. *Responde jam Virgo sacra, assensum tuum Angelus præstolatur, DEUS in porta est, ô beata Maria: seculum omne captivum, tuum deprecatur assensum; te DEO mundus suæ fidei obsidem facit; per te parentum suorum injurias abstergi deprecatur.*

§. 5. *Ruina humani generis contigit per inobedientiam, reparatio per obedientiam.* Primi parentes totam suam posteritatem in abyssum mortis præcipitârunt per inobedientiam, quâ prohibitum fructum gustarunt. O Maria! dic verbulum, *Fiat*, ut per tuam obedientiam, nos Adami posteri à morte liberemur. Quod contigit, dum Angelo respondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Vocula, *Ecce*, magnam animi promptitudinem ad superioris mandatum exequendum præ se fert; ut patet in Samuele l. 1. Reg. c. 3. qui ter vocatus à Domino, semper accurrit ad Heli, dicens, *Ecce ego Domine*, v. 4, 5, 6, 9, 11. ut & illud Isaiæ in persona Christi, cap. 62. v. 11. *Tunc dixi, ecce venio.* Ita Abigail l. 1. Reg. c. 25. v. 41. quando ex nuntiis intellexit, electam se esse in uxorem Regis, dixit: *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei.* Ita B. Virgo Angelo annuntianti sibi, se in Matrem DEI electam esse, celeri animi promptitudine respondit: *Ecce ancilla Domini.* Quæ verba Theophylactus ita exponit: *Ecce, tabula sum pictoria, pingat pictor, quod voluerit.* Ac si diceret: Instar tabulæ

parata

parata sum, ad recipiendam quamcunque imaginem, quam cœlestis pictor in me delineare aut effingere voluerit; quod re ipsa ita contigit, cùm æternus Pater divinam imaginem, hoc est, Filium suum, *qui imago est bonitatis, & figura substantiæ ejus*, de cœlo in uterum Virginis demisit, ad assumendam naturam humanam, ad cujus efformationem Maria Virgo purpureum carnis colorem tribuit, quo Spiritus S. pulcherrimam illam imaginem, in virginea tabula pulcherrimè elaboravit, dum venit super illam, & *obumbravit illi.* O Virgo! jam simul intemerata Mater, mille tibi habemus gratias; exultamus præ lætitia; dixisti verbum, quod Verbum Patris de cœlo in virginalem tuum uterum detraxit; dixisti verbum! verbum miserationis, quod totus mundus exspectavit, & quo liberati sumus. Verbum enim caro factum est. Dixisti verbum! quod nos liberavit à sententia damnationis; dixisti verbum, quo renovati sumus ad vitam æternam. O Domina! dixisti Verbum, quod terra, quod inferi, quod superi exspectarunt. Verbum caro factum est. Cooperante Virginis obedientiâ, peractum est mysterium tam diu exspectatæ & desideratæ Incarnationis.

In miserabilem ruinam totum genus humanum præcipitavit primorum parentum superbia, quæ, suadente serpente, illis persuasit, quòd putaverit, se gustato prohibito fructu, DIIS fore similes. Turpissimam maculam hujus superbiæ debuit abstergere profundissima Virginis & Matris DEI humilitas, quam his verbis demonstravit: *Ecce ancilla Domini.* Putat Rupertus Ab. l. 1. in Cant. per voculam *Ancillæ*, B. Virginem hoc voluisse exprimere: *Nolite petere, ut explicem, quantam in me humilitatem, mitis & humilis corde invenerit, non possum eloqui, non possum verbis consequi; res ista non est effabilis.* Hoc loqui possum: Ecce me ancillam! quia scilicet filio placuit forma servi, juxta illud ad Philip. 2. v. 7. *Humiliavit semetipsum, formam servi accipiens*; Matri placuit forma ancillæ. Dicere potuisset illa, quæ audiverat ab Angelo, *Ecce gratiâ plena!* ecce ego illa, quæ gratiam apud DEUM invenit; ecce ego benedicta inter mulieres! Ecce, futuram Matrem DEI! & c. sed alios longè sermones illi suggessit humilitas. Cùm Pater æternus Archangelum ad illam mitteret, cùm cœlestis Paranymphus tam honorificis

§. 6. *Primorum parentum superbia opponitur Mariæ humilitas.*

verbis illam salutaret, cùm jam quasi descenderet Spiritus Sanctus, cùm Verbum divinum sinum Patris jam vellet deserere, & & descendere in uterum Virginis, cùm jam evehenda esset ad dignitatem Matris DEI, &c. ipsa nihilominus ancillam se profitetur.

§. 7. *Mariana humilitatis eximia encomia.* Quam humilitatem mellifluus S. Bernardus admirans, hom. 4. super *Missus* ait: *Quæ est ista sublimis humilitas, quæ honori cedere nescit; insolescere gloriâ, non novit, DEI Mater eligitur, & ancillam se nominat, non magnum est, humilem esse in abjectione; magna verò prorsus, & rara virtus, humilitas honorata. Quæ, veluti arbor, quantò pluribus pomis onustior est, tantò magis ramos suos ad terram inclinat, & dimittit; Ita B. Virgo,* (Petrus Rav. ser. de laud. Virg.) *quam vocavit Angelus Dominam, ipsa se vocat ancillam; quia devotus animus infusis beneficiis ad obsequium crescit; augetur ad gratiam, non ad superbiam pertumescit, nec ad arrogantiam prosilit.* Honorata verò hæc humilitas Mariæ, sanctissimæ Trinitati, & cœlesti Sponso adeo placuit, ut etiamsi etiam placuerit virginalis puritas, tamen teste S. Bernardo, *ex humilitate conceperit.* Dicens cum Sponsa, Cant. 1. v. 11. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis, &c.*

§. 8. *Variæ quæstiones à S. Aug. propositæ B. Virgini, cur Filium DEI conceperit.* Quod fusiùs elegantissimis verbis proposuit S. Aug. serm. 2. de Nativ. Dic mihi quæso, jam Sancti Sanctorum Mater, quemadmodum myrtini odoris, & nivei coloris lilium convallium, sine succo humanæ propaginis, & sine imbre carnalis seminis in sinu Ecclesiæ germinanti? Dic mihi quæso unica Mater, quibus manibus, vel quo Deitatis articulo, in utero tuo formatus est DEI filius, cujus DEUS solus est Pater? Dic obsecro, te per eum, qui te fecit, ut ipse fieret in te; dic (inquam) mihi, quid boni egisti, aut quantum præmium obtulisti; per quas Potestates ambisti, quos patronos adhibuisti, quæ suffragia præmisisti; quo spiritu, vel quâ cogitatione ad hoc, ut acciperes, prævenisti? ut virtus & sapientia Patris, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; totus ubique manens, in uterum tuum veniens, ita castellum castum ventris tui incoleret, ut ingrediens, non læderet, exiens incolume custodiret. Dic mihi quæso, quemadmodum ad hoc pervenisti?

Et

Et illa: Quæris à me, quod obtulerim munus, & unde Ma-„ §. 9. *Virginis responsio.*
ter effecta sim Creatoris? oblatio mea fuit humilitas mea; & id-„
cò magnificat anima mea Dominum, quia respexit, non auro „
elevatam tunicam meam, non pomposo cultu radiantis auri or-„
namentum cervicis meæ, aut pretiosorum lapidum vel margari-„
tarum dependentium inauribus meis decorem, aut gemmarum „
ruborem attendit, nec fuco mendaci colorum, sed respexit hu-„
militatem ancillæ suæ; alii legunt, nihileitatem meam. Venit „
enim ad me mansuetus, requiescens super maternum spiritum „
humilem, & mansuetum ac trementem verba sua.„ Hactenus S. Augustinus.

Hugo Victorinus in suis annot. super *Magnificat*, ait: *Respexit DEUS humilitatem Mariæ, cui per humilitatis meritum dedit, ut Filium suum in carne conciperet, & de sua carne verum DEUM, & hominem, omnium hominum Salvatorem generaret.* S. Ambr. S. Anselmus: *O humilitas beata! quantum meruisti! quantum in Virgine valuisti! Quid enim in sacra Virgine meruisti, nisi ut DEUM homini conjungeres, & Verbum carni unires?* Eleganter Rupertus Abbas lib. 3. in Cant. O Domina, *cùm te reputares indignam viro, facta es digna* DEO. *Cùm te indignam judicares, facere semen in Israël, facta es digna facere salutem ibidem. Cùm te indignam reputares, lactare filium hominem, digna habita es, pulcherrimis uberibus, & virgineis mammis lactare Filium* DEUM *& hominem.* §. 10. *Alia humilitatis encomia.*

Virginis humilitati in Incarnatione conjuncta fuit ingens & inflammata in DEUM charitas, quæ virgineum cor adeo inflammavit, ut veluti ex accensa fornace, ignita lingua eructarit ignea hæc verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Vel mellea illa verba Sponsæ: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Unde non caret mysterio, quòd SS. Patres asserunt, beatissimam Virginem hæc verba, *Ecce ancilla Domini,* tanto accensam amore, & tam accenso corde protulisse, ut calidissimi sanguinis guttæ præ nimia ebullitione diviserint uterum, ex quo sanguine, tanquam materiâ, Spiritus S. formavit Christi corpus. Quod planè congruum fuit, ut sicuti principium activum conceptionis fuit Spiritus S. sive Amor, ita materiale principium esset sanguis desumptus ex corde, §. 11. *Inflammata Mariæ charitas in Incarnatione.*

quod est officina calidi amoris. Videtur hunc discursum voluisse insinuare Isaias, c.11. v.1. dicens: *Flos de radice ejus ascendet*. In flosculo agnoscite JESulum; in radice Matris humilitatem, ne inflammata Mariæ excludatur charitas; Chaldæus & S. Hier. citata verba sic vertunt: *Flos de trunco incendii ascendet*. Hoc est, cùm Maria dicit, *Ecce ancilla, Domine*, cùm concipiet, &c. ardebit charitate & amore. Hunc truncum Angeli in Cant. vocant *Virgulam fumi*. (Est p. locus) si p. applicetur cordi B.V.

§. 12. *Epilogus*. Puto vos advertere Auditores quatuor virtutes, de quibus egi; peculiarem erga Virginem devotionem, Virginis obedientiam, humilitatem & charitatem esse illas dispositiones, per quas nos ad Nativitatem Christi debemus præparare, &c. Quid faciemus, ut &c.

EXHORTATIO V.

DE FESTO VISITATIONIS BEATÆ VIRGINIS.

Exurgens MARIA, abiit in montana,
Luc. 1. c. v. 39.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit tria. *1*. Cur Elisabetha exclamaverit. *2*. Cur appellaverit *Benedictam*. *3*. Titulum Matris DEI esse omnium excellentissimum.

§. *1*. *Quare ad adventum Mariæ exclamaverit.*

§. *2*. *Quo sensu Mariam vocaverit* Benedictam.

§. *3*. *Dicenda potiùs est benedicta, quàm Juditha, ob insignem victoriam contra infernalem serpentem.*

§. *4*. *Prosecutio.*

§. *5*. *Benedictum est nomen ejus.*

§. *6*. *Alia causæ hujus benedictionis.*

§. 7.

§. 7. *Nullus Mariæ excellentior est titulus, quàm quòd sit* MATER DEI.
§. 8. *Testimonia SS. Patrum.*
§. 9. *Quis proinde non amet hanc Virginem Matrem.*
§. 10. *Affectus desiderii erga Mariam.*

ELisabeth, momento quo vidit Mariam cognatam suam, ingredientem suas ædes, *exclamavit voce magnâ*, non sine mysterio. Cùm quis inexspectatò intuetur pulchrum aliquod objectum, oculis gratum & amabile, intus in corde exoritur quoddam gaudium, vel quædam oblectatio, & ex hac, oris exclamatio, vel vox elatior, & lætior, quâ pulchritudinem objecti visi contestamur. Hoc accidit Elisabethæ; momento quo vidit pulcherrimam Mariam, tanto intus in corde delibuta fuit gaudio, ut exclamarit, *Benedicta sis*, ô pulcherrima Virginum. *Exclamavit*: Cùm quis locuturus, optat se exaudiri in magna distantia, opus est, ut vocem intendat. Ita Elisabeth, aliquid magni momenti dictura, optabat, si fieri posset, per totum mundum resonare vocem suam, quasi vellet dicere: Audite homines! audite, qui estis in hac domo mea: audite vicini, & urbis incolæ! audite montana Judææ! hæc puella, hæc Virgo, est benedicta inter mulieres! hæc mulier est mater DEI. *Exclamavit* voce magnâ! vocem animavit in utero matris existens, S. Joannes; ubi cùm necdum loqui posset, matrem impulit, ut magnâ voce prædicaret MATREM *Verbi Incarnati*, cujus ipse præcursor erat futurus. *Exclamavit voce magnâ*: ut & nos discamus, quo ardore, quo conatu, quâ conditione loqui debeamus, cùm de Maria nobis loquendum est, vel cùm illam pie & ferventer volumus salutare. Voce possibili hâc exhortatione ostendam, Mariam esse benedictam MATREM DEI. Hæc summa ejus est excellentia: hæc summa dignitas: hic est vertex, in vertice montium Marianæ magnificentiæ. §. 1. *Quare ad adventum Mariæ Elisabetha exclamavit.*

Benedicta inter mulieres! O verbum magni solatii! Hactenus verissimum fuit dictum Ecclesiastici cap. 25. v. 33. *A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur.* Ideo Adam coram DEO se excusavit his verbis Gen. 3. v. 12. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno.* q. d. O DEUS! non tam ego sum causa peccati, quàm mulier mea: hæc mihi factum persuasit; hæc blandis verbis §. 2. *Quo sensu Mariam pronuntiaverit benedictam.*

 ad

ad esum pomi allexit; si illa non fuisset, non peccassem. Neque dubium est, quin Adam extorris paradiso, postea sæpe hoc objecerit Evæ; ah Eva! ah mulier! tu es causa hujus exilii. Tu es causa meæ & tuæ maledictionis! pro me, te & posteris. Tu maledicta illa mulier es, quæ totum humanum genus divinæ subjecisti maledictioni. Sed aliter ante paucos menses elocutus est cœlestis de cœlo nuntius, & legatus SS. Trinitatis, Archangelus Gabriel, aliud hodie clamat Elisabetha, dum ait, Mariam esse benedictam inter mulieres. Itaque, si Eva fuit maledicta, Maria est benedicta. Si Eva fuit mater mortis, & morientium, Maria est mater vitæ, & viventium! Si Eva attulit lachrymas & miserias peccati, Maria protulit gaudium, & divitias gratiæ; si Eva spinas, Maria rosas & lilia progerminavit. Si Eva serpenti consensit, Maria caput illius contrivit.

O lingua mea, dic trophæa,
Virgini puerperæ:
Quæ inflictum maledictum
Miro transfert germine.

Excidit arborem mortis, & plantavit lignum, cujus fructus est benedictus JESUS, filius & germen benedictæ Matris.

§. 3. Dicenda potiùs est benedicta, quàm Juditha, ob insignem victoriam contra infernalem serpentem.

Primum trophæum contra infernalem serpentem erexit gloriosa Virgo Maria in primo momento Immaculatæ suæ Conceptionis, dum illi virus suum tartareus draco afflare non potuit, quia à Virgine, ut DEUS promiserat, contritum fuit caput ejus. Æquè gloriosum trophæum erexit hodie, cùm parvulum Joannem, peccato originali affectum, à turpissima macula, suâ & Filii præsentiâ liberavit, & ex faucibus immanis serpentis eripuit. Si itaque ob decollatum Holofernem victrici & triumphanti Judithæ accinuerunt Presbyteri, Judith 13. v. 22. *Benedixit te Dominus in virtute suâ, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Si Ozias princeps populi Israël gratulabundus illi dixit, v. 23. *Benedicta es tu filia, à Domino DEO excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creavit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis, Principis inimicorum nostrorum; quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores*

fuerint

fuerint virtutis DOMINI *in æternum.* Si Achior videns caput Holofernis, illi dixit v. 31. *Benedicta tu à* DEO *tuo, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te* DEUS *Israël.* Si omnis populus benedixit Judithæ, dicens, c. 15. v. 20. *Tu gloria Ierusalem! tu lætitia Israël! tu honorificentia populi nostri! & eris benedicta in æternum.* Gratulor & ego Judithæ, de tanto applausu.

Sed assero, potiori jure exclamasse hodie voce magnâ Elisabetham: *Benedicta* hæc *inter mulieres.* Huic enim benedixit Dominus in virtute suâ; per hanc inimicum totius generis humani redegit in nihilum. Benedicta est Maria à DEO excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui illam direxit, ut contereret caput infernalis serpentis; adeoque magnificavit nomen ejus, ut non recedat laus ejus de ore hominum, qui omnes cum Elisabetha exclamant, *Benedicta* est *Maria* à DEO suo, in omni gente & natione; & *magnificatum est nomen ejus.* Tu, ô MARIA! es gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia cœli & terræ, & benedicta in æternum! §. 4. *Prosecutio.*

De futuro Messia prædixit Regius Psaltes ps. 71. v. 17. *Sit nomen ejus benedictum in sæcula. Ante Solem permanet nomen ejus. Et benedicentur in ipso omnes Tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus* DOMINUS DEUS *Israël, qui facit mirabilia solus. Et benedictum nomen Majestatis ejus in æternum, & replebitur Majestate ejus omnis terra.* Eadem de Messiæ MATRE, de Virgine Maria asserit Elisabetha, dum altâ voce illam extollit, ut benedictam inter mulieres. Hoc est; sit nomen Mariæ benedictum in sæcula. Super Solem radiat nomen ejus. In ipsa benedicitur hodie PARvulus Joannes in utero matris; benedicitur Elisabetha, Zacharias, &c. facta per ipsam sunt hodie mirabilia. Benedictus Dominus DEUS Israël, qui per Mariam facit mirabilia; ut ipsa exclamet: *Fecit mihi magna, qui potens est; & magnificat anima mea* DOMINUM. §. 5. *Benedictum est nomen ejus.*

Si Gen. cap. 12. v. 2. DEUS dixit ad Abraham: *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, in te benedicentur universæ cognationes terræ.* Si illi §. 6. *Alia causa hujus benedictionis.*

dixit

dixit Gen. 17. v. 16. *Benedicam ei* (scilicet Saræ) *& ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritq; in nationes, & Reges populorum orientur ex eo.* Si Jacob filio suo Joseph dixit: *Omnipotens benedicet tibi* (Gen. 49. v. 25.) *benedictionibus cæli desuper, & benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum.* Cùm de Sapiente dixerit Ecclesiasticus cap. 39. v. 27. *Benedictio illius quasi fluvius inundavit.* Cùm vir timens Dominum, Eccli. 40. v. 28. sit sicut *paradisus benedictionis.* Vel v. 17. *Sicut paradisus in benedictionibus.* Cùm DEUS per Ezech. c. 34. v. 26. terræ & collibus promittat *pluvias benedictionis.* Cùm DEUS per Malachiam c. 3. v. 10. populo observanti mandata legis, promittat *benedictionem usque ad abundantiam.* Et S. Paulus Romanis c. 15. v. 29. *Abundantiam benedictionis.* Ex his & similibus S. Scripturæ phrasibus intelligere possumus, quare S. Elisabetha voce magnâ exclamaverit ad Mariam, *Benedicta tu in mulieribus.* Hoc voluit dicere: Benedixit tibi DEUS, ô Maria, & magnificavit nomen tuum. In sæcula eris benedicta, & in te benedicentur omnes nationes. O Maria! benedicta es inter mulieres, quia per te datus est nobis filius, fons omnium benedictionum. Benedicta es benedictionibus cœli, & abyssi omnium gratiarum. Benedictio tua, ô Maria, est fluvius benedictionum; tu es paradisus benedictionum; in te est abundantia benedictionum. Quanta mysteria! quanta encomia beatissimæ Virginis continent hæ pauculæ voces Elisabethæ, *Benedicta tu inter mulieres!*

§. 7. *Nullus Mariæ excellentior est titulus, quàm quòd sit Mater DEI.*

Sed altiora mysteria! sublimiora encomia continent illa Elisabethæ verba: *Unde mihi hoc, ut veniat Mater Domini mei ad me!* Mirarer sanè, quòd sancti Evangelistæ non plura expresserint de laudibus Mariæ, nisi scirem, dudum dixisse SS. Patres, omnia expressisse Evangelistas illis verbis, *de qua natus est IESVS*; & quòd sit MATER DEI. Petrus Cellensis, *Si cæli Reginam, Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quàm ore excogitatum protuleris, non assurget adhuc ad superindicibilem honorem, quo creditur & prædicatur DEI genitrix.* q. d. Nomina

mina illam ut vis, major est titulus Matris DEI. Est Regina Patriarcharum, Prophetarum, &c. (fac conglobationem encomiorum) plus est, quòd sit Mater DEI: fortassis ideo S. Xaverius hoc potissimùm suspirio fuit usus, *Mater DEI, memento mei*; cùm flagellaretur à dæmonibus, *Mater DEI! mihi non opitulaberis!* Et ipsa Mater Ecclesia, dum rem summi momenti petit, ait, *S. MARIA Mater DEI, ora pro nobis,* &c.

§. I. *Testimonia SS. Patrum.*

Triumphat in hoc puncto facundiâ & eloquentiâ SS. Patrum S. August. l. 2. de symb. ad cat. c. 4. *Tanta est Virginis dignitas, eò quòd sit Mater DEI, ut planè excedat, non solùm omnium hominum dignitatem, verùm etiam Angelorum: cùm longè præstantiùs, & excellentiùs sit, esse matrem Principis, quàm ministrum. Tantò enim perfectior unaquæque res appellatur, quantò magis unitur, & conjungitur DEO, qui est summa perfectio.* D. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. *Humanitas Christi ex hoc, quòd est unita DEO; & B. Virgo ex hoc, quòd est Mater DEI, habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est DEUS; & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse DEO.* S. Petrus Chrysologus ser. 143. *Verè benedicta Virgo, quæ & virginitatis possedit decus, & Matris pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & divini germinis suscepit gloriam, & Regina extitit totius castitatis.* S. Bern. ser. 2. de Incarn. Ipsa est Virginis gloria singularis, & excellens prærogativa Mariæ, quòd Filium unicum, eundemque cum DEO Patre meruit habere communem. „ Et serm. super *Signum magnum*, &c. Sola hæc est beata Deipara, in qua virginitas & maternitas obviaverunt sibi; in ea factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum. „ S. Anselmus l. de exc. Virg. c. 2. Hoc solùm de sancta Virgine prædicare, quòd DEI Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post DEUM dici, vel cogitari potest. „ Theophylactus super *Invenisti gratiam apud* DEUM, Multæ enim & aliæ invenerunt gratiam coram DEO; sed quòd in utero conceperit Filium DEI, hoc ei singulare est, & nulli alteri concessum.

§. 9. *Quis proinde non amet hanc Virginẽ Matrem.* Infero hanc conclusionem cum S. Brunone Carth. serm. de Annunt: *Quid ergo mirum est, si divites & nobiles Virginis Matris vultum, & pulchritudinem desiderent; cùm Psalmista dicat: Quia concupivit Rex speciem Mariæ. Valde enim pulchra est, quæ suâ pulchritudine* DEUM *ipsum ad amorem sui provocare potuit.* B. Petrus Dam. serm. de Nat. Virg. super illud 3. Reg. c. 10. *Non est factum tale opus in universis regnis. Etsi multa magna facta sint in creaturis mundi, nihil tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum* DEI, *sicut Virginem Mariam, cujus pulchritudinem Sol & luna mirantur.* Adeo, ut *felices sint*, (idem Dam.) *Angelici spiritus, qui B. Virginis habent præsentiam. Hic nos memoriam suavitatis ejus tantùm excitamus. Si dulcis memoria, quid præsentia!*

§. 10. *Affectus desiderii erga B. Virg.* O beati Genii, audite, quàm ego anhelem, ut hanc videam pulcherrimam Virginem! Non ita cervus, serpente intra viscera condito, anhelat ad rivulos aquarum: non ita damula, cui telum hæsit in vulnere, ad suum properat dictamnum: non ita arida Ægyptus tellure fissâ, ad Nili frugiferas hiat undas: non ita fervore caniculæ percussi flores frigenti lymphâ recreari ardent: non ita avidus infans uberibus materni sinus labia gestit imprimere; non ita jactatus tempestate nauta portum tenere festinat; non ita damnatæ ad sex mensium tenebras plagæ, reducis Solis jubar intueri avent; non ita rigentes hyeme campi Veris exoptant adventum, ut ego ambio, quæro, suspiro, anhelo, ardeo, desidero MARIAM. Ambio, MARIA meus honor est. Quæro, MARIA meus thesaurus est. Suspiro, MARIA dilecta mea est. Anhelo, Maria vita mea est! Ardeo, Maria flamma est. Desidero, gaudium meum est Maria!

Hæc & similia quotidie nostra sint suspiria, &c.

EXHORT. VI.

EXHORTATIO VI.

PRO FESTO ASSUMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS.

MARIA gloriosè assumpta est ad cælos, Ex Horis.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXcellentiæ, gratiæ, & meritorum in Maria, respondet altitudo gloriæ.

§. *1. Gratia in terris, est mensura gloria in cælis.*

§. *2. Maria! in gloria est altissimus mons, omnibus superemimens.*

§. *3. Maria est vas immensum, plenum immensâ gratiâ & gloriâ.*

§. *4. Maria! plenum mare gloria.*

§. *5. Maria! vellus aureum, irroratum imbre gloria.*

§. *6. Prosecutio.*

§. *7. Si B. Virgo tam pulchra fuit in terris, qualis erit in gloria!*

§. *8. Maria digna est imperio super omnes creaturas.*

§. *9. Quantus in terris ad illam concursus ob admirabilem pulchritudinem.*

§. *10. Prima radix tanta gloria.*

§. *11. Quare in gloria prima assideat Filio.*

§. *12. Prosecutio.*

THeologica Veritas, & irrefragabilis maxima est. Gratiam hominis justi in terris, esse mensuram gloriæ in cœlis; quàm quis sanctior est in hoc mundo, tam erit gloriosior in altera vita. Ex qua propositione, hanc in præsenti exhortatione formabo consequentiam; ergo, quæ sancti Patres asserunt de Mariæ gratia, dum vixit in terris; verissima sunt, de ejusdem gloria in Paradiso. S. Bern. de Ass. *Quantum gratia in ter-* §. 1. *Gratia in terris est mensura gloria in cælis.*

ra adepta est præ cæteris, tantum obtinuit in cælo gloriæ singularis. Afferam ex sanctis Patribus pauca, & selectiora.

§. 2. *Maria in gloria est mons altissimus, omnibus supereminens.*

Super illum versum 2. Isaiæ cap. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*; hoc est ad literam, Mons altissimus, aliis altissimis montibus impositus. Super hunc versum, inquam, ait S. Greg. M. l. 1. in c. 1. Reg. *An non mons sublimis Maria, quæ meritorum verticem, supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit.* Dicamus hodie, cùm Virgo gloriosa deducitur in cœlum: An non mons sublimis est Maria, quæ gloriæ verticem, supra omnes Angelorum choros, usque ad solium sanctissimæ Trinitatis evexit. Gloria Mariæ super omnes Sanctos refulget. Qualis mons fuit in terris per gratiam, talis mons est in cœlis per gloriam.

§. 3. *Maria est vas immensum, plenum immensa gratia & gloria.*

Metaphora vasis placuit S. Bonaventuræ in Spec. Virg. *Immensa fuit gratia Mariæ.* Sic probat: *Immensum enim vas plenum esse non potest, nisi immensum illud sit, quo est repletum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cælo major est, continere potuit; & si capacitas tanta fuit, oportuit quòd gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.* Necessariò ergo etiam credendum est, quod de Virgine asserit S. Bernardinus Senensis T. 2. serm. 61. art. 2. c. 8. *Virgo* (scilicet hodie in gloriosa ad cœlos Assumptione) *super omnes ordines, tam hominum, quàm Angelorum simul sumptorum, improportionabiliter est prælata; & quidquid est gloriæ in omni pura & glorificata natura, tam Angelica, quàm humana, multò præcellentiùs est in Virgine.* Immensa enim est ipsius gloria. Sic probo: Immensum enim vas plenum esse non potest, nisi immensum sit illud, quo est repletum. Maria autem fuit, & est vas immensissimum, quod Deum continere potuit. Oportet ergo, ut & gloria, quæ tantam implere potest capacitatem, sit immensa. Prout in Annuntiatione, gratiâ fuit plena, quia universum gratiæ concepit thesaurum; ita hodie in Assumptione, est plena gloria, quia Pater Filiæ, Filius Matri, Spiritus Sanctus Sponsæ, immensæ gloriæ obtulit thesaurum.

Vocula

Vocula *plenitudo*, vel *gratia*, vel *gloria*, in memoriam mihi revocat discursum S. Bonaventuræ, in quo ita ait: *Plena est Maria inundatione gratia, cujus tanta fuit profunditas & magnitudo, ut Maria bene dici possit, mare plenum.* Quod encomium Dion. Carthus. l.3. de laudibus Virginis art.3. ita extollit, dum ait: *Maria interpretatur mare, quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare, sic gratiæ excellentiam* (attendite, quod sequitur) *gloriamq; Mariæ nullus valet exprimere. Tanta est hujus gloriæ altitudo, tanta profunditas, ut bene dici possit mare plenum. Quid grandius Virgine Mariâ in gratia?* quærit S. Petrus Dam. ser.1. de Nat. Virg. Ego quæro: Quid grandiùs Mariâ in gloria? *quæ magnitudinem summæ Divinitatis intra sui ventris conclusit arcanum*; immensam quoque gloriam intra se continere potest. Attende Angelos, Archangelos, &c. Seraphinorum supervola dignitatem, & videbis omnes minores esse Virgine. Attende Patriarchas, &c. S. Basilius Ep. Seleuc. orat. 5. *Universa, quæ mundi & cœli ambitu continentur, cum Virginis dignitate comparari non valent.* §. 4. Maria plenum mare gloriæ.

Notum est, Vellus Gedeonis fuisse figuram B. Virginis. Ad rem meam facit, quod observavit S. Bernardus hom. 2. super *Missus: Quid illud Gedeonis Vellus significat, nisi carnem Virginis, cui distillantibus cœlis* (& obumbrante Spiritu S.) *tota se infudit plenitudo Divinitatis; adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui sine illa non aliud, quàm terra arida sumus.* Et S. Petrus Chrysologus ser. 143. *Cœlestis imber virgineum in vellus placido se infudit illapsu, & tota Divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit in vellere.* Hodiernâ die Assumptionis piissimè cogitare nobis licet, Mariam in gloria esse vellus aureum, cui, ut antea in terris gratia, ut ante plenitudo Divinitatis, ut ante sanctitas, sic hodie, admirabili illapsu, immensæ cujusdam gloriæ unda & torrens; quid dico, torrens? mare gloriæ sese infudit. Ut sicut in mari aquæ, sic in Maria omnis gloriæ sit congregatio. §. 5. Maria in gloria Vellus aureum, irroratum immensa gloria.

De primo B. Virginis festo dixit S. Laur. Just. ser. de Annunt. *Ab ipsa sua Conceptione in benedictionibus præventa est dulcedinis; hinc est, quòd Virginem ipsam tam longo imbre Spiritus Sanctus irroravit.* Si hoc contigit in Conceptione, quid putamus contigisse in §. 6. Prosecutio.

in Nativitate; quid illis annis, quibus vixit in templo; quid in Annuntiatione; quid decursu vitæ, quid dum sanctissimè moreretur. Sed mors, gratiæ, meritorum, & sanctitatis fuit finis & terminus. Quis verò explicabit? imò quis concipiet, quâ hodie, dum è sepulchro rediviva prodiit, dum gloriosa cœlos intravit, præventa fuerit dulcedine; quo imbre gloriæ Spiritus S. illam irrorarit, & inundarit.

§. 7. *Si B. Virgo tam pulchra fuit in terris, qualis erit in cœlis.*

D. Dionysius Areopagita, postquam B. Virginem in terris conspexisset mortalem, scripsit ad S. Paulum Ap. *Cùm ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me splendor circumfulsit exterius, & pleniùs irradiavit interiùs, ut nec corpus, nec spiritus posset tantæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit & spiritus, tanta gloria Majestatis oppressus. Et contestor, nisi fides me doceret, unicum esse* DEUM, *hanc admirabilem creaturam ut alterum* DEUM *adorassem; nam mortali oculo gloriam superiorem contemplari, concedi non potest.* O Seraphini! si talis fuit majestas Mariæ in terris, dicite! dicite cœlestes spiritus, qualis sit Maria gloriosa in cœlis! sine dubio. Cœleste prodigium, & miraculum gloriæ. Sine dubio, *Signum magnum! Mulier amicta Sole, & luna,* & radiis immensæ cujusdam gloriæ. *In terris*, ut S. Aug. ait, *fuit tota pulchra, tota formosa, quæ cunctas fœminas vicit pulchritudine carnis*; pulchrior, formosior est in cœlis, ubi omnes vincit pulchritudine gloriæ. Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias, Maria supergressa est universas. Albertus Magnus hanc facit comparationem: *Vti Christus D. speciosus fuit formâ præ filiis hominum, sic Virgo pulcherrima inter filias hominum*; ut ipsa S. Brigittæ revelavit, membra sua conformia fuisse membris filii sui, in forma & specie; oculos oculis, &c. ideoque Maria habuit summum, & perfectissimum in pulchritudine, quod potuit esse in mortali corpore. Pari passu debemus insistere vestigiis, quibus indagamus excellentiam Marianæ gloriæ in cœlis. Sicut Christus D. Filius DEI, quoad sanctissimam Humanitatem, est speciosissimus in gloria, inter filios & filias hominum, hoc est, inter omnes Sanctos, & Sanctas; ita inter eosdem, post Filium, speciosissima est Maria. Et habet summum, & perfectissimum in cœlesti gloria, quod puræ creaturæ DEUS cōcedere voluit.

Si

§. 8. *Maria digna est imperio super omnes creaturas.*

Si itaque verum est tritum Aristotelis axioma, Metaph. l. 10. *In unoquoque genere, est dare suum primum principium, & prima species digna est imperio;* v. g. quia rosa inter flores, tum odoris, tum pulchritudinis tenet primatum, est Regina florum, & digna est imperio. Inter planetas Sol omnium est splendidissimus, ideo Rex, & dignus imperio. Sic leo est Rex inter bestias; Aquila est Regina inter volucres. De Esthere ait c. 2. v. 15. Esthexis: *Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis.* Et digna fuit habita, quæ esset Regina, & digna imperio. Ideo Jerosolymam urbem pulcherrimam, Jeremias Thren. c. 2. v. 15. appellavit urbem *perfecti decoris, & gaudium universæ terræ.* Si vobis placet cœlestis Paradisi incolas appellare rosas, per me licet, insinuo tantùm; Rosa pulcherrima est MARIA, digna imperio, sive ut prima sit inter omnes electos, post Filium DEI. Si Sancti in firmamento lucent ut *stellæ & Soles*; libenter audio, sed addo; Sol pulcherrimus, stella lucidissima est MARIA, digna imperio, ut inter omnes creaturas sit prima. Esthere formosior, pulchrior, gratiosior, amabilior est Maria! digna imperio! est perfecti decoris, & gaudium cœli & terræ. *Quando Filium DEI concepit*, (inquit Rupertus Abbas) *tunc, & ex tunc, pulchra facta est, pulchritudine divinâ,* in gratia & gloria. Digna primatu & imperio.

§. 9. *Quantus in terris ad illā concursus, ob admirabilem pulchritudin.*

De B. Virgine commorante in terris dixit S. Ign. Martyr in ep. ad S. Joan. *Magnus factus est concursus populorum, Reginam cæli videre, & audire cupientium.* Et S. Amadæus hom. 7. de laud. Virg. simile quid habet: *Quis non properaret, quis non curreret ab extremis terræ, reverendæ Majestatis decus aspicere, & vultum omnimodâ suavitate, imperiali etiam dignitate, & singulari præditum potestate videre? quippe nihil inveniebatur illi simile, in filiis & filiabus Adæ.* Ex quibus colligo, verissima esse, quæ S. Joannes Baptista S. Brigittæ revelavit de B. Virgine existente in gloria; *DEUS de pulchritudine* (& gloria) *ejusdem Matris suæ jugiter laudatur à Sanctis ejus, & gaudium sanctorum Angelorum, & omnium sanctarum animarum impletur ex pulchritudine ejus.* Quis non properet? quis non currat, quis non anhelet? hanc gloriosam Reginam, hanc pulcherrimam Virginem videre, & intueri. Exultat in hac lachrymarum valle

valle cor meum, quoties cogitat de Mariæ gloria. Ex quo concepit Filium DEI, & quia DEI est mater, refulget gloriâ, & pulchritudine divinâ? Quæ ita placuit filiabus Sion, ut Cant. 7. v. 6. exclamarint: *Quàm pulchra es! quàm decora! charissima in deliciis tuis.*

§. 10. *Radix prima immensa gratia & gloria in Mariam.* Radicem tantæ gloriæ, quæ hodie collata est B. Virgini à sanctissima Trinitate, eleganter & subtiliter advertit S. Bernardinus Sen. t. 1. ser. 61. art. 1. c. 12. *Quòd fœmina conciperet ac pareret DEUM, est & fuit miraculum miraculorum. Potuit enim, (ut sic dicam) fœmina elevari ad quandam æqualitatem divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum.* Fuit eadem mens S. Th. Aquin. p. 1. q. 25. art. 6. ad 4. *Beata Virgo, ex hoc, quòd est Mater DEI, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est* DEUS. Iterum S. Bernard Sen. Tanta est laus, quam ei attribuimus, „ cùm dicimus, mater est DEI, quòd nec in personis creatis, id est, „ Angelis & hominibus; nec in personis increatis, reperitur hæc in- „ cogitabilis dignitas, nisi in una persona divina, quæ est Patris, & „ in una persona humana, quæ est matris. „ Iterum S. Thomas in c. 1. S. Matth. Nulli creaturæ hoc concessum est, nec homini, „ nec Angelo; ut esset Pater aut Mater DEI; sed hoc fuit privile- „ gium gratiæ singularis, ut non solùm hominis, sed DEI Mater fie- „ ret. Mulier amicta Sole, quasi tota repleta Divinitate. „ Repeto ex toto hoc affectuosissimo discursu, & sæpiùs memoratam subdo consequentiam, ergo pari mensurâ, juxta collatas gratias, juxta admiranda privilegia, juxta infinitam quandam ejus dignitatem in sanctitate, repleta est immensâ quâdam gloriâ, proxima Filio suo, quem genuit in terris.

§ 11. *Quare Maria in gloria sedeat juxta Filium.* Solari nos debet causa, propter quam Maria, prima in gloria, assidet dexteræ Filii sui; quam causam S. Antoninus Florentinus Episcopus, in persona Mariæ Virginis, ita proponit: *Decet me in glorificatione esse juxta Filium meum, per intercessionem continuam pro humano genere, ut cùm iratus* DEUS *propter peccata hominum, diluvio flagellorum, minatur terram subvertere, ego ut arcus appaream*

in

in conspectu ejus, indeque recordatus fœderis sui, propitietur eisdem, ne dissipet mundum. Ita ipse Christus D. revelavit S. Brigittæ l. 6. revel. c. 26. *Nisi Matris meæ preces interveniant, non esset spes misericordiæ.* Quamprimùm illa intercedit, est spes veniæ. Oravit aliquando S. Dominicus ardenter iratum DEUM, ne pergeret castigare peccatores; sed apparuit illi Christus D. à Patre constitutus Judex & vindex, armatus triplici sagittâ, quâ toti mundo minabatur ruinam. Terruit illum terribilis visio! sed erexit altera longè amabilior, in qua coram Filio, piissima mater misericordiæ, denudans pectus & ubera, illa ardentibus sagittis opposuit, inclamans misericordiam. Et statim obtinuit. Filius præsentiâ & intercessione Matris commotus, & placatus, iram & furorem commutavit in clementiam. Sed, nisi Matris preces intervenissent, non fuisset spes, nec locus misericordiæ. O peccatores, ad Mariam confugite! horrenda vobis imminet tempestas, (est locus pro vehementi affectu.)

Hæc mundum universum, & omnes peccatores in communi concernunt; in particulari quivis, præsertim peccator, habet causam gaudendi, quòd B. Virgo in gloria proxima assideat Filio, ut cum ipso cujusvis salutis negotium pertractet; quod ita nobis proponit S. Bonav. in psalt. Virg. *Quem vult ipsa, salvus erit; & à quo ipsa suam avertit faciem, vadit ad interitum. Qui illam dignè coluerit, justificabitur; & qui neglexerit eam, in peccatis suis morietur.* Prout immensa est Mariæ gloria, sic ingens potentia. *Sicut impossibile est,* (inquit S. Ansel.) *quòd illi, à quibus Virgo Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur: ita necessarium, quòd hi, ad quos convertit oculos suos, pro iis advocans, justificentur, & glorificentur.* Ecce causas, quas habemus, ut gaudeamus de Mariæ gloria, &c. (Est iterum locus pro pulchro affectu.) §. 12. *Prosecutio. Pulchra de intercessione Mariæ apud Filium pro nostra salute.*

EXHORTATIO VII.

DE NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS.

Creavit Dominus novum super terram,
Jerem. c. 31. v. 22.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AGit de excellentia, & virtute augustissimi Nominis Mariæ ; coronat deinde natam hodie puellam pulcherrimis stellis.

§. 1. *B. V. Maria in sua Nativitate est nova aurora, nova luna, novus Sol, &c.*
§. 2. *Post nomen IESVS, nullum est excellentius nomine Mariæ.*
§. 3. *Prosecutio.*
§. 4. *Efficacia nominis MARIÆ, cum variis ejusdem elogiis.*
§. 5. *Prosecutio.*
§. 6. *MARIA: dæmonibus est nomen terribile.*
§. 7. *Confessio ipsiusmet diaboli, de efficacia nominis Mariæ, & ejusdem invocationis.*
§. 8. *Nomen Mariæ, sive nata hodie puella coronatur pulcherrimis stellis.*
§. 9. *Prosecutio.*

§. 1. *B. Virgo in sua Nativitate est nova aurora, nova luna, novus Sol, &c.*

SCio sapientissimum Ecclesiasten cap. 1. v. 10. dixisse: *Nil sub Sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est.* Suo sensu bene dictum est; sed in alio sensu. Ecclesiasti hodiernâ die contradicent Angeli, Archangeli, &c. Contradicunt Patriarchæ, Prophetæ, &c. contradicit creatura universa. Et omnium nomine, citatus Jeremias c. 31. v. 22. *Creavit DEVS novum super terram, fœmina circumdabit virum.* Contradicit S. Joannes in sua Apocalypsi, c. 12. v. 1. *Signum magnum,* (ante hac nunquam visum) *apparuit in cælo, Mulier amicta Sole, &c.* Hoc signum hodie jacet

jacet in cunis, in ſinu Annæ feliciſſimæ Matris, quæ feliciſſimo partu nobis peperit Mariam. Puellam adeo novam, & hactenus non viſam, ut admirantes Angeli exclamarint Cant. c. 6. v. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Salve nunc Sol! ſalve nova luna! ſalve nova aurora. Auroræ hujus tam *eximia eſt pulchritudo,* (S. Hier. ſer. 1. de Aſſ.) *ut dici poſſit à DEO ſculpta ſtatua, & rectò depicta Archetypi imago.* Videte novam ſtatuam! novam imaginem! S. Anſel. *Spiritus DEI omnipotentis Patris, & Filii venit in eam, ſingularique gratiâ, præ omnibus, quæ creata ſunt, ſive in cœlo, ſive in terra, & omnium, quæ in eis ſunt, fecit ſponſam ſuam.* Ecce hodie ſub Sole novam Sponſam, *In qua* (S. Germ. orat. de zonâ Virg.) *omnia ſunt admirabilia, & vires naturæ excedentia, in qua DEUS ſuam exercuit omnipotentiam.* Hujus auroræ, hujus lunæ, hujus Solis, hujus ſtatuæ, hujus imaginis, hujus Sponſæ, ſive natæ hodie puellæ, nomen eſt Maria! de cujus excellentia iterum pauca proponam.

De Chriſto D. S. Paulus ad Hebr. ait cap. 1. v. 3. *Sedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis: tantò major Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit.* De quo nomine loquatur, ſcimus ex ejuſdem epiſtola ad Philip. c. 2. v. 9. *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine IESU omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Suppono B. Virgini hodie natæ, à SS. Patribus bene, & cum fundamento applicari verſ. 10. pſalmi 44. *Aſſiſtit Regina - à dextris* Filii ſui, - *in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Non permittit tempus, ut ex his verbis modò eruam innumera elogia Marianæ excellentiæ. Illis ſuppoſitis, aſſero, ſedet cœli Regina ad dexteram Majeſtatis in excelſis; tantò major Angelis, & Arch. & Seraphinis, &c. effecta, quantò differentius nomen præ illis hæreditavit, dum volente cœleſti Patre, ejus filia: Audite Superi, puella hodie nata, puella jacens in cunis, eſt filia æterni Patris! dum diſponente ſapientiâ Filii, ejus Mater: Audite! gaudete! exultate cœli! puella hodie nata, erit mater Altiſſimi! dum inſtinctu Spiritus Sancti ejus Sponſa: Exulta tellus: Puella hodie nata, eſt Sponſa S. Spiritus; hæc inquam Sponſa, hæc Mater, hæc filia, auguſtiſſimum hæreditavit nomen, dum appellata eſt Maria.

§. 2. *Poſt nomen IESUS nullum eſt excellentius nomine Maria.*

§. 3. Prosecutio.

Ob quod nomen his verbis illi gratulatur Idiota: *Dedit tibi, Virgini Mariæ, tota superſancta Trinitas nomen, quod poſt nomen ſuperbenedicti Filii tui, eſt ſuper omne nomen; ut in nomine tuo omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur hujus ſanctiſsimi nominis gratiam, gloriam & virtutem.* Quare cœleſtis Pater ſuo Filio impoſuerit auguſtiſsimum nomen Jesus, nobis aperuit S. Paulus ad cit. Philip. c. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem; propter quod & DEUS exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Pari ratione beatiſsima Virgo, licèt ſe gratiis, excellentiis atque perfectionibus, quaſi quodam immenſo Oceano inundatam cerneret; licèt audiret ſe futuram Matrem DEI; & quod conſequens eſt, ſupra omnes creaturas ſublimandam & elevandam, nihilominus dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Propter quod diu antè, hodiernâ die, dum naſceretur, diſponente DEO, impoſitum illi eſt nomen Mariæ. Pulchrè S. Bernardus ſerm. ſuper *Signum magnum. Certè humiliata eſt præ omnibus; quapropter meritò facta eſt noviſſima prima, quæ cùm prima eſſet, omnibus ſe noviſſimam effecit; meritò propterea facta eſt omnium Domina, quæ ſe exhibuit ancillam.* Gloriam hujus nominis, quod ſignificat Dominam, quod Illuminantem & illuminatam, quod ſtellam maris, quod mare gratiarum, & ſimilia, aliàs ſæpè propoſui; de ejuſdem virtute & efficacia modò dicendum eſt aliquid.

§. 4. Efficacia nominis MARIÆ cum variis ejuſdem elogiis.

Quod S. Bernardus ſer. de Aſſ. mihi ſuggerit, ubi ait: *Si ingenti peccatorum tuorum multitudine turbaris, Mariam invoca, & quietaberis. Si conſcientiæ turpitudine confunderis, DEI Matrem accede, & ſerenaberis. Si Iudicis horror te timidum reddit, DEIparam invoca, & habebis fiduciam. Si deſperationis barathrum te abſorbere contendit, Mariam invoca, ad DEI Matrem recurre; hanc ama! hæc ſemper ſit in corde tuo; ſic tibi erit fideliſſimus ductor ad ſalutis portum.* Et ſerm. de aquæ ductu: *Agnoſcit Virgo, & diligit diligentes ſe! & prope eſt, in veritate invocantibus ſe: præſertim his, quos vidit ſibi conformes in caſtitate, & humilitate.* Talis virtus, poſt SS. nomen Jesu, non eſt collata nomini alterius creaturæ. Utì nomen Mariæ ſignificat illam eſſe omnium Dominam & Reginam; ita

aſſerit,

asserit, eandem omnium esse *advocatam*, *& patronam, cui cura sit de omnibus*; & quæ ad dexteram Filii sedeat, ut *prospera & salubria nobis impetret*. Hugo Card. in ps. 44. Ideo S. Bern. serm. de Nat. *Advocatam vis habere apud ipsum? ad Mariam recurre. Exaudietur pro sua reverentia*. S. Germ. de zona Virg. (verba ejus paululùm immuto.) Quis post Filium curam gerit generis humani, sicut „ Mater? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis in sup- „ plicationibus adeo pugnat pro peccatoribus, sicut illa? ideo est, & „ dicitur Maria! Maria significat matrem amabilem, matrem mi- „ sericordiæ, matrem pulchræ dilectionis, & advocatam. O cle- „ mens! ô pia! ô dulcis Virgo Maria! quæ invocantibus se semper „ præsto est; quæ in omni loco, ubique terrarum, mater miseri cor- „ diæ, & refugium miserorum est, inquit S. Rich. de S. Laur. l. 2. de laud. Virg. c. 2.

§ 5. *Prosecutio*

Itaque (S. Bern. ser. de Nat.) *Altiùs intuemini quanto devotionis affectu eam velit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde, si quid spei, si quid gratiæ, si quid salutis est, ab ea noverimus redundare; & votis omnibus Mariam veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam! ea augustissimi hujus nominis est dignitas, excellentia, gratia & virtus. Et meritò hodie exultent cœli, lætetur tellus, gaudeant universi, de lætissima Nativitate puellæ, cujus nomen est Maria!*

§. 6. *Maria dæmonibus est nomen terribile.*

Nomen! nobis gratiosum & amabile! hostibus nostris diabolis terribile; terribile est nomen ejus, ut mirum non sit, cœlestes genios in Canticis, novam Auroram, novam lunam, novum Solem, novam puellam simul appellasse, Cant. 6. v. 9. *Aciem castrorum ordinatam*! cujus in dæmones tanta est auctoritas, ut solius nominis ejus sono, inhabitatores erebi, contremiscant, terreantur, & fugiant. Maria (S. Germ.) *nequissimos hostes, & hominum invasores, veluti rugientes leones, sola sui nominis invocatione sanctissima repellit, & nos tutos atque incolumes servat*. S. Damianus or. 1. in hod. Nat. exclamat: *O sanctissima filia! in maternis ulnis* (in cunis, involuta panniculis,) *conspicua, & jam rebellibus Angelis formidabilis. Nomen ejus est MARIA! nomen terribile! Est MARIA virga virtutis, contra inimicos infernales, quibus magnâ virtute*

virtute dominatur. Ideo (S. Bern.) *Horrent principes tenebrarum Mariæ devotam invocationem, quia in circuitu ejus acies valida innumerabilium spirituum beatorum, sibi devotos defendentium.* Et S. Brigitta in libris Revelationum ita ait: *Super omnes malignos spiritus ipsam Deus sic potentem effecit, quòd quotiescunque aliquem hominem, Virginis auxilium ex charitate implorantem, impugnaverint, ad ipsius Virginis nutum, illi pavidi procul diffugiunt, volentes potiùs pœnas suas, & miserias sibi multiplicari, quàm ejusdem Virginis potentiam super se taliter dominari.* Hugo Card. in c. 6. Cant. *Ad ejus memoriam dæmones contremiscunt, & eam omnino sustinere non possunt.* S. Ephrem orat. ad Virg. advertit circumstantiam temporis, in quo Mariæ nomen potissimum nobis est salutare, & dæmonibus terribile; ait enim: *Maria in extremo vitæ articulo miseram animam conservans, tenebrosos atque horrendos pessimorum dæmonum aspectus ab ea procul repellit.* Quod sanctæ Matri Ecclesiæ causam præbet, quòd frequentem usum hujus oratiunculæ suadeat: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.* Eja, Mariani clientes! eja peccatores pœnitentes! confugite ad hanc Matrem, invocate nomen Mariæ! *Quid enim illi negabitur,* (B. Petrus Dam.) *cui negatum non est, Theophilum de ipsis faucibus perditionis revocare.* Nota est historia.

§. 7. *Confessio ipsiusmet diaboli de efficacia nominis MARIÆ, & ejusdem invocationis.*

Audite breviter concionem, quam ipse Diabolus, ita urgente S. Dominico, habuit ad frequentissimum populum, per os obsessi hominis: DEI Mater est, quam solam super omnes Sanctos „ timemus, & cujus præsentia sola præ aliis nos confundit, & pavi- „ dos reddit; & unica ejus intercessio majoris est efficaciæ, quàm „ reliquorum Sanctorum omnium. Ipsa est illa potentissima Do- „ mina, quæ cunctos sibi verè devotos, ab æterna liberat morte. „ Ipsa est, quæ plurimorum animas in hora mortis potentissimâ suâ „ auctoritate, quia in ultima illa necessitate suum implorant auxi- „ lium, de manibus nostris eripit, quæ aliàs nobiscum communem „ æternæ condemnationis pœnam subituræ fuissent. Plura dicere „ cogor, inquit dæmon, quæ nollem. Sit peccator, quantumvis „ gravissimus, si tamen Deiparæ devotus fuerit, & usque ad mor- „ tem in sua perseveraverit devotione, non posse malâ morte mori, „

nec

nec fore condemnandum; nam ipsa apud Christum Filium suum ,, potentissimâ sua intercessione contritionis donum, & peccatorum confessionem impetrabit; & sic aliàs, justo DEI judicio,, nobiscum condemnandus, & æternis cruciatibus addicendus ,, salvabitur.,, Quis non concipiat ardens propositum, ab hac hora invocandi frequenter, devotè, ardenter & constanter, potentissimum hoc nomen Mariæ! quis non millies dicat: *Maria mater gratiæ*,&c. quis non millies ingeminet cum S. Bernardo: *O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria*!

§. 8. *Nomen Mariæ, sive nata hodie puella, coronatur pulcherrimis stellis.*

Meretur augustissimum hoc nomen natæ puellæ, ut etiam in cunis coronetur pulcherrimâ coronâ; Spiritus S. illam formavit ex stellis, & S. Joanni ostendit in Apoc. c. 12. v. 2. *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* S. Bonav. in Spec. Virg. c. 8. ait: *Posuit Christus in capite ejus diadema regni, diadema certè impretiabile, diadema tam delectabile, diadema tam mirabile, quod omni linguæ est inenarrabile.* Pulcherrimè in hoc diademate radiat illa stella, quæ nobis indicat, natam puellam ab æterno fuisse prædestinatam, & in mente DEI destinatam, & præelectam, ut post aliquot annos fiat, & sit Mater DEI, *in quo* ut S. Anselmus ait, lib. de excell. Virginis, *nullus hominum, vel Angelorum penetrare potest immensitatem divini amoris erga Virginem.* Stella lucidissima, irradians cunas & nomen Mariæ, est immaculata ejus conceptio. De quo privilegio hoc tantùm hîc insinuo, esse privilegium inæstimabile & inenarrabile! Stella lucidissima est natæ puellæ sanctitas, quæ tanta fuit, ut digna futura sit, quæ fiat *Spiritus Sancti sacrarium, & habitaculum Filii DEI*, & sanctitatis sanctissimus thesaurus. Puellam cernitis jacentem in cunis, sed lucida stella, quâ radiat ejus corona, nobis indicat, quòd *pura sanctitas*, (S. Ansel.) *& sanctissima puritas purissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem, sive sanctitatem transcendat.* Nomen sanctissimum est Maria! O lucidissimam stellam, quam iterum conspicio! gaudete mortales, auspicatissimum nobis denotat præsagium! Ex pupula hodie nata, suo tempore, & in tempore nascetur Filius DEI. Jam mihi simul in illa

illa stella intueri videor formosissimum Infantem JESUlum, quem olim in ulnis gestabit, quem virgineo lacte pascet. Hic infans matri MARIÆ imponet diadema regni! diadema impretiabile! diadema tam delectabile, diadema tam mirabile, quod omni linguæ inenarrabile est!

§. 9. *Prosecutio.* Quintam hujus diadematis stellam, circa caput, vel SS. Nomen Mariæ, cùm intuitus fuit S. Bern. ser. de Nat. V. exclamavit: *Miraculum super omnia* ! O admiranda puella: quæ salvo virginitatis pudore, suum generabit Genitorem ! Fulgorem hujus stellæ obstupescunt Cœlites, ut meritò quærant : *Quæ est ista?* impretiabile est diadema ejus: O ineffabile Sacramentum! Est Virgo! erit mater! & Virgo permanens, gignet DEUM & hominem. Quis unquam audivit talia? quis unquam talem conspexit stellam? Lucidissima quondam erit stella, partus sine dolore! Qualis stella? Parvula jacet in cunis, & DEUM jam contemplatur! jacet in gremio Matris, & habet usum rationis! perfectissimè conversa ad DEUM. Qualis stella? plenitudo gratiæ in anima tenerrimæ Virginis! Quales stellæ! tot eximiæ virtutes, &c. quarum eximius splendor, quia facit, ut magnitudinem natæ puellæ discernere & comprehendere non possim, honorabo saltem silentio. Ut eò ferventiùs in corde implorem augustissimum nomen MARIÆ, frequenter orans cum S. Ephrem: *Omnes tibi advolvimur, omnes te imploramus. Erue nos, ô intemerata, ab omni necessitate, à cunctis diaboli tentationibus. Esto nostra conciliatrix, & advocata in hora judicii. Libera nos à futuro igne, & tenebris, & tui Filii gloriâ, ô Virgo, ô Maria nos dignare.*

EXHORT. VIII.

EXHORTATIO VIII.

IN PRÆSENTATIONE B. VIRGINIS.

Beata viscera, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

HOrtatur ad serium cultum B. Mariæ Virginis, eò quòd ejus Clientes moriantur feliciter.

PRopositum thema explanabo exemplis, quorum in similibus materiis magna est vis & efficacia. *§. 1. Brevis Propositio.*

P. Sebastianus à Campo Soc. JESU, in supremo agone cœlestibus delitiis plenus, ita circumstantes fuit allocutus: *O filii Adæ! servite, & amate Mariam diligentius! non scitis, quàm vobis sit necessaria Mariæ deprecatio!* Præsertim in circumstantiis supremi agonis. Scio, vos servire gloriosissimæ huic Reginæ, ideo tot illi offertis rosaria, (fiat similis inductio.) Scio vos illam amare; sed cupio, ut ex citatis verbis P. Sebastiani, unam vo- *§. 2. Piissima mors P. Sebastiani à Campo.*

culam bene perpendatis, *Diligentiùs*, hoc est, quotidie, & præsertim in Festivitatibus Mariæ conari debemus, ut novo fervore illam diligamus, & consueta nostra exercitia devotionis novâ devotione inflammemus.

§. 3. *Et S. Arnulphi.*

Piissimo Mariæ clienti Arnulpho, in supremo agone primùm apparuit S. Petrus Ap. à quo audiit, omnia commissa peccata totius vitæ suæ plenariè esse remissa. Veniret securus vitæ perennis, patere jam aureas cœli portas ad auream æternitatem. Adfuit deinde magnus cœlestis militiæ Princeps S. Archangelus Michaël, multis stipatus Angelis, qui morienti promisit, se ad supremum Judicem fidum esse ducem, comitemque unà cum omni beato suo agmine. Denique ut gaudium morientis Arnulphi plenum esset, ad ejusdem lectum se stitit B. V. Maria in choro pulcherrimarum Virginum, dicens: *Fili, adest hora*, (erat dies Sabbathinus ante festum Assumptionis,) *ut ad æterna beatorum civium gaudia abeas, ubi unà cum illis de meo mihi triumpho gratulaberis.* Quis ex nobis similes gratias pro supremo agone non desiderat? nullus ergo sit, qui non ardentissimè colat & amet Mariam!

§. 4. *Clientes B. Virginis in horribili tempestate erepti ex periculo.*

Lulæ, nobili apud Algarbios in Lusitania oppido, anno 1587. die Sabbathino, atra densaque è maris littore nubes, vento quasi vecta, horribilem imbrem, qualem incolæ nunquam viderant, cum ingenti fragore infudit in oppidum. Tres horas tenuit horrenda tempestas, & hortis atque aggeribus superfluens, octuaginta domus è fundamentis dejecit, ducentas quassavit, omnes incolas attonito tremore, ruinis & aquis involvens. Aquæ, fragores, tenebræ, mugiens cœlum, lachrymabilis in omni ætate ac sexu ululatus fecerunt, ut omnes timore absorpti torperent. Conjux alicujus sutoris in vili casâ cum quinque filiis ante statuam B. Virginis, quam diebus Sabbathinis peculiariter colere fuerant soliti, se prostraverunt in genua, ardentibus precibus auxilium & opem Virginis efflagitantes. Ubi sedatâ tempestate aqua resedit, venêre vicini in domum, qui pensilem lychnum ante statuam Virginis viderunt ardere, & intactam ab exitialibus aquis imaginem, & salvam cum liberis orantem pii sutoris conjugem obstupuerunt, cùm tamen superfusam aquam stetisse viderent altiùs, quàm vel imago,

imago, vel ardens lampas, vel pia illa, unà cum liberis fœmina fuerit. Debebatur hoc Virginis clientibus, ut in domo illa, velut in nova & Mariana Noë arca, ii, qui sub Mariæ præsidium confugerant, illæsi servarentur.

Alia horribilis tempestas nobis omnibus in supremo agone, (poterit illa breviter describi) imminet, quid agendũ, ut simus tuti; quis tabulam nobis porriget, ut evadamus in portum? quis avertet tentationum fluctus? quis dæmonum insuper assultus? O filii Adæ! confugite ad Mariam; ad hujus pedes vos prosternite! invocate Mariam! sic erimus tuti. Cùm prædictæ conjugis maritus, pius sutor, salutatâ Virgine, in aquas se præcipitasset ad eripiendum è gurgite puerum, quem rapiebat aqua, aquis ereptum imposuit humeris; *& tu*, inquit, *quâ es ætate simplex & innocens, DEI Matrem, ut nos liberet, comprecare.* Ita se, & unà secum, inundanti periculo puerum eripuit. Imitemur piissimum Virginis clientem, comprecemur Mariam, ut è graviori periculo nos olim liberet. Devotio erga hanc Virginem aurea est anchora, quâ spem felicis obtinendæ mortis corroborare possumus.

§. 5. Applicatio ad supremũ agonem.

Hoc S. Bernardus nobis suasit notissimis, sed mellifluis illis verbis ser. 2. super *Missus*: *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde.* Sed ut impetres ejus orationis effugium, non deseras conversationis exemplum. Imitare Mariam.

§. 6. Aureum monitum S. Bernardi.

Beatissimâ morte obiit Margarita, filia Regis Hungariæ; vitam admirabilem, DEO, JESU & Mariæ dicatam, suavissima mors fuit secuta. Æternabant in morientis ore, sanctissima JESU & Mariæ nomina. Decem dies antè prædixit mortem. Admirabilis DEI Mater Angelorum corona coronata adfuit exspiranti, ejusque vertici floridissimum imposuit sertum; sicq; coronatam deduxit ad nuptias Agni. Meminit Vita, sive historia vitæ, obti-

§. 7. Mors pretiosa Reginæ Margaritæ Hungariæ.

nuisse Margaritam hanc mortem peculiari devotione erga sanctissimum Altaris Sacramentum singulis diebus Jovis. Simili devotionis fervore diebus Veneris prosecuta fuit Christum crucifixum; diebus Sabbathinis tota fuit in colenda Virgine. Fieri enim non potest, ut qui exemplo Margaritæ, &c. moriantur infeliciter.

§. 8. *Vox morientis Patris Suarez.* Doctissimus Pater Franciscus Suarez, eximius cultor B. Virginis, cùm moriens ad JESUM & Mariam extremo anhelitu suspiraret, vidit pretiosam pretiosæ suæ mortis imaginem, ut auditus fuerit dicere: *Nunquam se existimasse, adeo suave esse mori.* Qualis tua futura sit mors, an pulchra, pretiosa ac suavis, an horrida & angustiis plena, argumentare è vita tua, & illo amore, quo DEI Matrem prosequeris; assuesce continuò suspirare ad Mariam, & ab illa ex omni eripieris periculo.

§. 9. *Avicula cantillans Ave Maria.* Fuit pia Virgo, quæ aviculam, quam diligebat, docuit canere mellea illa verba ex initio Angelicæ salutationis, *Ave Maria!* Avolaverat aliquando longiùs a domo nutricis, & ecce, hiantem in illam milvum. Quid ageret? quomodo rapacissimæ resisteret avi? necessitas illi suggessit illa verba, quæ cantillare solebat, *Ave Maria! Ave Maria!* His verbis sæpiùs iteratis, quasi sacro carmine ita incantavit milvum, ut deciderit in terram; ipsa læta rediit ad sinum nutricis suæ. (Applica hanc historiam pulchrè supremo agoni, infernali milvo, & clienti invocanti auxilium Mariæ; & hoc frequenter.) Nam ut S. Joannes Damascenus ait, l. 2. c. 14. *Fideliter æterna sperent, qui beatæ Reginæ mundi, quotidiana horarum omnium vota persolvunt.* Persolve & tu, & fideliter spera: crede: fideliter amaberis.

§. 10. *Aurea verba Seraphici S. Francisci ad fratres.* Seraphicus S. Franciscus, JESU crucifixi & Mariæ dilectissimus filius, postquam die Sabbathi obiisset, unus ex fratribus vidit beatissimam ejus animam, sub specie præfulgidæ stellæ, è candida subvectam nubecula, recto tramite ascendere in cœlum. Ut hâc viâ ascendas & tu, & non descendas in infelicissimam æternitatem, invoca Mariam! Idem S. Franciscus causam insinuavit, sæpius dicere solitus ad fratres: *Cùm dico, Ave Maria, cœli rident, Angeli*

geli gaudent, mundus exultat, infernus contremiscit, dæmones fugiunt; sicut cera fluit à facie ignis, & pulvis ante faciem venti dispergitur, sic ad invocationem nominis MARIÆ totus malignorum spirituum exercitus superatur. Pete ergo frequenter mortem sanctam, invoca Mariam, dic millies *Ave Maria*, ut cœli te moriente rideant, vel arrideant, & exultent, tanquam de te acquisito; inferi verò fleant tanquam de amisso. Angeli gaudeant, tanquam de novo, æternoque cœli cive, dæmones tristes fugiant, tanquam ab illo, qui infernum evasit, & in cœlum tutus ascendit; hoc modo, quandocunque morieris, morte morieris pretiosâ. Clientes Mariæ infeliciter mori non possunt. Quod inter innumerabiles expertus fuit piissimus Pater Franciscus Reteza, ex Ordine S. Dominici, qui exspiravit, dum dulcissimâ voce cantillarat hymnum, *Salve Regina, mater misericordiæ*, &c. ostendit illi sine dubio illa mater benedictum fructum ventris sui JESUM. *O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA*, hanc nobis gratiam concede, ut inter similia suspiria animam exhalemus, in benedictum & roseum latus dilecti Filii tui.

Ferdinandus Lusitaniæ Rex, beatissimam Virginem Mariam, S. Michaëlem Archangelum, & S. Joannem Evangelistam, præter alios sanctos Patronos, coluit devotissimè, ad obtinendam sanctam mortem, & obtinuit. O quàm omnia successêre feliciter! Morienti adfuit B. Virgo, spectaculo glorioso sedens in aureo throno pro majestate Matris DEI, ornatissimâ Virginum corona cincta: pro moriente cliente S. Archangelus Michaël ita fuit auditus perorare: *O Regina cælestis, libera fidelem tuum servum à periculo mortis æternæ. Impone illum choro nostro: quia tibi Domina, & mihi, ubique seriò servivit semper.* S. Joannes verò Evang. ita oravit: *O amabilis mea mater, ne sine dilectum hunc tuum filium longioribus premi angustiis: voca illum ad Agni nuptias; habet vestes nuptiales, easque niveas: impone illi coronam puritatis.* Tum Virgo amabili vultu intuens moribundum, dixit: *Non abibo absque hac anima*; & simul Ferdinandus vivere desiit. Similia tibi fient, si facias, quod Ferdinandus fecit.

§ 11. Mors Ferdinandi Regis Lusitaniæ.

§ 12. *Suavis sententia Mariæ.* Contigit in agone clientis Mariani, dæmones cum Tutelari Angelo acriter altercari de morientis anima; sed Maria optatissimâ hâc sententiâ diremit litem, dicens: *Scitote, quia anima illa nunquam damnabitur, quæ mihi serviverit; neque ille vester unquam erit, qui animam suam commendaverit mihi.* Si breve & rectum iter, longissimam æternitatem quæritis, colite & amate MARIAM.

§. 13. *Pium responsum simplicis puellæ.* Simplex quædam puella interrogata, cui diebus Sabbathinis jejunaret, respondit: persuasissimum sibi esse, eos, qui id agerent, absque necessariis ad mortem præclarè obeundam, præsidiis, emori non solere, id se variis pietatis officiis flagitare à B. Virgine, ut se materno & viventem, & vivere desinentem, tueri præsidio velit. Si & vos subinde jejunatis, si quotidie recitatis rosarium, hoc fine facite, &c.

TRACTATUS QVARTUS, DE ANGELIS CUSTODIBUS, EXHORTATIONES BINÆ.

EXHORTATIO I.

Angelis suis mandavit, ut custodiant te in omnibus viis tuis, Ps. 90. v. 11.

SYNO-

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoferuntur variæ causæ ex SS. Patribus, propter quas misericors DEus hominibus constituit Angelos Custodes.

SI nobis placuerit perpendere causas, propter quas bonus DEUS nobis constituit Angelos Custodes, facilè intelligamus, quantum erga nos custodia illa sit beneficium; & quantum obligemur, ut his Custodibus exhibeamus debitum cultum & reverentiam. *§. 1. Propositio.*

Hæc causa placuit S. Bonaventuræ, super v. 2. capitis 31. in libro Genesis, *Castra DEI sunt,* (scilicet Custodes Angeli,) *quia ad modum castrorum nos muniunt, qui sumus faciles ad seducendum, fragiles ad resistendum, debiles ad operandum; & ideo occurrunt nobis tanquam potentissimi adjutores, ut eorum auxilio muniti, discamus hostium potentias non timere.* Et adducit auctoritatem S. Greg. M. dicentis: *Rectè spiritualis certaminis possumus esse victores, quando* *§. 2. Angelus Custos destinatus est homini ob suam fragilitatem, ut ita contra dæmonis assultus simus tuti.*

tam

tam excellentissimorum spirituum, utelâ muniti sumus; quod tunc contingit, (hoc est, tum sumus victores,) *cùm regnum animæ secundùm impetum rationis dirigimus, & carnis voluptatibus reluctamur.* Et quia diabolus in nobis post lapsum rationem seducit per astutias; virtutes opprimit per violentas tentationes, & voluntatem allicit per blanditias; quod ne nobis contingat, Angelos Custodes deputavit, quorum officium est, rationem illuminare, virtutes suadere, voluntatem allicere ad omne bonum. Sive, *officium illorum est, purgare, illuminare, perficere, sublimia secreta revelare, nec non & dæmones à nobis fugare. Ad quod perficiendum* (S. Laur. Justin.) *nec tabescunt tædio, nec labore succumbunt, neque seducuntur errore.*

§. 3. Figuram habemus in juniore Tobia.

Junior Tobias speculum esse potest, à S. Scriptura Tob. 12. nobis propositum, in quo clarè videre licet immensa Angelorum custodia, & erga nos beneficia, quæ paucis quidem, sed valde emphaticis verbis ipse Tobias ita exponit cit. cap. v. 3. *Me duxit & reduxit sanum; pecuniam à Gabelo ipse recepit; uxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit; gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum à devoratione piscis eripuit; te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus.* Quibus dictis Arch. Raphael subjunxit v. 6. *Benedicite DEUM cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei; quia fecit vobiscum misericordiam suam, & narrate omnia mirabilia ejus.*

§. 4. Quàm excellentes spiritus sint Angeli Custodes.

Quid enim mirabilius? *In supremis spiritibus* (inquit S. Aug. ser. 46. ad fratres) *non tantùm admirabilis dignitas est, & dignatio amabilis invenitur; sed tanta gloria est, quòd lingua, vel cor humanum nullatenus dicere valet, vel cogitare. Domestici DEI sunt, cæli ejus, Principes paradisi, scientiæ Magistri, Doctores sapientiæ. His Angelis,* (S. Bern.) *tam sublimibus, tam beatis, tam proximè Deo cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & verè domesticis DEI, DEUS mandavit, ut custodiant nos.* S. Damasc. l. 2. fid. ort. c. 3. *Qui tametsi eximiâ naturæ dignitate & perfectione longè nobis supereminеant, non tamen aspernantur nostri curam & custodiam; sed mirâ humilitate nobis condescendentes, omnem exhibent sollicitudinem, ut tandem cohæredes & consortes ipsorum efficiamur in cœlis. In quem finem* (B. Laur. Just. de

de obed. c. 7.) *Assiduâ vigilantiâ comitantur nos in periculis, in laboribus, in infirmitatibus, in negotiis, in itineribus, semper exhortantes ad bonum, detestantes malum, protegentesque à malo; si tamen attentâ cordis aure eorum sacra monita audire velimus.* O si mane! dum surgimus, ô si in meditationibus, & aliis spiritualibus exercitiis, Angelorum monitis, & instructioni nostræ paterent aures, quàm fieremus perfecti!

§. 5. *Quantum sit DEI beneficium, Angelorum custodia.*

Interim *narrate mirabilia ejus! cantate Domino! benedicite illi!* & dicite cum S. Aug. in sol. c. 27. „ Beneficia magna sunt hæc, quibus nos honorificavit, dans nobis Angelos spiritus in ministerium nostrum. „ Dederat quidquid cœli ambitu continetur, „ & quasi parva reputat hæc, quæ sub cœlo sunt, nisi adderet etiam „ ea, quæ sunt super cœlos. Ut tanquam fidi comites, nos tueantur, „ dormientes, stantes, & ambulantes, quiescentes, operantes. Laudent te de hoc, ô Domine, omnes Angeli tui; confiteantur tibi „ de hoc omnia opera tua; & ipsi Sancti tui benedicant tibi. „ S. Th. de Villa Nova: Exhibent enim se nobis patronos, magistros, „ pædagogos, paranymphos, bajulos, amicos, duces, & sodales, & „ omni nos officio, quo possunt, juvant: lætis applaudunt, psallentibus concinunt, pœnitentibus assistunt, solantur mœstos, relevant afflictos, sublevant lapsos, reficiunt famelicos, erigunt pusillanimes, roborant præliantes, coronant vincentes. „ Ecce! quot sunt causæ, propter quas DEUS nobis assignavit Angelos Custodes!

§. 6. *Væ viatori sine bono comite: væ homini sine Angelo Custode.*

Angelico Doctori D. Thomæ placuit hæc causa, p. 1. q. 113. a. 4. *Homo in statu vitæ istius constitutus, est quasi in quadam via, qua debet tendere ad patriam, in qua quidem via multa pericula homini imminent, tum ab interiori, tum ab exteriori, secundùm illud ps. 141. In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi: Et ideo sicut hominibus per viam non tutò ambulantibus, dantur custodes; ita & cuilibet homini, quamdiu viator est, Custos Angelus deputatur.* Væ nobis! nisi de talis viæ duce nobis providisset Deus! ô quoties cespitaremus! Angelis mandatum est, ut custodiant nos, *Alioquin* (S. Bernardus) *facilè esset incurrere vias mortis.* Ad quæ pericula alludens S. Bern. exclamat ser. 12. in ps. 90. *O triticum inter zizania!*

ò granum inter paleas! ò lilium inter ſpinas! quæ intelligenda ſunt de quavis anima, quæ, niſi illi adeſſet Angelus Cuſtos, à ſpinis ſuffocaretur: vigilant, & ſolliciti ſunt circa clientes, ut defendantur à ſpinis, id eſt, tentationibus, & ut proficiant in bono, ut ſalventur.

§. 7. *Angelorum cuſtodia debet nos inter pericula cõſolari, & timorem pellerẽ.*

An non triſtiſſima fuit mater Tobiæ, quando c. 5. v. 23. cœpit flere, & dicere: *Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & transmiſiſti à nobis: ſufficiebat nobis paupertas noſtra, ut divitias computaremus hoc, quòd videbamus filium noſtrum*, &c. ſed ſolatus illam fuit maritus ſenior Tobias, hoc argumento; filio in via nihil adverſi vel ſiniſtri timendum eſſe, dicens v. 26. *Noli flere, ſalvus veniet filius noſter, & ſalvus revertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum. Credo enim, quòd Angelus DEI bonus comitetur eum, & bene diſponat omnia, quæ circa eum aguntur; ad quam vocem mater ceſſavit flere.* Nec nobis deſunt cauſæ triſtitiæ, ſi in pericula, inter quæ verſamur, velimus oculos conjicere; ſed anchoram noſtræ fiduciæ, ad hanc veritatem, veluti petram affigamus; credamus, quòd Angelus DEI bonus comitetur nos, & diſponat omnia, quæ circa nos aguntur. S. Aug. ſer. 46. ad fratres: *Iſti ſunt, per quos ſuſtentamur, per quos in mari & in terra juvamur; per quos mente & corpore illuminamur, per quos in tribulationibus & anguſtiis conſolamur; per quos ab infirmitatibus liberamur.* Omnia, quæ circa nos aguntur, bene diſponunt. *Ipſi ſunt pro nobis contra dæmonem victoriam obtinentes; ipſi ſunt, per quos ad fletum contritionis, pœnitentiæ, & orationis perducimur, ipſi ſunt, per quos noſtra facta vel cogitata ad cælum hilariter portantur.*

§. 8. *Ingens Angelorum circa nos ſollicitudo.*

Sollicitam circa nos Angelorum curam explicant illa verba Davidis, *In manibus portabunt te. Non enim in humeris nos portant,* ut bene obſervavit Agellius, *quaſi rem, quæ oneri ſit, & quaſi non aſpicerent; ſed in manibus, in quibus quod geritur, non niſi cum honore portatur: In eo, quòd manibus portatur, geſtantis oculi defixi ſunt.* Quod vivacius in Hebraico exprimitur, *In palmis portabunt te, tanquam rem pretioſam, & à qua cuſtodienda oculos nunquam avertunt.* Quis in manibus portat annulum pretioſum, vel cryſtallinum vitrum, vel elegantem imaginem, vel aureum ſpeculum, vel radian-

tem

rem gemmam & unionem, qui non attendat, ne annulum perdat, ne vitrum vel speculum frangatur; ne imago maculetur, ne gemma cadat in lutum; longè sublimiori sensu homo est regius annulus, &c. ideo Angeli nos portant in manibus.

Venio ad alias causas, propter quas iterum ex mente S. Bonav. Deus nobis assignavit Angelos Custodes. In via enim sunt nobis quatuor necessaria, si volumus pervenire ad patriam. Nam primò indigemus gratiâ illustrante, propter potentiam cognitivam; secundò, gratiâ inflammante, propter potentiam affectivam. Tertiò, fortitudine roborante, propter potentiam operativam. Quartò, victoriâ consummante, ut perveniamus ad patriam. Videte ergo beneficia Angelorum; nam primò ab eis instruimur in accipienda scientia. Secundò, eorum precibus adjuvamur in impetranda gratia. Tertiò per eos roboramur in facienda justitia. Quartò per eos defendimur in accipienda victoria. Sic salvamur! §. 9. *Alia 4. causa, propter quas habemus Angelos Custodes.*

Modum, quo sancti Angel nobis famulantur, eleganter exposuit B. Laur. Justin. de vita solit. c. 16. *Ascendunt & descendunt, hortantur & docent, erigunt & protegunt; praecedunt & custodiunt, revelant & admonent nos; charitate fervidâ, aemulatione sanctâ, intentione piâ, exercitatione indefessâ, dilectione jucundâ, atque communicatione sincerâ.* De qua Angelica sollicitudine ait S. Th. de Villa N. *Miserantur sortem nostram, videntes periculum nostrum, & laborem vitae nostrae; quia conspiciunt nos in magno discrimine positos, in medio scilicet, inter gloriam aut gehennam; quibus aut perpetuò regnandum est, aut ardendum, & tanto discrimine obnoxios; omni sollicitudine curant, in bonam partem deflectere.* Iterum B. Laur. Just. *Semper suadent bona, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem & fletum, DEI scientiam ingerunt; timorem filialem docent, pacificant mentem, cogitationes ordinant, spei infundunt dulcedinem, occulta pandunt, custodiunt unitatem, docent diligere pacem, humilitatem sectari, & cuncta odisse, quae nôrunt repugnare virtuti.* § 10. *Iterum agit de Angelorum sollicitudine.*

Motivum tantae curae & sollicitudinis in Angelis erga hominem observavit Origenes, cùm dixit: *Dicunt Angeli inter se, si ille,* scilicet princeps militiae coelestis, si Filius DEI, *descendit, & descendit* § 11. *Motivum paticinum, propter quod*

Angeli ita amant hominem.

scendit in corpus; si mortali indutus est carne, & sustinuit crucem, & pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eja omnes descendamus de cælo, ideo & multitudo militia cælestis erat, laudantium & benedicentium DEO, *quando natus est Christus.* S. Bonav. ser. 1. de Angelis: *Vide ergo, quanta sit Angelorum charitas, qui in cælo empyreo creati, tanquam in loco sibi convenienti, & apto divinæ contemplationi, pro sua obedientia & charitate ad hominem, habitant nobiscum in terra, in loco obscurissimo, si cælo empyreo comparetur, licèt divinâ contemplatione non careant, quia Deum ubique contemplantur.*

§ 12. *Quanta sit Angelorum velocitas ut nobis succurrant Figura fuerunt Cherubini Propitiatorii.*

Figuram habemus Exodi 25. v. 18. ubi DEUS ait Moysi: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero, utrumque latus Propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum; respiciantque se mutuò, versis vultibus in Propitiatorium.* Tales spiritus sunt Angeli nostri Custodes; respiciunt DEUM, & hominem. Illum ut contemplentur, hunc, ut illi succurrant, & citò; unde alati pinguntur. Oleaster: Sunt Angeli velocissimi, cursum ad omnem plagam paratam habentes. Super alas eorum Dominus quiescere dicitur, & equitare & volare, ut adumbret nobis, quàm velox nobis in adjutorium veniat. Lyranus: Pinguntur alati, ad designandum, quòd Angeli semper sint parati ad divina ascendere, & ad inferiora descendere, secundùm Domini voluntatem; ideo volatus in medio loco disponitur, quasi ad utrumque paratus.

§. 13. *Figura alia fuit Gabriel.*

Aliam figuram habemus in Gabriele Arch. de quo Daniel ait c. 9. v. 21. *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel citò volans tetigit me, & docuit me.* Ob quam eandem causam ps. 103. v. 4. à Davide vocantur *Ignis urens.* Theodoretus, *quâ voce & efficacia & velocitas Angelorum exprimitur.*

§. 14. *Angelorum elogium ex S. Augustino.*

Finio exhortationem pulcherrimo elogio, quod sanctis Angelis Custodibus tribuit S. Aug. in solil. c. 27. Grandis est eis cura de nobis, magnus est affectus dilectionis erga nos; & hoc totum, propter honorem illius inæstimabilis dilectionis, qua DEUS dilexit nos. Diligunt nos, quos diligit Christus JESUS, &c.

EXHORT. II.

EXHORTATIO II.

Angelis suis DEUS mandavit de te, &c.
Ps. 90. v. 11.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EST prosecutio Exhortationis prioris, cum aureis monitis, de cultu, quem debemus Angelis Custodibus.

NOn potui nuper in una Exhortatione enumerare omnes causas, propter quas bonus DEUS cuivis homini, in hoc mundo viatori, assignaverit Angelum Custodem; restant plures, quas apud SS. Patres reperio, & hâc Exhortatione vobis proponere cogito. *§. 1. Propositio.*

Hanc causam proponit Venerabilis Beda: *DEUS, quoniam immundi spiritus ad pacis eversionem ubique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum, quorum præsentiâ dæmonum confringatur audacia.* Figuram vidit S. Joannes in Apoc. c. 20. v. 1. & 2. Vidit enim *Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem, ser-* *§. 2. Angeli Custodes Dæmonum infringunt audaciam.*

 pentem

pentem antiquum, qui est diabolus & satanas; & ligavit eum, & misit eum in abyssum, & clausit. Quod nisi quotidie fieret ab Angelis nostris Custodibus, quot jam ex nobis jacerent clausi in abysso æternæ damnationis! Ex historia Tobiæ patet, quòd Sara filia Rachelis viderit septem maritos primâ nuptiarum nocte à dæmonio Asmodæo strangulatos; sed quamprimùm novus Sponsus, junior Tobias, ejus ædes fuit ingressus cum Archangelo Raphaele, hic *apprehendit dæmonium, & relegavit illud in deserto Ægypti Superioris,* Tob. 8. v. 3. Eodem modo piscis, qui Tobiam in via devorare voluit, dæmonem repræsentat, qui quidem animabus nostris interitum minatur; sed per auxilium & assistentiam Angelorum strangulatur, hoc est, vires ejus enervantur tam diu, donec in fine vitæ hominis justi, rursum in abyssum, ignemque infernalem relegetur. Angelus verò bonus animas nostras deducat in regna cœlorum.

§. 1. *Quare dæmones vocentur aspides, basilisci, &c.*

In hoc discursu celebris est versus 13. psalmi 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Pulchrè super hunc versum ait nobilis Interpres: *Sermo est de nequitiis spiritualibus, quæ ex diversis officiis, vel potiùs maleficiis, diversa vocabula sortiuntur; alius aspis, alius basiliscus, alius leo, alius draco; quod scilicet variè noceant, alius morsu, alius visu, alius rugitu vel ictu, alius flatu.* Per aspidem intelligit peccatorem obstinatum, quia venenatæ hujus bestiæ proprietas est, quòd dum incantatur, unam auriculam caudâ suâ obturat, aliam verò terræ firmiter affigat: cauda hæc est finis vitæ, quem peccator considerare recusat; terrâ alteram occludit aurem, terrenis intentus. Per basiliscum intelligit invidiam, per draconem iracundiam, per leonem, insatiabilem bestiam, carnalem concupiscentiam. Ex mente Bellarmini, *hi aspides, hi basilisci, hi dracones, hi leones sunt ipsi dæmones, qui nostram cupiunt perditionem, tanta illis inest animarum sitis, ut pereant;* quis non timeat? nolite timere! *Angeli è converso has truculentas bestias à nobis abigunt, atque pro nobis decertant adversus eas, ac veluti parvulos suâ protectione tuentur.* B. Laur. Iustin. *Angelorum impenduntur ministeria, ne satanæ seducti astutiâ, sive carnis illecti blanditiis aberrent, & à veritatis semita gressus reflectant mentis.* S. Bern.

Diabolo

Diabolo instigante, in animam ingrediuntur iræ, rixæ, odia, &c. Sed hæc reprimunt Angeli Custodes. Orig. Ne dæmonum potentia prævaleat, prospexit divina providentia, ut parvulis quibusque, qui dimicare non possunt, daret Angelos pædagogos & propugnatores, de quibus dicitur, Angelis suis, &c. sub quorum præsidio anima est tuta.

§. 4. *Quàm tuta sit anima sub Angelorum custodia.*

Hactenus semper per foramina petræ, & cavernas maceriæ, in quibus Sponsus ait latere suam amicam, suam sponsam, suam columbam, intellexi Vulnera Crucifixi, in quibus anima pia tutam reperit quietem. Non tamen propterea mihi displicet Cassiodorus, dum ait: *In caverna maceriæ moratur, qui præsidio Angelorum undiq; circumdatur, & à tentationibus diaboli custoditur.* Et B. Petrus Dam. lib. 7. ep. 19. ad illud Is. 5. *Maceria circumdedit.* Quid ergo per maceriam lapidum, nisi præsidium & excubias intelligimus Angelorum? quibus videlicet anima in certamine posita, dum vallatur, atque circumdatur, & à tentationibus diaboli custoditur. „ S. Basilius in ps. 13. utitur hoc simili: Sicut muri civitatis circumducti, omni ex parte abarcent, propulsantque hostiles insultus, sic & Angelus te præmunit à fronte, & à tergo custodit, nihil utrimque incustoditum relinquens; & sic tartareas potestates facillimè devincere possumus.

§. 5. *Quia diaboli in supremo agone nos maximè tentant: ideò tum maximè indigemus Angelorum custodia.*

In qua spirituali pugna hanc circumstantiam advertere debemus; quando nimirum infernales spiritus hominem potissimùm impugnent, & hoc ex versu 12. capitis 12. Apoc. *Descendit diabolus ad nos, habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet.* Sermo est de agone hominis ultimo, in quo hoc spirituale prælium erit maximè formidandum, ut justissimum sit, nos sollicitos esse, ut tunc quoque Angeli Custodes nobis assistant, qui generosè nos defendant. Pia cogitatio est, ideo Christum D. in suprema lucta in monte Oliveti voluisse sibi de cœlo assistere Angelum confortantem, quo assistente prolixiùs cœpit orare; sicque confortatus, hostibus obviam processit in mortem.

§. 6. *Quare Christo D. in illo agone apparuerit Angelus.*

S. Lucas ait c. 22. v. 43. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum, & factus in agonia prolixiùs orabat.* Verùm enimverò, quânam consolatione is indiguit, de quo frequenter dicitur, quòd

quòd sit DEVS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione! quânam confortatione, qui est *Dominus exercituum?* Respondet quæstioni S. Gregorius, cùm ait: *Nostra mortis in se certamen expressit, dùm æterno Iudici appropinquamus.* Ideo paulò antè dixerat: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Sciebat enim diabolum in illo mortis articulo, non solùm contra se, verùm etiam adversus omnes fideles insurrecturum, ac laxandum esse; ac proinde nobis indicare voluit, curandum nobis esse, ut ad ipsius imitationem Angelos nobis assistentes habeamus, qui nos consolentur, & confortent, & in sanctis cogitationibus nos stabiliant. Unde S. Aug. cit. ait: *Isti sunt, per quos, & à quibus in extremis in fide solidamur, & à maligno spiritu defensamur, & obtentâ victoriâ per eosdem deportamur.*

§. 7. *Varia monita ex SS. Patribus.*

Placent in hoc discursu mihi aurea quædam monita SS. Patrum, v. g. illud S. Chrysostomi hom. 8. in Matth. Omnes enim „ Angeli erunt cum ipso, (scilicet agonizante) testantes, quot „ quantaq; ministeria, nobis exhibuerint; pro solatio electis, pro „ terrore impiis. Ita horroris undique dies ille plenus futurus est. „ Et illud B. Laur. Justin. ser. de S. Mich. Observemus illos, quan- „ do suum erga nos exhibent ministerium; quatenus operum eo- „ rum non simus ignari, & ingrati, ut gaudeant & ipsi, minimè er- „ ga nos in vacuum laborasse, seu cucurrisse. „ Abulensis: Tra- „ huntur in judicium pro peccatis hominum, non tanquam rei, „ sed tanquam testes contra homines, & obstinatos peccatores. „ Orig. Duplicabitur pœna, pro contemptu monitoris, & pro „ facinore.

§. 8. *Aliud ex Origene.*

Audiendus etiam est Origenes hom. 2. in Joan. ubi ait: Cave homo, ne quando relinquat te Medicus, sive Angelus DEI; ma- „ nifestum, quia abscessio eorum, condemnatio tua sit, ut irreme- „ diabilis, nolentisque curari; cùm autem te deseruerint, quid ti- „ bi aliud eventurum est, nisi quod solet his accidere, qui à Medi- „ cis desperantur, utentes voluntate morbi sui, ut ad pejora demer- „ gantur. „ Quem modum loquendi, vel quas minas nonnihil mitigat Abulensis in c. 18. S. Matth. ubi ait: Tamen adhuc pro illo „ tempore, quo Angeli dicuntur impios deserere, non penitus eos „

dese-

deſerunt, quin aliquem defectum cuſtodiæ exhibeant circa nos; „ nam licèt à peccato non liberent, (propter clientis culpam,) li-„ berant tamen à periculis exterioribus. Dæmon namque ita in-„ videt homini, & odit ipſum, quòd ſi ad punctum inveniret peni-„ tus deſertum Angelico præſidio, occideret eum.„ Quid ergo accidet miſero peccatori, cùm tandem in ſupremo illo agone, in illo momento, à quo pendet æternitas, deſeretur? Obſervemus &c. (Eſt locus pro pulchro affectu.)

Ex quibus monitum aureum infert S. Bernardus ſer. 12. in pſ. 90. *Vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Quantam tibi debet hoc „ verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fi-„ duciam. Reverentiam pro præſentia, devotionem pro bene-„ volentia, fiduciam pro cuſtodia! Cautè ambula in omnibus viis „ tuis, in quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reveren-„ tiam habe, tu ne audeas illo præſente, quod vidente te non au-„ deres.„ An præſentem eſſe dubitas, quem non vides, licèt non videas, aſſiſtit ille tibi, numerans omnes greſſus, &c. §. 9. *Aliud ex S. Bernardo.*

Denique moneo, ut memores ſimus, quinam illi ſint, quibus ſancti Angeli Cuſtodes cum gaudio aſſiſtunt & inſerviunt; qui e-nim vitam vivunt Angelorum, ſive, ut S. Paulus loquitur, quorum *converſatio eſt in cœlis*, rectè Angelorum conſortium merentur. *In his maximè exercere nos debemus, in quibus novimus Angelos oblectari.* Oblectantur autem ab illis, qui puritatis & innocentiæ candore illis aſſimilati, orationi & contemplationi vacantes, à mundi ſtrepitu & tumultu ſequeſtrati, in abſcondito abſconſi, illorum aliquale commercium & colloquium merentur. *Si vis ergo & tu habere miniſterium Angelorum*, (S. Bern.) *fuge conſolationes ſæculi; renuat anima tua conſolari in aliis, ſi vis in DEI memoria delectari.* S. Ambr. ſer. 87. *Quid mirum, ſi auxilium meretur de cœlo, cujus animus in cœlo ſemper eſt.* Quærit Alb. M. qualiter Jacob invaluerit contra Angelum, cum quo totâ nocte fuit luctatus, & reſpondet: *Lachrymis & oratione, quaſi duobus brachiis Angelum ſtrinxit.* Eleganter B. Laur. Juſtin. l. de obed. c. 7. *Nunquam laſſantur ab opere ſalutis noſtræ, potiſſimè ſi proſpexerint, nos DEVM diligere, devotioni inſiſtere, ſectari virtutes, ſpiritualiter converſari, mundum* §. 10. *Quibus Clientibus Angeli Cuſtodes libenter aſſiſtant*

ſpernere, æquanimiter adverſa tolerare, terrena calcare, & deſiderare cœleſtia. In his oblectantur Angeli. Locum hîc habet illud S. Joan. Chryſoſtomi, or. 2. de prec. *Qui ſe voluptatibus mancipat, is reverà dæmonibus familiariter utitur, eorum inſaniam æmulatur; at contra is, qui puritatem & caſtitatem colit, Angelis familiaris efficitur, & ad eorum amplitudinem contendit.* Velut enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit, ſic Angelum vitæ noſtræ cuſtodem abigit graveolens peccatum. Adeo, ut Angelus S. Antonio de compto adoleſcente, ſed voluptatibus dedito, dixerit: *Ille juvenis laſcivus plus fœtet in infinitum coram DEO, & Angelis, quàm quodcunq; cadaver coram hominibus.*

§. 11. *De gratitudine, quam debemus Angelis Cuſtodibus.* Loco concluſionis non judico me utiliorem poſſe proponere quæſtionem, quàm illam Tobiæ cap. 12. v. 2. *Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum eſſe poterit beneficiis iſtis?* quod Tobiæ junioris parentes tam ſeriò ex Archangelo Raphaële quæſiverunt, ut rogare cœperint, v. 4. *ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere*; reſpondebo quæſtioni cum ipſo Raphaële, v. 6. *Benedicite DEUM cœli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, qui fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.* Hoc ſcilicet unum, pro tot & tantis beneficiis illis in grati animi ſignum offerre poſſumus, ut DEUM laudemus. Ut hoc fiat, audiendus eſt B. Laur. Juſt. Noli ô homo tale Conditoris negligere munus; noli Cuſtodis tui ,, Angeli benevolentiam ſpernere, ſuffragium abjicere, & ignorare ,, conſilium. Sta ſuper cuſtodiam tuam, & dum oras, legis, ſedes, ,, ambulas, loqueris, vel aliud legis, attende diligenter, aſſiſtunt tibi ,, Angeli, à dexteris boni, à ſiniſtris mali, eorum ſinguli ut te rapiant ,, ad ſe, illiſque conſentias. ,, S. Aug. Angelus bonus hortatur nos ,, ad bonum, quod dum agimus, ipſum à dexteris nobis eſſe credamus; cùm verò mali aliquid cogitamus aut facimus, hoc nulli dubium, quin malum Angelum hortatorem habeamus, qui ſuper ,, hoc nos gaudens irridet. Cùm verba otioſa dicimus, aut quid mali facimus, diabolicum conſilium eſt. Cùm autem ingemiſcimus, ,, aut pro peccatis noſtris ſuſpiramus, aut opera virtutum facimus, ,, tunc Angelum DEI ſanctum adminiſtratorem, & conſiliatorem ,, habemus: ,, cujus vocem ſi audiamus, à ſemita ſalutis nunquam aberrabimus.

TRACT. V.

TRACTATUS QVINTUS, DE SANCTIS è SOCIETATE JESU.

DE S. PATRIARCHA IGNATIO LOYOLA, FUNDATORE SOC. JESU, EXHORTATIO.

Amate DEUM ex toto corde, Axioma S. Ignatii.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

QUanto fervore & ardore S. Ignatius amaverit DEUM.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *In S. Ignatio fuit spiritus amoris.*
§. 3. *Quia omnia fecit ex motivo amoris.*
§. 4. *In omnibus connitendo ad summam perfectionem.*
§. 5. *Prosecutio.*
§. 6. *Aurea regula amoris est, amore DEI multa pati.*
§. 7. *Alia regula est, ardenter orare.*
§. 8. *Amoris divini proprietas est, velle, ut omnes Deum ament.*

§. 1. *Propositio.* BRevis Panegyris, quam dicere cogito in honorem S. P. N. Ignatii, Vobis proponit, Reverendi Patres, aureas quasdam Regulas, secundùm quas Vir sanctus conatus fuit quotidie crescere in exercitio perfectissimi & ignitissimi amoris erga DEUM, secundùm omnem amoris dimensionem, latitudinem, longitudinem, altitudinem & profunditatem; ut ex dicendis mox patebit.

§. 2 *In S. Ignatio fuit spiritus amoris.* S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis revelavit DEUS, delectari se suavissimè in anima S. Ignatii; vel ut alia habet visio, S. Ignatium Christo valde placere, eò, quòd ejus spiritus, fuerit spiritus amoris, & charitatis in DEUM & proximum. Hic spiritus illi dictavit aureas illas Regulas, juxta quas conatus fuit amare DEUM.

§. 3. *Qui omnia fecit ex motivo charitatis.* Aurea talis Regula fundata fuit super intentionem, quâ conatus fuit omnia facere, ex amore divinæ Majestatis; quâ mediante, in omnibus operibus ejus resplenduit interna charitatis & amoris illius lex, quam Spiritus S. scribere, & in cordibus imprimere solet, ut omnes actiones, etiam particulares, semper sincerè id spectarent, servire & placere divinæ bonitati, propter se ipsam. Adeo ut S. Ignatius nihil egerit, nisi quod credebat summè placere DEO. Sæpiùs ita fuit auditus loqui: *Sine intermissione in amoris igne* DEO *sacrificanda sunt omnia, quæ agimus, ut ei placeant: ut in omnibus illum solum amemus.* Apparuit aliquando Christus D. S. Brigittæ, & mandavit dæmoni, qui etiam aderat, ut inspiceret cor Sanctæ, & fideliter referret, quantum illa se amaret; obedivit dæmon, & respondit: *Video vinculum ardens descendere à te in eam, quod sic cor ejus obligat, ut nihil aliud cogitet, vel amet, quàm te.* (Fiat p. applicatio ad S. Ign.)

§. 4. *In omnibus connitendo ad summam perfectionē.* In amando DEO, sancti Ignatii hæc quoque fuit aurea Regula, in omnibus conniti ad summum & perfectissimum DEI amorem; sive, amare DEUM amore ferventissimo, secundùm ultimum

&

& summum quod potest amor, ut tendat ad unum, quiescat in uno, propter unum. Minimum actum amoris, quem eliciebat S. Ignatius, cupiebat fieri, omni contentione, quâ posset, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota fortitudine, & ex omnibus viribus, cum innumeris repetitionibus; quot passus faciebat, quot verba proferebat, quoties respirabat, quoties in cœlum suspiciebat, quot lachrymas ex amorosis & igneis oculis effundebat, toties amare, & semper ardentiùs amare desiderabat. O igneam scalam sancti amoris! beatus qui per eam ascendit ad cœlum, semper amando, & iterum amando; & iterum, iterumque perfectiùs, hoc est, amore ferventissimo! Quantum S. Ignatius potuit, tantum amavit. Hanc sibi præscripserat Regulam, conniti ad amorem perfectissimum. Cùm enim objectum amoris, DEUS sit bonum infinitum, potentiæ finitæ nunquam deest locus, quin plus ultra progredi possit. Operabatur magna, & reputabat parva; operabatur multa, & reputabat pauca; operabatur diu, & reputabat brevia; ut Sol non sentit fatigationem, dum lucet: neque ignis dum calefacit, vel dum ardet; sic Ignatius lucebat in omnibus actionibus instar Solis, ardebat instar ignis, sine defatigatione. Sic dies & noctes pergebat amare Ignatius, quantum poterat.

Ex hac Regula, altè menti impressa, vegetum quendam animi vigorem concepit, ad summam diligentiam in iis, quæ DEI causâ faciebat, adhibendam. Dicebat de S. Ignatio Didacus Miro, ipsi familiaris, semper illum disquisivisse, quid esset, quod fieret DEO magis gloriosum & jucundum. Voluisse illum filios suos non esse contentos, ut ea, quæ agunt, agerent quoquo modo ex amore DEI, sed ut impulsu divini amoris ad id conniterentur per actiones internas & externas, unde maxima in DEUM gloria redundet. Mensuram voluntatis volebat esse, *ut facias, quantum potes.* Ita scripsit ad S. Xaverium: *Precor supremam DEI bonitatem, ut nos suâ gratiâ dignetur, quo & perspiciamus, quod ei summè placet, & hoc cumulatiùs exequamur. O Xaveri! ad summa connitamur.* Adverterat Vir sanctus aliquem Coadjutorem negligenter facere, quod faciebat; itaque ex illo interrogaverit, quare, vel quo fine ageret, quod agebat? Respondit: *Amore DEI.* Ad quod S. Ignatius, *Certè, si hoc* §. 5. Proje ...

si hoc facis amore DEI, mereris pœnam non levem, quòd amore tanti Domini tam obiter hoc facias, quòd si faceres hominum causâ, excusari posses fortassis. Ipse certè Ignatius adeo ardebat amore illo actuoso, ut diu noctuque animo aliud non volveret, nisi, quâ ratione DEO maximè placere posset. Nihil illi erat durum vel asperum, modò id amantissimo suo DEO placere, sibi persuaderet. Juxta eandem hanc regulam, in deliberando semper illud eligebat, in quo majus DEI bonum, & gloria apparebat.

§. 6. *Aurea regula divini amoris est: amore DEI multa pati.*

Alia regula perfectissimi amoris ita habet: *Amore DEI multa pati.* Et hæc regula mirum in modum placuit S. Ignatio: patiendo enim, sentiebat se crescere in amore DEI. Cùm conjectus in carcerem inviseretur ab amicis, omnes ad amorem DEI ardentibus verbis excitabat; negans, Salmanticæ tot esse compedes & catenas, quin ipse longè plures amore DEI gestare percuperet. Semper in iis se exultare sentiebat, ac majore divini amoris, & majora „ perferendi, desiderio accendi, dicens, immensos thesauros latere „ in cruce, neque ullo ligno ignem divini amoris ali meliùs, ac ve- „ hementiùs accendi, quàm ligno crucis. Si, quidquid pretiosa- „ rum rerum creavit DEUS, in bilancis parte altera collocaretur, & „ in altera carceres, catenæ, probra, quæ passus fuerat amore DEI, „ malle se hæc præ illis pretiosis & magnis; hæc se præ illis electu- „ rum. „ Pretiosus ignis & calor divini amoris, famem & sitim patiendi in S. Ignatio ita accenderat, ut jacens in lecto, inter graves dolores exclamaverit: *Quid dulciùs? quàm pati & mori propter amorem Christi DEI. O Domine! adde flagella, quia tu præ amore nimio atrociora pro me innocentissimus passus es.* Et: *In solo Christo, & ejus cruce reperitur vera consolatio atque lætitia.* Petente Hieronymo Natali, ecquod esset brevissimum ad perfectum amorem DEI compendium? Respondit Ignatius, *Multa pati pro amore DEI.* Ajunt Seraphinum Crucifixum, qui apparuit Seraphico S. Francisco, dixisse: *Francisce, quid petis?* respondit, *Amorem!* & Vir sanctus, aspectu Crucis & Crucifixi, in amore totus exarsit. Viri hujus sanctissimi exemplo S. Ignatius amorem quæsivit, & invenit in cruce.

§. 7. *Alia regula*

Aurea regula amoris S. Ignatio fuit fervens & ignea oratio.

In

amoris est, ardenter orare.

In omnibus, sed potissimùm orando conatus fuit inflammare suum amorem: tanto ardore, ut sæpè toto corpore ardere videretur, ac sæpè conspiceretur, splendido igne circumdatus, & elevatus à terra: fluentibus lachrymis, divinum quiddam, more insolito, in claro lumine, vel in ignea flamma, sentiens; adeo ut circumstantes adverterent, cor gaudens & ardens habitare in pectore S. Ignatii. Ipse de se scribit, se in oratione & colloquio cum DEO - interno DEI afflatu ad amorem DEI adeò fuisse commotum, ut explicare non posset. Hinc ait, *Amor tantus, ut viderer mihi supra omnem modum cum ejus amore conjungi excellenti & rarâ gratia, intensissimi, lucidi, dulcisque amoris.* Ad nutriendum hunc amorem, assueverat jaculatoriis aspirationibus, ut etiam v. g. obviis flosculis, veluti totidem facibus inflammaret cor, & ad DEUM suspiraret. *Stanti mihi ad focum,* ait (fortè in ardentibus carbonibus scintillas agnovit divini amoris) *redibat iterum in oculos IESVS. IESVM audiens ac videns, tanto amore incendebar, ut nihil tam potens fore putarem, quod ab illo me sejungeret.* In Commentariis à S. Ignatio perscriptis, variæ tales reperiuntur aspirationes, v. g. *millies, millies* suspirabat, *Vt amem te! cujus amoris præmium non aliud quæro, quàm ut magis amem.* Et illæ: *Nil suggerat memoria, nisi de tua gloria: nil intellectus sapiat, præterquam ut te capiat. Protestor, nihil velle me, nisi quod sciam velle te. O DEVS! da, ut amem te; hoc dando, dabis omnia.* Similibus aspirationibus, & quasi jugi, atque continua oratione S. Ignatius tantum profecit in amore DEI. Attendendum proinde est filiis S. Ignatii, ut omni studio incumbant in studium orationis. Sine oratione languet amor, torpet spiritus.

§. 2.

Amoris divini proprietas est, velle, ut omnes DEVM ament.

Juxta aliam regulam, non erat S. Ignatius contentus, ut ipse DEUM ardenter amaret, sed eodem ardore desiderabat omnes homines amare DEUM. Hæc regula illi dictavit illud axioma, quod inter prima Societati JESU data documenta primo loco posuit. *Custodiamus cor purum in amore DEI, ita ut nihil amemus nisi DEVM; & cum proximo desideremus agere, non solatii nostri, sed amoris divini causâ.* Hæc regula dictavit illi literas, quas alicui scripsit, qui minatus fuerat, se omnes, qui in Hispania essent Jesuitas, igni traditurum; hoc tenore: *Opto, ut & tu charitate flagres, & amici tui, ac necessarii,*

cessarii, qui in universo terrarum orbe sunt, Spiritus sancti igne inflammentur, ac ardeant. Inter monita, quæ Jacobo Laynes ac Sociis, ad Concilium Tridentinum profecturis, data, suadet, in concione, ac aliàs, magno desiderio conentur, inflammare animas in amore DEI Creatoris ac Domini, explicando verum sensum præcepti de diligendo DEO. Ejus Socii, cùm catechesin in publico foro, in plateis & templis exponerent, observarunt, illum suas exhortationes semper absolvisse his ferè verbis: *Amate DEUM toto corde, totâ animâ, totâ voluntate.* Dicebat verò hæc ardore tanto, ut corda inflammaret. Uni ex proximis cognatis suis ita scripsit: *Iterum te rogo, per amorem & reverentiam DEI Domini nostri, pone totam diligentiam in eo, ut quemadmodum Majores nostri conati sunt in rebus aliis excellere, ita tu eminere contendas, in eo quod semper durabit, in amore DEI.* Ex quibus liquet, quòd S. Ignatius conatus fuerit omnis generis homines inflammare in amore DEI, adeo ut ad Socios auditus fuerit dicere: *Ite, & mundum inflammate.*

§. 9. *Igneus amor S. Ignatii erga DEUM fuit altissimus & profundissimus.*

Notandum porrò est, S. Ignatium omnes enumeratas Regulas ita habuisse præ oculis, ut in earum exercitio, sive ut in omnibus dictis & factis attenderet ad amoris divini dimensiones, secundùm altitudinem & profunditatem, latitudinem & longitudinem; Clariùs loquar: Igneus amor S. Ignatii fuit altissimus, attingens altissimam DEI Majestatem; cujus tantam fuit assecutus cognitionem, & de immenso illo bono æstimationem, ut illa à me verbis exprimi non possit. Ideo sæpiùs totus igneus, & splendore mirabili circumfusus, atque divinitùs à terra sublimis, in aëre pendens, sive instar Seraphini volitans, fuit visus, & auditus hæc ignea de igneo corde verba proferre: *O DEUS meus! Domine mi! DEUS cordis mei. O si te homines nôssent!* Ipse in quodam commentario de se scribit, quòd quâdam feriâ sextâ, tam lucidam de DEO habuerit cogitationem, quæ ejus animum penitùs penetravit; & à qua didicerit, cum quantis reverentiæ & observantiæ affectibus, (ecce amoris profunditatem) cum quanta humilitate, & animi, corporisque, interna & externa demissione, pronuntiandum sibi esset hoc nomen DEUS! in quo tanti absconditi sunt thesauri. Ideo iterum de se scribit: *Nomen illud intimè me permovebat ad obsequium, demissio-*

missionem , & reverentiam admirandam , quam explicare non possum.

In quo propriè perfectio hujus altæ cogitationis, cognitionis & æstimationis de DEO consistat, eleganter nobis proposuit S. Augustinus hâc quæstione: *Quid amo Domine, cùm amo te! amo forsan pulchritudinem corpoream, fragrantiam, suavitatem, melodiam, verbo, complexionem omnis boni creati: Non! non! non sunt hæc objecta digna mei amoris! vel quæ illum poßint satiare. Quid ergo amo, ô DEUS, cùm te amo? fortaßis lucem, odorem, &c. Non! non! creata sunt, finita sunt! solus Deus, est bonum increatum, infinitum, incomprehensibile! Omnes creaturæ respondebunt, Non sumus nos, quod quærere debet tuus amor, quære super nos, & solum DEUM.* Hæc eadem fuit mens S. Ignatii, cum altissimis cognitionibus, & cum profundissima humilitate amare solum DEUM. § 10. *Perfectus amor cognoscit, quid debeat amare.*

Latitudinem amoris, & ejus longitudinem, quo in omnibus & semper, & sine fine, in omnem æternitatem desideravit amare DEUM, sæpiùs insinuavi. Longitudinem quod attinet, hoc addo paradoxum, & dico ; S. Ignatius desideravit in inferno amare DEUM! Inferni enim tormenta meditatus, dixit sibi, *Si istic esset acerbiùs multò futurum, audire maledicta in DEI nomen, quàm omnia tormenta inferni.* An non hoc est amare DEUM, & ipsis inferni flammis amorem DEI in se magis accendere. § 11. *S. Ignatius desideravit amare DEUM in inferno.*

Sed quid S. Ignatio cum inferno? vivit in cœlis, & æternùm DEUM amabit. Amabilis visio objecta fuit Viro sancto, anno 1598, 17 Iunii, in qua visus est in gloria, cum beatissima DEI Matre, rutilanti facie, Christo in aurea sede sedenti, & quinque pulcherrimis vulneribus splendido, Societatem offerens, ac pro ea flagrantissimum DEI amorem genibus flexis petens. O S. Ignati, &c. (Fiat affectuosa apostrophe, ut &c.) § 12. *Epilogus.*

DE S. FRANCISCO XAVERIO, INDIARUM APOSTOLO, EXHORTATIO.

Laudetur & ametur DEUS. Axioma S. Xaverii.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

OStendit Exhortatio, quàm S. Franciſcus Xaverius in amando DEUM fuerit magnanimus, fortis & generoſus. Miſcentur varia Sancti elogia. Statuuntur talis amoris magnanimi, fortis & generoſi, baſes, ſive fundamenta.

§. 1. Dilectio, ſive amor

S. Auguſtinus T. 9. librum ſuum de diligendo DEO ita orditur: *Vigili curâ, mente ſollicitâ, ſummo conatu decet nos inquirere,*

re, & addiscere, quomodo, & quâ viâ possimus infernale supplicium vitare, & cœleste gaudium acquirere; Dilectio via est! Charitas excellentissima via est! Quis in hac via est? qui diligit DEUM. Ostendi priore exhortatione, quàm ardenter S. Ignatius DEUM dilexerit, itaque viam ostenderit ad cœlum. Hâc exhortatione idem ostendam de S. Francisco Xaverio. Si illum imitemur, si ipsius exemplo diligamus DEUM, certò nobis persuadere possumus, nos esse in via ad cœlum, sine omni timore inferni.

DEI, est via via ad cœlum.

Ut itaque perfectionem divini amoris, quo flagravit S. Xaverius, dum viveret in terris, vobis proponam, assero primò, S. Xaverium in amando DEUM fuisse magnanimum, fortem & generosum. Talis est amor, ut sit magnanimus, fortis & generosus; tales itaque reddit amantes, ut ipsi quoque sint tales. Distinguuntur autem hæc tria in hoc; nam ex mente S. Gregorii Nazianzeni, orat. 4. *In iis rebus, quas audacter aggredi convenit, magnum & præsidentem animum gerere, magnanimitatis est; sicut è contra languere, ac periculum detrectare, timiditatis & ignaviæ.* Fortitudo, ex mente S. Augustini, est *Amor, omnia propter DEUM facilè perferens;* unde Angelicus Doctor S. Thomas ait: *Magnanimitas est summus conatus virium nostrarum ad agendum; fortitudo verò summus conatus ad sustinendum.* Amorem verò generosum Tullius in hoc constituit, *ut quidquid serpit, statim respuat.* Amor hic facit cor excelsum, ut contemnat modica, nec sit contentum mediocribus, anhelet autem ad summum. Quamdiu amor DEI versatur in medio temporalium & æternorum, habet temporalia in usu, æterna in desiderio; considerando quòd temporalia, quoad ea, quæ habent à se, nihil sint: quoad ea, quæ habent à DEO, prope nihil, utpote guttæ tantùm participationis divinæ. Ex quo amore S. Fr. Borgias dicere fuit solitus; *De nihilo nihil curo, de nihilo nihil volo.* Si de æternis & DEO sit quæstio, ait contrarium, *Totum volo.* Nullâ parte sum contentus, totum volo, ut cum Seraphico S. Francisco dicere possim: *DEUS meus & omnia, DEUS meus, & totum meum.* Hic est amor generosus, respuens terrena, ut æterna & DEUM amet.

§. 2. S. Xaverius in hac dilectione fuit magnanimus, fortis & generosus.

Amoris magnanimi naturam in variis, quas sacræ paginæ nobis

§. 3. Explicatur

pulcherrima de triumphatis hostibus trophæa erexit. O Mathatiam! O magnanimum pugilem, cujus radiantem vultum, & scintillantes oculos, licèt solus pro suis staret, integer exercitus ferre non potuit. O Heroem! qui intra breve tempus solus cum puerorum exercitu, quadraginta millia idolorum ausus fuit confringere, & in cumulos congesta comburere, eorumq; loco ubique Crucis trophæum erigere! Itinera ejus considerate, ex Europa in Orientem, in Oriente ex uno regno in aliud, &c. Considerate discrimina & pericula, terrâ, marique, quæ pro gloria DEI non timuit, & dicetis, amorem S. Xaverii fuisse magnanimum.

Amice Lector, habes hîc locum, ut uno aut altero paragragrapho ex Vita S. Xaverii facias conglobationem cum figuris Rhetoricis, per heroica opera, quæ amore DEI aggressus fuit S. Xaverius ad prædicandum Christi Evangelium, in India, in Iaponia, Insula Maurica, ad regnum usque Chinense; in qua ultima expeditione, magnus ejus animus labore succubuit, & pretiosâ morte ex terris abiit in cœlum, magnanimus DEI sui amator. §. 6. Admonitio ad Lector.

Jam, quàm amor S. Xaverii fuerit fortis, videamus; cùmque hic in gravibus & acerbis pro Christo ferendis, consistat, citò patebit, S. Xaverium fuisse heroem fortissimum, ejusdem opinionis cum S. P. Ignatio; Compendiosam ad amoris perfectionem viam esse, tolerantiam laborum & tribulationum; *Arbores,* inquit S. Chrysostomus in ep. ad Hebr. *quò magis à ventis agitantur, eò sunt fortiores & densiores.* Cogitemus idem accidere homini amanti DEUM, qualis fuit S. Xaverius, in agro Domini fortissima quercus. Amor fortis rectè comparatur rupi, quæ fluctibus tunditur, & erecta semper in cœlum verticem suum porrigit, quam nec tonitrua, & fulgura, nec undarum latratus, nec incumbentes venti tantillum movent, ut aliquis pro elogio tali rupi bene inscripserit, *Nec fulmine, nec flamine, nec flumine.* Resistit enim istis omnibus, ut §. 7. Explicatur in particulari, quàm fortis fuerit amor S. Xaverii.

dura cautes, undique intractabilis; imò secundùm S. Chrysost. ep. 7. ad Olym. *Quò vehementiore impetu in illam fluctus ruunt, eò magis infringuntur & disparent.* Talis rupes fuit S. Xaverius! Hominem DEI amantem, ut columnam depingit S. Greg. Naz. dum S. Hieronem alloquens, *Ita te geris, inquit, ut fortitudinem, velut in columna sculptam, omnibus spectandam proponas.* Amor enim Dei sanctus, amantes facit ferendo, patiendo, firmiores, sublimiores, invictos, & inexpugnabiles: adde, ut alibi vocat, *adamantinos*; quòd duritiâ adamantem imitentur, cujùs natura ferro & ignibus est inexpugnabilis; utriusque semper victrix. Talis columna, talis adamas fuit S. Xaverius.

§. 8. *Quàm avidus ad perferendas ærumnas.* Quis Viri fortissimi sensus fuerit in perferendis laboribus, ærumnis, & persecutionibus, scriptæ ejus epistolæ satis declarant, v.g. cùm scribit: *Ærumnæ, verbo, omnia incommoda, si DEI causa, hoc est, ex ejus amore subeantur, ut par est; profectò magna solatia sunt, & materia multarum, magnarumq; voluptatum cælestium. Incommoda hæc Christi D. N. causâ suscepta, thesauri sunt, solatiis cælestibus refertissimi.* Et breviter, sed nervosè: *In incommodis mirè gustatur DEUS!* quid pulchriùs scribere potuit! Itaque S. Xaverius, cùm v.g. à diabolis verberibus fuit exagitatus, tum gustavit DEUM. Cùm nudipes, laceris pedibus, sanguineis passibus, per Japoniæ gelu horrentia juga per sylvarum rubos & spinas, quæsivit animas, tum gustavit DEUM! (hoc modo poterit fieri elegans inductio,) & adeo gustavit, ut dum divinitùs de cœlo illi ostensæ fuerunt cruces, & in illis ea, quæ pro Christo sibi patienda forent, ignitâ linguâ exclamaverit: *Ampliùs Domine, ampliùs!* Addo unicum ejus aureum epiphonema, *Christianum est, in Cruce magis, quàm in quiete lætari!* Itaque quies S. Xaverii fuit Crux Christi, sive pro Christo multum laborare & pati! Quàm dulcis fuerit hæc ejus quies, satis ostendit, cùm Dei amore accensus, vultu inflammato, oculis in cœlum defixis, & divinitùs è terra elevatus, quasi in cœlum, (ubi erat thesaurus ejus, & cor) etiam corpus raperetur; ac sæpè non valens resistere, abundantiæ dulcedinis divini amoris, exclamavit, *Satis est Domine: satis est!*

§. 9. *S. Xaverius* Hæc divinæ dulcedinis redundantia in S. Xaverio ita ab omnibus

nibus, quibuscum agebat, notata fuit, ut dicerent, adeo illum plenum esse, atque ebrium amore DEI, ut nihil aliud, etiam in gravissimis ærumnis adverteretur, quàm invincibilis Dei amor. Verba ejus erant perpauca, sed redundabant sensu pietatis; præsertim cùm SS. Trinitatem nominaret; vel dum in ignea hæc verba erumperet: *O fratres mei! ô mei Socii! meliorem Deum habemus, quàm cogitamus!* Ex ore illius vix aliud erat audire, quàm *laudetur Deus*; idq; cum tanta ferventis amoris significatione, ut non tantùm audientes accenderet, verùm etiam ii, qui tantùm videbant illum, sentirent se inflammari desiderio, serviendi DEO.

DEO fuit plenus, & ejus amore ebrius.

§. 10. *Inflammata ejus suspiria.*

Intimam & dulcissimam amoris flammam, quâ cor S. Xaverii flagrabat, prodebant scintillæ affectuum crebræ, & precum ignita jacula; non tantùm de die inter arduos labores, & inter patiendum, sed per nocturnam quietem, dormiendo, vigilando suspiraret, *O mi IESV! ô dulcis IESV! ô IESV cordis mei!* Observatum fuit, per rimas cubiculi è palmæ frondibus contexti, in quo habitabat, præsertim supremo vitæ die appropinquante, cùm noctu solitum in Christi de Cruce pendentis aspectu, sub umbra pedum, in duro saxo quiescere, mox iterum prostratum in genua, hærere immobilem, altâ defixum contemplatione, cujus flamma toto ore, vultu & corpore legebatur, cum perpetua copia dulcium lachrymarum, quibus die sequenti in omnibus actionibus fortis Xaverii amor ita accendebatur, ut in omnibus tolerandis injuriis & ærumnis esset fortissimus; ut paulò ante dixi, *quercus, rupes, columna, adamas!*

§. 11. *Amor S. Xaverii fuit generosus.*

Generositatem sancti amoris elegantiùs depingere non possum, quàm id fecerit Seneca, cùm scripsit: *Generosa res est, conari alta, tentare, & mente majora concipere, quàm quæ etiam ab ingenti animo adornatis effici possint, qui sibi hæc proposuit. Ego mortem eodem vultu audiam, quo videbo. Ego laboribus, quanticunque illi erunt, parebo; animo fulciens corpus. Ego divitias, & præsentes, & absentes, æquè contemnam: ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem. Ego terras omnes, tanquam meas videbo, meas tanquam omnium; ego sic vivam, quasi sciam me aliis natum. Vnum me Deus donavit omnibus, uni mihi omnes.* Advertitisne RR. Patres regulas, secun-

secundùm quas S. Xaverius generosum suum amorem in amando DEUM efformavit?(Ecce copiam elogiorum pro S. Xaverio: ego modò illis inhærere non possum.) Puto me satis demonstrasse, amorem S. Xaverii erga DEUM fuisse magnanimum, fortem, & generosum.

§. 12. *Tres bases hujus amoris. Prima, Humilitas.* Superest, ut ostendam vobis fundamenta, sive rupes, & columnas, super quas S. Xaverius hunc suum amorem fundavit & firmavit. Aurea basis fuit humilitas, de qua ad Socios ita scripsit: *Meditamini, diligenter colite humilitatem, summoque studio elaborate, ut divinâ ope vos ipsos penitus cognoscatis. Nam sui cognitio nutrix est fiduciæ, ac parens humilitatis. DEUS humiles erigit, ac roborat. Attendite vobis. Multi enim nunc apud inferos cruciantur, qui cùm suis sermonibus aditum ad cœlestem beatitudinem multis aperuerint, ipsi quòd falsâ fallacique sui opinione inflati, animi demissione carerent, ad sempiternas illas pœnas sunt devoluti. Nemo autem omnino, apud inferos est eorum, qui cùm vitæ hujus ærumnis afflictarentur, id egerunt, ut interiore illa humilitate animum munirent suum. Humiles sunt magnanimi, fortes & generosi DEI amatores.*

§. 13. *Altera, Fiducia in DEO.* Altera basis, sive columna S. Xaverio fuit, ingens in DEO fiducia, de qua ita discurrit: *Summum, certissimumque præsidium, in rebus arduis, pro DEI gloria, ut contra hostem magno præsentiq; animo sis, tibi penitus diffidas, fretus DEO, ut in illo videlicet spes omnes, ac vires tuas locatas habeas, ac nullo modo committas, ut tali ac tanto defensore ac patrono timere, aut de victoria dubitare videaris.* Item: *Exploratum habe, pro tua DEI fiducia & spe, nihil omnino tibi, nisi ejusdem permissu, nocere posse. Nihil habes, quod metuas, nisi hoc unum, ne ipsum offendas.* Item: *In iis, in quibus DEUS nobis aliquid agendi, mentem injecit, velle de ejus ope atque præsidio, propter pericula, quæ se offerunt, dubitare; majus utique ac certius periculum est, quàm quidquid nobis periculi ejus hostes possunt intendere. Etenim neque diaboli, neque eorum satellites atque administri, quidquam nobis nocere queunt, sine permissu præpotentis DEI.* Ecce fiduciam, quæ amorem S. Xaverii tam fecit magnanimum, fortem & generosum.

Basis

Basis, sive columna tertia fuit Voluntas DEI; de qua in suis epistolis ad varios, hoc illis inculcavit documentum: *Sedulam, ut par est, DEO navantes operam, ad ejus nutum & voluntatem, totos nos usquequaque conformemus. Illud perpetuò vestris hærere mentibus velim, propensam, plenamque humilitatis, demissionisque voluntatem, quâ te, caputque tuum, divinæ gloriæ devoveas, gratiorem DEO & acceptiorem hostiam esse, quàm vel plurima, & maxima obsequia, sine ejusmodi voluntate:* præsertim si eadem fiant in amore magno, forti & generoso. §. 14. *Tertia, Voluntas DEI.*

Finio. De Seraphico S. Francisco ait Bonaventura: *Ex recordatione Sanctorum, tanquam lapidum ignitorum, Deificum in illo recalescebat incendium.* S. Augustinus de se prædicat: *Exempla Sanctorum congesta in sinum cogitationis nostræ, urebant & consumebant gravem teporem nostrum, & accendebant me valde.* Utinam hæc nobis accidant hodie, ex consideratione eorum, quæ audivimus de S. Xaverio, &c. §. 15. *Epilogus affectuosus.*

EXHORTATIO III.
DE S. FRANCISCO BORGIA.

Absit mihi gloriari, nisi in Cruce D. N. IESU Christi, Ad Galat. cap. 6. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

OStendit, S. Franciscum Borgiam fuisse eximium amatorem sanctæ Crucis.

§. 1. *Tessera S. Borgiæ, ex S. Paulo,* Absit mihi, &c.

§. 2. *In Cruce consistit summa gloria: quod apparet in Christo D. & S. Borgia.*

§. 3. *Prosecutio.*

§. 1. *Tessera S. Borgiæ, ex S. Paulo, Absit mihi gloriari, &c.*

PLacet mihi, quod de S. Patre Francisco Borgia, quem brevi Exhortatione laudare intendo, refertur, illum linguâ, ore, calamo, apud omnes circumtulisse hanc S. Pauli tesseram, *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce* D. N. JESU *Christi*, ad Gal. 6. v. 14. Super quæ verba pulchrè S. Augustinus ait serm. 20. de verb. Apost. *Poterat Paulus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret; poterat in majestate & potestate, & verum diceret, &c. sed dixit, in Cruce. Ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit.* Pulcherrimè hæc ego assero de S. Borgia. Poterat gloriari de nobilitate sui stemmatis; & appellando se Ducem, Marchionem, Vice-Regem, Grandem Hispaniæ, verum diceret. Poterat gloriari, se esse Ministrum Augustissimi Cæsaris Caroli V. & verum diceret. Poterat gloriari de divitiis, de altissimis honoribus, de spe magna summæ in terris felicitatis, & verum diceret; sed gloriatur in Cruce, in paupertate, in contemptu mundi, in animi dejectione; in his, verbo, in Cruce reperit thesaurum; S. Cyr. Hierosol. catech. 13. *Gloriatio gloriationum fuit illi Crux.* De sanctis Ignatio & S. Xaverio ostendi, quàm fuerint ignei DEI amatores; talis quoque fuit S. Borgias, quod paucis ostendam.

§. 2. *In Cruce consistit summa gloria, quod patet in Christo D. & S. Borgia.*

Si S. Borgias bene ponderavit, quod puto illum fecisse, versum 14. capitis 4. ep. 1. S. Petri: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis* DEI, *& qui est ejus spiritus, super vos requiescit.* Insinuat S. Petrus, divitias, honores, magnos titulos in hoc mundo, esse gloriam mentitam, fucatam, variabilem, caducam, transitoriam; gloriam verò & honorem, qui DEO innititur, & virtuti ejus, ut nullâ vi concuti possit; sive gloriam & honorem, quo Pater cœlestis unigenitum Filium suum

Christum JESUM fecit gloriosum & beatum, consistere in amore Crucis, per quam Redemptor noster ad summam gloriam pervenit. Mox patebit, quàm gloriosus Sanctus fuerit, sanctus Franciscus Borgia. Pono fundamentum meæ panegyris super auream basin, quæ est Christus D. De quo S. Joannes ait cap. 12. v. 13. *Venit hora, ut clarificetur filius hominis.* Ubi S. Cyr. Hieros. *Non quòd priùs non haberet gloriam, glorificatus enim erat gloriâ ante mundi constitutionem; glorificabatur enim tanquam* DEUS *semper; nunc verò glorificatus est, patientiæ ferens coronam*; clariùs & breviùs, *ferens Crucem.* Hæc gloria, hic honor, hæc glorificatio, patientia, Crux, clavi, spinea corona, adeo placuerunt S. Borgiæ, ut frequentissimè in ignea hæc verba cum S. Paulo eruperit: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce* D. N. JESU *Christi.* O beatum! ô gloriosum Sanctum! ô amatorem Crucis, S. Borgiam!

Gloriosus fuit Christus D. quoad suam Divinitatem, sedens ad dexteram Patris ab æterno! Æquè gloriosus quoad Divinitatem & Humanitatem, in monte Golgothæo pendens in Cruce inter latrones. Gloriosus Christus D. in cœlis adoratus à Seraphinis & Cherubinis! æquè gloriosus in sua passione, inter consputatores, blasphematores, & crucifixores! Gloriosus, dum in faciem ejus desiderant Angeli prospicere! æquè gloriosus, dum nequissimi nebulones eandem alapis & colaphis cedunt. Quidquid in Christo D. teste S. Petro, est gloriæ, quidquid honoris, quidquid virtutis & potestatis, habet à Cruce. Licet longè in inferiori ordine mihi pari passu discurrere de S. Borgia, gloriosus fuit coram hoc mundo, in aula Monarchæ potentissimi, ob avitam stemmatis & progenitorum suorum nobilitatem. Sed gloriosior, cùm ex amore Crucis hæc honorum insignia & simulachra pedibus conculcavit. Gloriosus! vocatus *Marchio, Dux, Vice-Rex*; longè gloriosior, cùm se vocavit *Peccatorem, & abjectum filium Minimæ Soc.* JESU. Gloriosus & spectabilis, indutus rubeâ togâ, armatus gladio Ordinis S. Jacobi; gloriosior in lacera veste pauperis Religiosi. Gloriosus, in aula primarius Minister tanti Regis! longè gloriosior, abjectus Janitor in paupere Collegio Societatis. Ideoque, quidquid in toto Sancto est gloriæ, quidquid honoris, quid-

§. 1. Prosecutio.

quid virtutis, quidquid ſanctitatis, totum hunc theſaurum reperi in amore Crucis, qui adeo fervens & ignitus in illo fuit, ut ex intimo corde coram ſuo Crucifixo, in ejus contemplatione ſuſpirare fuerit ſolitus, *Abſit mihi*, &c.

§. 4. *Iterum pulchra de Cruce & gloria: de Christo D. & S. Borgia.*

Apparet DEO placuiſſe, S. Borgiam per hanc viam, per amorem Crucis, deducere ad ſummam perfectionem & ſanctitatem: & quod inde ſequitur, ad ſummam gloriam. Iterum ſtruo fundamentum ſuper auream baſin, quæ eſt Chriſtus D. Profundiſſima, ſublimiſſima fuit cogitatio S. Chryſoſtomi, quando docuit: *Crucem, ſive mortem Crucis, ab æterno Patre dilecto Filio ſuo fuiſſe præparatam, tanquam ſummam gloriam, & veluti immenſum quoddam pretium, & præmium in compenſationem illius amoris, ex quo Filius DEI voluit fieri homo, pati & mori, ut hoc modo poſſet redimere genus humanum.* Favet huic cogitationi claris verbis S. Paulus ad Hebræos cap. 2. v. 9. *Videmus* JESUM *propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Contigit hoc, cùm in glorioſa Reſurrectione & Aſcenſione ad cœlos, meditamur immenſam Chriſti D. gloriam, etiam in ſanctiſſima Humanitate, poſt turpiſſimam mortem Crucis. Contingit hoc, quoties impletur verſus 6. ad Philip. cap. 2. S. Pauli, *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod*, &c.

§. 5. *Proſecutio.*

Redeo à glorioſo Chriſto D. ad mirabilem & glorioſum S. Franc. Borgiam. Circa hunc quoque placuit altiſſimæ DEI providentiæ, exemplo Salvatoris ſui, quem animitùs diligebat, illum per amorem Crucis deducere ad ſummam ſanctitatem & gloriam, ut etiam in terris dignus fuerit habitus, à Romana Sede, cum univerſali totius Orbis applauſu, Sanctorum numero adſcribi. Admiranda & paradoxa coram hoc mundo egit S. Franciſcus. Ex aſpectu defunctæ Imperatricis Iſabellæ, ſubitò adeo fuit immutatus, ut illo momento inceperit cogitare de mundi contemptu (poterit talium operum fieri pulcherrima conglobatio ex ejus Vita,) & ideo locum habet cogitatio dicta S. Chryſoſtomi, *Crux eſt amor Crucis, ab æterno Patre dilecto Filio* S. Ignatii, & Servo ſuo, fuit præparatus, tanquam ſumma gloria, & veluti immenſum quoddam pretium & præmium in compenſationem illius amoris, ex quo

Crucem

Crucem & Christi D. Passionem adeo amavit, ut dicere fuerit ausus: *Absit mihi gloriari*, &c. Considerate gloriam, quâ DEus illum glorificavit, non tantùm in cœlis, sed in terris, (ecce locum pro pulcherrimis descriptionibus.) Adducite triumphales currus, erigite columnas, appendite picturas, symbola, & inscriptiones. Applaudit illi Occidens, exultat Oriens, de tanti Viri gloria. Videmus illum propter Crucem & patientiam gloriâ & honore coronatum. Humiliavit se S. Franciscus abjiciendo tam eximios titulos, (conglobare poteris ex ejus Vita pulcherrimos actus profundissimæ humilitatis,) propterea DEus glorificavit illum, & dedit illi nomen, in quo infinitam DEI misericordiam cum fiducia implorare possumus. Cædimur flagello belli! O S. Borgia, *ora pro nobis*, (hoc modo fiant affectuosæ obtestationes ad Sanctum.)

§. 6. *Super amatores Cru. requiescit spiritus gloriosus.*

Post eximia elogia sancti Petri supra citati, quod qui exprobrantur in nomine Christi, sive amatores SS. Crucis sint beati; quòd quidquid honoris & gloriæ, & virtutis DEI, & Christi Salvatoris nostri proveniat à cruce. Quòd *Crux sit summa glória, & gloriatio gloriationum*; quòd amor crucis deducat ad summam sanctitatem & gloriam, tandem S. Apostolus hanc quoque subdit promissionem, *Et qui est, ejus spiritus super eos requiescet.* Quæ verba lectio Syriaca eleganter sic legit: *Beati estis, cùm tribulamini, quoniam spiritus DEI gloriosus requiescet super vos.* Hic spiritus gloriosus, loquar clarè, Spiritus S. tertia Persona sanctissimæ Trinitatis, spiritus unionis & amoris requievit supra SS. Christi D. Humanitatem, quàm diu vixit in terris, præsertim in Passione, dum penderet in cruce. Hic idem spiritus requiescit super omnes, qui cum Christo amplectuntur crucem. O quàm gloriosus propterea spiritus requievit supra S. Franciscum Borgiam, ab illa die, ab illa hora, quâ spreto mundo, crucem in minima Soc. JESU fuit amplexatus.

§. 7. *Hic spiritus generosus in S. Borgia generavit inprimis spi-*

Ex effectis in S. Borgia poterimus colligere gloriam hujus spiritus. Ex mente SS. Patrum, generosus hic spiritus in magno Francisco generavit profundissimam quandam humilitatem. Et qualis, & quanta illa fuit? audivistis aliqua, audite paradoxa. Cùm audi-

ritum magna humilitatis. audiret à circumstantibus fieri mentionem præteritorum titulorum; procumbens ad talia dicentium genua, supplex orabat, his titulis temperarent, magis longè se æstimare, vocationem ad minimam Societatem JESU. Borgias! cùm Provincialis Collegium ingrederetur, rectà ire solitus fuit ad culinam, dicens coquo: *Quæ ego hic rectiùs præstare, & in quibus minus aberrare soleo, sunt pavimentum verrere, ollas abstergere, lavare scutellas, & similia.* Videntur hæc exigua, sed generoso spiritui est asscribendum, si Viri magni ex amore crucis, in illis se exerceant. Hic generosus spiritus movit S. Borgiam, ut amore crucis, tertiâ vice respuerit Cardinalitiam purpuram, ab Augustissimo Imperatore Carolo V. & potentissimo Hispaniarum Rege, Philippo II. oblatam. Contigit, ut in itinere incumbens stramini, à dormiente Socio, toto corpore, etiam in facie, turpissimis sputis fuerit defœdatus. Nihil se propterea movit Franciscus, sed jacuit, & siluit instar agni. Socius, intuens mane horridum spectaculum, ruit in genua, petens veniam: ad quod Franciscus! O generosum in illo spiritum humilitatis! ô amorem crucis & contemptus! *Non est*, inquit, *Pater, quòd turberis, neque enim uspiam dignior locus in cubiculo sputo aspergi debuit.* Obsecro vos Auditores, perpendite, &c. & mementote, Borgiam fuisse Hispanum, & tam humilem!

§. 8. Item spiritum contemptus mundi. Hic generosus spiritus, sive amor crucis in S. Borgia, movit Borgiam, ut tam insolito modo mundum & ejus pompam contempserit. Occasio fuit hæc. Anno 1539. mortua fuit Isabella, conjux Caroli V. Imperatoris; portentum tum temporis in orbe fœmineæ pulchritudinis. Jussu Imperatoris Borgias jussus fuit more solenni regium cadaver deducere Granatam ad regiam Castellæ sepulturam. Apertâ tumbâ, obstupuêre omnes! adeo enim deturpata jacuit Isabella in tumba, ut præ aliis exclamaverit Franciscus: *Haccine sunt illa lumina, quæ omnium oculos in se converterunt? haccine illa venustas, quæ omnes alias formas extinxit? haccine Isabella? haccine Augusta? fallunt oculi, aberrat mens. Sed non fallunt. Nimirum, humanarum hæc rerum vicissitudo est, I nunc Francisce, & fragile illud bonum admirare.* Noluit jurare, se tradere corpus Isabellæ, sed hoc, adhibitam esse omnem diligentiam, ne

fraudi

fraudi alicui locus esset. Post funebrem pompam, domum redux, confestim se cubiculo inclusit, & inter gemitus, suspiria, lachrymas, in has ferè voces erupit: *O miseram vitæ rationem! O fallaces hominum spes! quousque tandem diligimus vanitatem, & quærimus mendacium? an non regna, imperia, nobilitas & formæ dignitas morte clauduntur? Vbi Isabella? quid infandum renovo dolorem. Expergiscere tu Francisce! sat diu mortali servijsti Principi. Ab hac hora servi DEO! nullibi imposterum, nisi in cruce tui Salvatoris quære gloriam.* Quæ cogitavit, fecit; post mortem conjugis, relicto mundo, fugit ad minimam Soc. JESU, à generoso ductus spiritu.

Hic idem spiritus triplicem alium in S. Borgia peperit spiritum, Timoris Domini, ne vel minimo peccato offenderet DEUM, hinc illa puritas cordis, devotionis, & resignationis; de quibus vide pulcherrima in Historia Vitæ. *§. 9. Item, Timoris Domini, resignationis & orationis.*

Poterit etiam fieri alia Exhortatio, ad imitationem prioris, de S. Xaverio, S. Borgiam fuisse amatorem crucis, magnanimum, fortem & generosum. *§. 10. Suggerit materiam pro alia Exhortatione de S. Borgia.*

EXHORTATIO IV.

DE B. ALOYSIO GONZAGA.

Consummatus in brevi, explevit tempora multa.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

COmmendat unicum B. Aloysii suspirium, de amore DEI. Deinde ejus cor & linguam.

§. I.

§. 1. Quanta B. Aloysii gloria in cœlis!

PRout P. Nadasi in Anno suo Cœlesti, 21 Julii refert, S. Maria Magdalena de Pazis, post cœlestem extasim sibi reddita, in festo B. Aloysii exclamavit: *O quantam gloriam habet Aloysius, filius S. Ignatii! nunquam id credidissem, nisi id mihi ostendisset meus IESUS! Habet gloriam tantam, ob actus internos: & quia obediens erat inspirationibus divinis. O quantum amavit in terris! ideo fruitur DEO, amore pleno in cœlis; & sagittæ in cor Verbi,* (sive amantissimi sui JESU) *ab illo vibratæ, nunc in corde ipsius requiescunt.* Hæc B. Magdalena.

§. 2. Quanta ejus sanctitas in terris! Utriusque radix, & exhortationis propositio.

Cùm autem verissima sit Theologorum maxima, gratiam in terris, & sanctitatem hominis justi, esse semen gloriæ, pari ratione exclamare possumus: *O quantam gratiam & sanctitatem habuit B. Aloysius in terris, filius S. Ignatii!* de quo dubitare non licet, cùm amabilissimus JESUS revelaverit S. Magdalenæ, tantam esse ejus gloriam in cœlis. Sequitur autem ulteriùs, radicem & originem tantæ gratiæ & sanctitatis, fuisse actus internos nobilissimarum virtutum, & præcipuè inflammati in DEUM amoris: in quibus actibus beatissimus Juvenis tanto fervore dies noctesque se se exercuit, ut revera *consummatus in brevi, explevérit tempora multa.* Proponam in brevi Exhortatione, quæ in meditatione, de hoc amore B. Aloysii mihi occurrerunt. Utinam in exercitio hujus virtutis B. Aloysium sedulò imitaremur!

§. 3. Perfectissimum & ar-

Citatus Pater Nadasi ait, hoc fuisse unum ex suspiriis B. Aloysii, quibus ejus cor continuò æstuavit: *O DEUS! quàm vellem scire, amare*

amare DEVM, ardore tanto, quanto digna est illa Majestas! Hæc corde & ore proferebat, ardore tanto, ut ex oculis tenerrimæ fluerent lachrymæ. Ardore tanto, ut vultus ejus totus accenderetur! ardore tanto, ut oculi scintillarent. Ardore tanto, ut audito solo nomine amoris erga DEUM, vel JESUM suum, totus exultaret! ardore tanto dicebat: *O Deus! quàm vellem scire, amare Deum, ardore tanto, quanto digna est illa Majestas*, ut corde toto adeo palpitaret, ut illud in DEUM exultans, videretur velle in cœlum è pectore exilire! In colloquiis sæpiùs dicere solebat: *Eja fratres, simus solliciti, quomodo ædificemus in nobis civitatem amoris DEI.* Quid hoc sit, ædificare civitatem amoris DEI, P. Nadasi exposuit, imagine, quàm suo libello, sive Anno cœlesti præposuit. Cœlestis Jerosolyma aliàs depingi solet, prout illam describit S. Joannes in Apocalypsi: in quadro, cum pulcherrimis muris, & portis 12, ex crystallo, auro, & pretiosissimis gemmis. Nominat illas idem S. Joannes. In hac imagine, muri formati sunt non ex gemmis, sed innumeris ardentibus cordibus. In medio civitatis, ex iisdem cordibus assurgit altissima pyramis, assurgens usque ad ipsum cor sanctissimæ Trinitatis; Inscriptio mirabilis hujus urbis desumpta est ex S. Augustino, & S. Prospero, & est talis: *Hierusalem civitatem facit amor DEI.* Itaque cùm B. Aloysius sollicitus fuerit quotidie, circa structuram hujus civitatis, imaginari nobis debemus, cor B. Aloysii plenum flammis amoris, positum esse in loco altissimo; & proinde, quantus in Aloysio fuit amor DEI, tanta est ejus gloria; & tanta in terris fuit ejus gratia, sanctitas, & perfectio.

Ardentissimum desiderium B. Aloysii de amando DEO.

O beatum cor B. Aloysii! de corde cujusdam S. Josephi dicitur, quòd cor ejus fuerit sedes Spiritus S. tale fuit cor B. Aloysii, super quod quievit purissimus ille spiritus, & ita quievit, ut continuò magis ac magis accenderet jam accensas flammas; ab his, hoc ardens & sublime suspirium! *O Deus! quàm vellem scire, amare te!* Fuit ob eandem causam cor B. Aloysii sedes JESU crucifixi! Scio illum ordinariè depingi cum Crucifixo in manibus; cogito tamen, illum eundem multò magis circumtulisse in corde, cum roseis ejus Vulneribus, ex quibus veluti caminis, in corde Aloysii exarserunt

§. 4. Cor B. Aloysii fuit sedes Spiritus S. & Christi D. Quare pingatur cum Crucifixo.

illæ ſcintillæ, *O Deus! ô mi IESV! O crucifixe Salvator, quàm vellem ſcire, amare te.* Bene ſit illi pictori, qui in manibus Aloyſii præter floridum Crucifixum, depinxit candidiſſima lilia, veluti ſigna Angelicæ puritatis, quâ corde puriſsimo ſuſpirare fuit ſolitus, *O Deus! quàm vellem, &c.*

§. 5. *Cur in candida veste, sive superpelliceo.* Cùm S. Catharina Senenſis à Chriſto D. peteret cor mundum, aperuit illi latus, & corde inde ablato, cor ſuum illi dedit; & ex roſeo Vulnere, candidam & ſplendidam extraxit veſtem, quâ Sponſam ita donatam, induit. Adverto iterum cauſam, ob quam B. Aloyſius in manibus geſtat ſuum crucifixum amorem, cum SS. Vulneribus, quia in iiſdem invenit cor Chriſti, cum ſplendidiſſima & candidiſſima veſte; in cujus ſignum plerumque pingitur in candido ſuperpelliceo, veluti incarnatus Angelus, ſive Angelicus Juvenis; aſsiduè corde puro ſuſpirans: *O Deus! quàm vellem ſcire, amare te, amore, quo Majeſtas tua digna eſt amari!*

§. 6. *B. Aloysius Martyr amoris.* In cujuſdam S. Chriſtinæ V. & M. martyrio, notatur hæc circumſtantia: quòd cùm ſagittis exponeretur, unius ſtatim ſuâ ſagittâ transfixerit ejus cor. O felix martyrium! ô mors pretioſa! Tale martyrium internum, ſine ſanguine, ſuo modo continuò ſuſtinuit B. Aloyſius, ſagittarius fuit Amor crucifixus; ſcopus cor B. Aloyſii. O igneam ſagittam: hoc igneum deſiderium, *O Deus! quàm vellem ſcire,* &c. Quiſquis his ſagittis læditur & uritur, nihil cogitat, niſi ut amet DEUM!

§. 7. *Unde hauserit suas flammas.* S. Juttæ Viduæ, Chriſtus D. benedictum ſuum latus aperuit, veluti ærarium ingentis theſauri, cum poteſtate accipiendi inde, quidquid vellet. Reverendi Patres! nolite mirari, cor B. Aloyſii adeo flagraſſe flammis divini amoris, ſumpſit illas B. Aloyſius ex ærario cordis Crucifixi, cum hoc ardenti ſuſpirio, *O DEUS!* &c.

§. 8. *Professio.* S. Mechtildis cùm in Sacro de S. Cruce audiviſſet hæc verba: *Nos autem gloriari oportet in Cruce D. N. IESV Chriſti,* rapta fuit in extaſim, in qua vidit Crucem, veluti pulcherrimam arborem, in cujus ramis hincinde, veluti lucidiſsimæ lampades, pependerunt ardentia corda; ſuccus, ſive oleum, pro conſervanda luce

im

in illa corda defluxit ex eadem arbore. Et per visionem hanc divinitus fuit edocta, ut qui vult DEUM diligere, id quærat in cogitatione cruciatuum Christi, cruci affixi. Nolite mirari, quare B. Aloysius inter lilia gestet Crucifixum, hoc ardet desiderio, ut DEUM diligat, ut cor suum sit ardens lampas. Ecce arborem, ex qua succum quærit, scilicet roseum sanguinem Crucifixi, cujus calore ita fuit accensus, ut suspirarit, *O Deus! quàm vellem scire, &c.* O beatum cor B. Aloysii!

Quale fuit cor B. Aloysii, talis fuit lingua: tota ignita, præsertim cùm de DEO, & ejus amore loqueretur; tum quoque vultus totus fuit accensus; tum quoque, &c. ut supra. De lingua B. Antonii de Padua, cujus commemorationem hodie peregimus, exclamavit S. BONAV. cùm post annos 30. illam videret incorruptam: *O beata lingua! quæ semper laudasti Deum, & fecisti, ut etiam ab aliis laudaretur.* Dicam ego, ò beata lingua, &c. (applica præsertim colloquiis de amando DEO.) S. Coletta linguam habuit, *DEO plenam.* S. Aldetrudis, *cùm de DEO loqueretur, habuit linguam, velut i favum.* S. Joannes Remonensis Abbas, *habuit linguam, in qua sæpe videbantur scintillæ, veluti ardentes stellæ.* De S. Bernardino dicitur, quòd tanta in corde & lingua ejus fuerit dulcedo charitatis & amoris DEI, ut nil potuerit loqui, nisi de amore DEI. Talis fuit lingua B. Aloysii! &c. fiat p. epilogus. O si talia essent corda nostra! O si tales linguæ! O si ex corde sæpiùs suspiraremus: *O DEUS, quàm vellem scire, &c.* §. 9. *Qualis B. Aloysii cor, talis ejus lingua.*

TRACTATUS SEXTUS, DE PRÆCIPUIS VIRTUTIBUS EXHORTATIONES QUATUOR.

EXHORTATIO I. DE PERFECTO ET PRACTICO AMORE DEI.

Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, Matth. 22. v. 38.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

SUppositâ differentiâ inter amorem DEI, appretiativum & perfectum; hujus quinque proponit practicas proprietates.

§. 1. *Differentia inter amorem DEI appretiativum & perfectum.*

§. 2. *Eadem differentia ulterius exponitur.*

§. 3. *Amor DEI perfectus, ex mente Doctoris Angelici, quinque habet proprietates.*

§. 4. *Quas cernimus in S. Paulo, veluti pulcherrimo speculo.*

§. 5. *Et in Apostolico S. Francisco Xaverio.*

§. 6. *Perfectus hic amor, quærit placere soli Deo.*

§. 7. *Ideo horret levissimas culpas.*

§. 8.

§. 8. Quantum humana imbecillitas patitur.
§. 9. Amor hic semper eligit, quod magis placet DEO.
§. 10. Et quod conformius est Cruci Christi.

EXhortatio hæc non aget de amore DEI appretiativo, ad quem omnes adulti, & rationis compotes tenentur sub pœna peccati mortalis, & æternæ damnationis; ut quivis firmiter apud se statuat, DEO placere, & nulla de causa ab ejus amicitia discedere; quod fit per peccatum mortale. Quisquis mavult millies mori, quàm DEUM lethaliter offendere; hic DEUM amat appretiativè super omnia, & hic amor est meritorius vitæ æternæ; sed intra angustos se continet terminos. Hoc enim unum spectat, ut gratiâ DEI non excidat, amicitiam non rescindat, cavetque, ut cum DEO malè sibi non sit, licèt non sit quàm optimè: ut verò quæ DEO impensè placent, curet intentiùs; utque augendæ divinæ gloriæ pro virili studeat, non magnopere curat; & oblectatiunculis, quantum sine gravi offensione fieri potest, hinc inde carpendis studium & operam adhibet; & si interdum in istis levem noxam contrahat, modò amicitiam DEI non omnino abrumpat, parum commovetur. At verò alter amor, non obligationis tantùm, sed perfectionis, non solùm ad culpæ mortalis nomen perhorrescit, sed etiam à levioribus peccatis, quantum infirmitas humana patitur, se se abstinet; omnia quæ DEO displicent, abs se abdicat, & rejicit; quæ verò placita novit, magnâ animi contentione exequitur; ad divinæ gloriæ amplificationem, curas omnes, conatusque convertit; quidquid hanc, vel majorem cum DEO conjunctionem impedit, pro virili amoliri, & disturbare conatur; vult quæ DEUS vult, & minima divinæ voluntatis significatio, plus apud illum habet ponderis, plus stimuli, atque incitamenti, quàm bonorum omnium in hac vita, ipsiusque cœli possessio.

§. 1. Differentia inter amorem DEI appretiativum & perfectum.

Inter quos duos amores tanta est differentia, quanta inter lucernam & Solem; aut carbonis malè accensi ab igne maximo & ardentissimo. Pone tibi ante oculos geminos mercatores, unum, qui vilibus reculis distrahendis, dies totos occupat, & aliquot obolis rem familiarem quotidie augere nititur; ex altera verò parte a-

§. 2. Explicatur ulteriùs illa differentia.

ſpice hominem induſtrium, qui pretioſarum rerum mercimoniis attendit ſedulò, quiq; fortunâ favente utitur, lucraq; ſingulis diebus facit maxima, & pecuniam multam in arcam congerit; quem ex illis duobus locupletiorem, quem feliciorem arbitraris? Idem fac judicium de duobus noſtris amatoribus, illum qui intra amoris ſub præcepto obligantis limites ſe continet: & alterum, qui perfecto amori conſequendo exercendoque totus incumbit: ille exigua merita colligit, hic verò opes illas cœleſtes maximis quotidie acceſſionibus exaggerat, & DEO bonorum omnium oceano propior factus, ex illo haurit incredibiles gratiarum theſauros; ut inter ipſum & illum alterum tantum interſit, quantum inter Monarcham opulentiſſimum, & inter cerdonem viliſſimum. Amor ille inferior, quem obligationis diximus, præter pauca merita, nihil fere aliud homini confert, quàm vitam ſpiritus, & libertatem à ſervitute peccati; alter verò mirum in modum amantem, DEO conciliat, benevolentiã auget, & ad beneficia conferenda vehementer excitat. Cùm igitur ex amore illo perfecto plus gloriæ DEO, nobis plus gratiæ, & ipſa operandi conſuetudine plus facilitatis, & voluptatis accedat, ſtimulandus & excitandus eſt animus, ut ad iſtam amoris perfecti poſſeſſionem acquirendam, nihil laboris & induſtriæ prætermittatur.

§. 3. *Amor DEI perfectus ex mente Doctoris Angelici quinque habet proprietates.*

Amorem illum perfectum, de quo mihi ſermo eſt, Angelicus Doctor S. Thomas ita deſcribit: *Amor amicitiæ erga amatum, quintupliciter ſe habet, 1. Vult eum eſſe, & vivere. 2. Vult ei bona. 3. Operatur bona ad ipſum, ſive ipſius cauſa. 4. Convivit ei delectabiliter. 5. Concordat cum ipſo, & de iiſdem delectatur, & triſtatur.* Itaque perfectus DEI amor, 1. Vult illum eſſe, & vivere, & de tot bonorum tranquillâ, æternâque poſſeſſione illi congratulatur. 2. Vult illi bona, hoc eſt, divinæ gloriæ amplificationem, quam nullius boni egens in bonis tamen ſuis numerat. 3. In hoc gloriæ augmento procurando, labores, opes, vitamque ipſam impendit. 4. Verſatur cum illo perlubenter, & exercitationibus mentis, quæ cum illo nos conjungunt, conſciſcit. 5. Denique nos ad ejus voluntatem penitus conformat, & quæ ei placita ſunt, lubenter ſequitur.

Hæc

§. 4. *Quas cernimus in S. Paulo, velut in pulcherrimo speculo.*

Hæc omnia in S. Paulo Apostolo, perfectissimo amoris exemplari, luculentiùs expressa vestigia videmus. Admirantis & congratulantis animi sunt illa verba, Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum, & scientiæ DEI, &c.* Optantis bona sunt ista, *Regi sæculorum immortali, & invisibili soli DEO honor & gloria.* Operantis bona amici, grata sunt verba illa, quibus longam laborum seriem complectitur, quos ipse propagandæ divinæ gloriæ causâ, generosè multas inter gentes exantlavit, *In laboribus plurimis,* &c. 2. Cor. 11. v. 23. Cùmque omnes ejus epistolæ sint veluti amoris perfectissimi codicilli, has sparsim amoris conditiones complectuntur. Quàm verò cum Deo delectabiliter conversabatur, cùm dicebat, ad Philip. 3. v. 20. *Nostra autem conversatio in cælis est;* cùm in itineribus Christum semper sibi præsentem habebat, & cum illo per elevationem mentis, & orationem agebat familiariter, sine intermissione orans. Consensionem & conspirationem voluntatum, quis requirat in amico, qui animam ipsam cum amico, non tam commutasse, quàm transformasse videtur, *Vivo ego,* inquit ad Galat. 2. v. 20. *non jam ego, vivit verò in me Christus.*

§. 5. *Et in Apostolico S. Francisco Xaverio.*

Age, iisdem vestigiis, secundùm dictas quinque regulas, sive perfecti amoris proprietates & effectus, heroicum S. Francisci Xaverii erga DEUM amorem consectemur. 1. Quantum ille DEO beatum illud esse & vivere, omni bonorum genere cumulatissimum exoptat, quia cùm illa contemplatione mentis aciem defigit, tantâ voluptate circumfluit, ut illam capere non possit, & exclamet, *Satis est Domine! satis est.* 2. Quàm optat DEO, si fieri potest, bonorum incrementa, qui sui quodammodo oblitus, in id unum omnes curas, cogitationesque convertit, qui dum navis ex Europa in Indiam appellit, id tantùm interrogat, an per animarum conversiones, aliosque Societatis JESU conatus fiat aliqua ad DEI gloriam accessio: & dum fieri intelligit, cum lachrymis exclamat, *Est, quòd amantissimo Domino IESV inde congratulemur.* Quantum pro amplificatione divinæ gloriæ, animarumque salute, quæ duo gratissima DEO esse sciebat, laborum exhauserit, quot terras peragrarit, quot maria navigarit, quot gentes, & quàm incultas & barbaras aggressus sit, quot vitæ pericula adierit, quis dicendo percenseat?

censeat? Huic desiderio DEI sui amantissimi res augendi & agendi, mundus unus non erat satis, non periculorum, laborumq; ilias; quin potiùs voces istæ non semel ex ejus æstuanti pectore erumpentes audiebantur, *Ampliùs Domine, ampliùs!* 4. Quantam verò cum DEO consuetudinem, familiaritatemque cum DEO coluerit, & dies, hominibus permixtus, ac noctes ab illis sejunctus, quam amicâ cum DEO tractatione consumpserit, testantur illi, qui temporibus illis in aëre suspensum, & lumine circumfulgentem conspexêre. 5. Quomodo verò idem velle & nolle, qui amicitiæ character est singularis, cum DEO semper habuerit; id ejus vita, id minimus divinæ voluntatis nutus, cui continuò se conformabat, testantur; id illa vox, quam continuò ferè habebat in ore, dilucidè probat, *DEUS cordis mei!* quasi cor ipse non haberet, sed quantum, quantum est, DEO totum consignasset. Agite RR. Patres, fratresque in visceribus JESU dilectissimi; itane amatis DEUM? estisne imitatores S. Pauli, & S. Francisci Xaverii? ut non in creaturis, sed in divino & summo illo bono, vestram quæratis consolationem? ut vestra quoque conversatio sit in cœlis! (est locus pro pulcherrimis repetitionibus, &c.) Unde autem fit, ut solatia mendicetis à creaturis? unde ille languor & torpor, &c. (est locus pro pulchris invectivis.)

§. 5. *Perfectus hic amor quærit placere DEO.*

Quinque hi perfecti amoris proprietates, fusiùs à me enumeratæ sunt, ut palam fiat, quàm ingens hinc campus amori perfecto offeratur, in quo ejus excurrere possit industria, in quo DEO ejusque gratiæ & voluptati studeat, amicitiæq; tam nobili alendæ, fovendæque materiem continuò subministret. Non exquisita dona quærit amor, sed quæ maximè ad amici gustum, delitias faciunt. Hinc videmus eos, qui gratiâ valent apud Principes, eamque cõtinuis incrementis magis demereri satagunt; potissimùm in Principum propensiones & affectus oculos conjicere, & eò maximè studia convertere, quò Principem magis delectari conspiciunt: atque hoc est, quod amor perfectus in actionibus suis spectat, & quo obtento beatum se putat. De quo S. Chrysostomus bene nos monet, *Ut si simus assecuti, ut DEO placeamus, non aliam quæramus mercedem; si enim aliam quærimus, ostendimus nos ignorare,* quam-

quantum bonum sit DEO placere. Hinc est, quòd perfectus amator, qui novit officium hominis Christiani, in his duobus consistere, *Declina à malo, & fac bonum*, non id facit quomodocunque, sed consilium S. Augustini secutus, dicit sibi: *Hoc malum non faciam, ne offendam gaudium Patris, & displiceam oculis ejus.* Sic dum bonum agit, nullâ propriæ utilitatis, aut voluptatis ratione habitâ, dicit sibi: *Hoc bonum ago, ut delectem suavitatem ejus.*

Hæc est amoris perfecti indoles, ut amicitiam cum DEO colat quàm sanctissimè, & non tantùm omnem cum eo inimicitiam perhorrescat, sed etiam offensas minimas devitet. Tam à peccato veniali deliberatè committendo alienus est, quàm alii minus amantes à mortali. Dixi *deliberatè*, hoc est, rei momentum, & circumstantias actionis inspiciendo propiùs, & suis librando ponderibus, v.g. Vir aliquis perfecto DEI amore præditus, de litis quæstuosæ amissione, aut gravi honoris jacturâ periclitatur; potest si velit, levis culpæ admissione, periculum discutere; sed non faciet; magna fortunarum & honoris damna incurret potiùs, quàm DEI amicitiam veniali culpâ deliberatè violet. Talis amat DEUM: talis erat v.g. S. Ignatius, & tales optat esse suos filios, & JESU Socios. §. 7. *Ideo horret levissimas culpas.*

Ne tamen in animum inducas velim, hominem hujuscemodi nævis levioribus nunquam infici. Habet ille ab Adami peccato, contractas aliquas infirmitates; habet aberrationes in intellectu, habet motus præcipites in voluntate, inconstantiam in bonis propositis, & in observandis indefessi hostis occultis fraudibus aliquam negligentiam; inde frequenter ab impatientia, cogitationibus otiosis, curiositate & jactantiâ, iræ commotione, & similibus sordes aliquas contrahit, & quidem voluntarias, quia cum sufficienti cognitione culpæ illæ admittuntur, etsi non deliberatè, quia antequam fiant, non satis ad DEI offensi Majestatem, ad rei, quæ ad id nos inducit tenuitatem, sed ad breve ex culpa commodum attenditur. Quò tamen amor ille divinus majoribus incrementis augetur, eò magis excubat, & velut Argus aliquis, luce cœlesti collustrante, ita super omnes animæ facultates vigilat, ut nefas sit §. 8. *Quantum humana imbecillitas patitur.*

 ullam,

ullam, fine fuo imperio vel minimùm commoveri. *Videndo adhæret, & adhærendo videt*, inquit S. Bernardus.

§. 9. *Amor hic semper eligit, quod magis placet DEO.*

Hîc ergo lapis Lydius esto, ut semper in omnibus actionibus tuis, fugiendo omnes culpas & nævos, DEO studeas placere quàm maximè; ad hunc lapidem amoris tui perfectionem proba: hîc oculum tuum fige, huc collima, tanquam in actionum omnium centrum perfectissimum & securissimum. Tum amor ille divinus in corde humano progreditur ulteriùs, ut scilicet è pluribus, quæ occurrunt, eligat semper, quod DEO gratius esse judicat: cùm enim hoc habeat in votis, ut DEO placeat quàm maximè, indignè se cum Sponso suo agere arbitraretur, si quod illi magis est in delitiis & amoribus, omni studio non consectaretur.

§. 10. *Et quod est conformius Cruci Christi.*

Unam adhuc lampadem in hac Exhortatione vobis accendo, cujus lumine amor ille perfectus juvari se sentit, quàm plurimum. Evangelico consilio de sectanda abnegatione, firmiter insistite, & DEO magis probari existimate, quod cum cruce Christi, & cum mortificatione, plus habere similitudinis judicaveritis, v. g. aliquis hortum obambulans deliberat, an florem & fructum decerpat, & oculis naribusque propiùs admoveat, non alio fine, quàm ut aspectu & odore floris aut fructus, ad DEUM laudandum amandumq;, tanquam ejus auctorem, excitetur; an verò potiùs abnegationis & mortificationis studio, ab utroque abstineat. Qui in amoris divini palæstra versati sunt, hoc postremum & perfectius, & DEO longè acceptius esse pronuntiant, & sibi eligendum putant.

Sed transgredior Exhortationis terminos, &c. fiat p. & brevis repetitio.

EXHORT. II.

EXHORTATIO II.

DE PERFECTO ET PRACTICO DEI AMORE.

Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, Matth. 22. v. 38.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit alias perfecti amoris proprietates, quòd in omnibus quærat majorem DEI gloriam; quòd sit activus, & in continuo motu, instar humani cordis, instar Solis, instar ignis, instar fontis; quòd amor hic sit fortis, & omnes superet difficultates pro amato, imò tormenta & supplicia.

SOlem, quinque lucidissimis radiis illustratum & coruscantem, in ultima Exhortatione vobis spectandum proposui; hoc est, perfectum DEI amorem, cum quinque practicis proprietatibus, juxta quas, veluti Lydios lapides, amoris perfectio probatur, & corroboratur. Quisquis DEUM perfectè amat, vult cum eo esse, & vivere, &c. (si lubet, potest fieri brevis re- §. 1. *Propositio.*

repetitio prioris exhortationis.) Supersunt adhuc alii hujus Solis lucidissimi radii, sive divini amoris practicæ proprietates, quas hâc exhortatione vobis proponere cogito. Si DEUM amatis, audite illas, ut DEO magis placeatis. Omnes syllabas, omnes voces, omnia verba, quæ ego pronuntiaturus sum, quæ vos audietis, possumus hoc convertere in pretiosissimas gemmas, quæ DEI oculos poterunt oblectare. O beatam horam! ô fortunatum tempus, quod impendimus, ut placeamus DEO; sed urget me amor, ut pergam.

§. 2 *Quid sit DEI gloria in ipso, & in Beatis.* Et dicam, perfecti amoris DEI proprietatem esse, ut operans in omnibus actionibus suis quærat & intendat unam & majorem DEI gloriam. Hæc autem gloria non est aliud, quàm cognitio perfectionum DEI, cum ejus æstimatione & laude; quam cognitionem cùm DEUS habeat de se perfectissimam, ita etiam de se æstimat, & laudat infinitè; unde fit, ut maxima Dei gloria in Deo sit, fueritque semper, nullâ sui per totam æternitatem mutatione, aut imminutione. Post DEUM in Beatis, qui clarâ DEI visione prædi-ti, infinitam ejus substantiam propiùs intuentur, eamq; summè æstimant & laudant, quantum possunt, est maxima DEI gloria; unde communi appellatione statum Beatorum, gloriam æternam nominamus; non tantùm propter eminentem illam, quam de DEO habent cognitionem & æstimationem; sed quia in illa etiam felicitatis æternæ possessione variis donis ornati, quàm sapiens sit DEUS, quàm potens, quàm mirabilis, &c. qui tot illos ornamentis cumularit, spectatoribus manifestant.

§. 3. *Et in Iustis.* Tertiò, maxima DEI gloria ab hominibus virtute singulari præditis, in hac vita solet existere, quia luce divinâ ad magnam DEI cognitionem, & æstimationem evecti, eam verbis, factis, & quâcunque possunt laborum contentione, declarare, amplificare, & propagare conantur.

§. 4. *Quomodo à Iusto quæri, & augeri possit DEI gloria.* Ex quibus patet, quibus viis & officiis, Religiosus v. g. Societatis JESU DEUM amans, hoc extrinsecum DEI bonum, quod in ejus gloria consistit, ei velle, desiderare, & procurare posset. 1. Si ex illa infinita, quam ipse DEUS de se, suisque perfectionibus habet, cognitione & æstimatione lætemur, illiq; gratificemur, & illam

opte-

optemus in omnium, tam immortalium, quàm mortalium mentes fine remiſſione propagari. 2. Si ex illa interminabili, quam Beati DEO offerunt, gloria, ſummam capiamus voluptatem, optemuſque novorum Beatorum acceſſione ſemper accreſcere, & totâ æternitate perdurare. 3. Hanc DEI majorem gloriam in nobis ipſis conſectabimur, ſi animi pulchritudinem excolamus diligenter, ſi omnes facultates animi & corporis, ad virtutum regulam conformemus; ſi admirabili motuum omnium conventione & compoſitione, ita omnium oculos aureſque capiamus, ut aliquid divinum in nobis agnoſcant, unde DEUM tanquam auctorem miris laudibus efferant; ut enim pictæ imaginis excellens pulchritudo & laus ad pictorem ipſum, velut auctorem redit, ita hominum animi, dum virtutibus & actionibus heroicis ornantur, & poliuntur, alios propiùs aſpicientes ad admirationem, DEIq; laudationem provocant & impellunt. Hinc illa Chriſti D. exhortatio, Matth. 5. v. 16. *Sic luceant opera veſtra coram hominibus, ut glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Accedit, quòd actiones noſtræ cum virtute conjunctæ, ſemina ſunt glorioſæ æternitatis; & quoad excellentiorem perfectionis gradum hîc provehuntur, eò ampliori nos in illo cœleſti domicilio gloriâ coronabunt, efficientq; nos veluti DIVINITATIS ſpecula, in quibus pro magnitudine gloriæ, quam merita noſtra nobis attulerunt, DEUS, ejuſque perfectiones, majori vel minori claritate reſplendeant.

Plus ultra hic amor extendit ſuos terminos, dum veluti in apertum erumpens campum, ob ingentem quo ardet ardorem, Orbem univerſum DEI cognitione, æſtimatione, & gloriâ impleri, colluſtrari, & incaleſcere, unicè habet in votis. Ita exclamabat S. Ignatius: *Utinam te DEUS meus homines cognoſcerent, & amarent!* Ita S. Dominicus in minutiſſimas optabat diſcindi partes, ut DEI gloria propagaretur. Ita S. Thereſia ad acerbiſſimos cruciatus ad diem uſque judicii tolerandos ſe obtulit, ut vel unica animula ſcelerum ſordibus emergens, DEI cultui, honorique deſerviat. Omitto ſimilia.

§. 5. Per totum mundum, per ardentia vota & deſideria.

Neque ardentia ejuſmodi deſideria propagandæ DEI gloriæ, parvì ſunt æſtimanda. Apparuit aliquando S. Gertrudi Chriſtus D. coronâ

§. 6. Quæ DEO & Chriſto D. valde placent.

coronâ ex variis floribus contextâ, in capite redimitus; quibus floribus ardentia sua desideria erga dilectum Sponsum intellexit repræsentari. O Reverendi Patres, si intueri nobis liceret, quâ coronâ in cœlis redimitus sit S. Ignatius; cur in nostris meditationibus, cur in legendis horis, cur in auditione Missæ, SS. Trinitati non offerimus similes flores, desiderando cum S. Ignatio, in omnibus majorem Dei gloriam. Placent Deo summopere ejusmodi desideria, & tantum apud Deum sæpe merentur præmium, quantum fuisset, si in opus externum prodiissent. De Alphonso Rodriquez Soc. nostræ Religioso legimus: Cùm se Christo ad inferorum pœnas pro salute cujusque Mauri in particulari subeundas magnâ animi deliberatione, & ardore obtulisset, ex Christo intellexit, desiderium illud acceptissimum sibi fuisse, & tantâ in cœlo mercede donandum, quantâ compensaretur, si verè omnes æternâ salute beasset. Ideo B. Virgo S. Brigittæ hoc cœleste arcanum aperuit: *Si quis ardens cupiditate, IESV Christi gloriam & amorem propagandi, optaret omnium auribus insonare, IESVM Christum esse Filium DEI, & omni amore dignissimum; atque in hunc finem ageret, quod posset, æquè munerandum à DEO esse, acsi reipsâ desiderium suum executioni mandasset.*

§. 7. *Bona admonitio.*

Hoc tamen observandum est, ut quisquis à se incipiat, suasque omnes facultates, divinæ gloriæ augendæ causâ desideriis sanctis accendat; ignem hac in parte imitatus, qui primò viciniora depascitur, antequam in remotiora vim suam exerat; atque hoc modo mirum est, quantum per singulos dies & noctes, per viros amoris perfecti flammâ vehementer accensos, divinæ gloriæ augmentum excoruscat; addamus nos saltem scintillulas, &c. Finio primam partem; quisquis Deum amat, quærit ejus gloriam, ecce lydium lapidem, &c.

§. 8. *Amor perfectus est similis cordi humano.*

Accedo ad alias amoris proprietates. Tria sunt, quæ in perpetuâ agitatione versantur, cor humanum, Sol & ignis. His dico perfectum amorem esse simillimum; Cor est principium vitæ naturalis, ita amor Dei fons est vitæ spiritualis. Si cor lædis, vitam homini eripis; si charitatem graviter vulneras letali toxico, DEI amicitiam, quâ spiritus tuus ad æternitatem vivit, continuò extinguis.

guis. Omnia corporis membra, omnes sensus, omnes nervi, omnes venæ, &c. vegetantur à corde, ita virtutes omnes à charitate conservantur. Denique quod de corde cecinit Ausonius,

Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor;

hoc de amore suo modo dictum existima.

Solem, perfectissimum esse perfecti amoris emblema, clarissimum est. *Sol*, inquit Tullius, *dictus est, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus; vel quia cùm exortus est, obscuratis cæteris sideribus, solus apparet; vel quia solus est fons luminis, à quo cætera sidera lumen suum mutuantur.* Ad hunc modum charitas cæteris virtutibus sola supereminet, eisque nescio quid lucis, & splendoris impertit; quarum proinde forma dicitur, quasi sine illa, si non difformes, certè deformatæ videantur; ac sicut ab eodem Tullio Sol dicitur *Dux, Princeps & moderator luminum reliquorum*, ita charitas *Regina virtutum* nuncupatur. Sed quod potissimùm ad rem meam facit, est Solis motus continuus, & nunquam interruptus; mira efficientia, & mortalium commodo ac utilitate; quod amoris perfecti virtutem, vim & efficaciam semper actuosam, egregiè nobis repræsentat. §. 9. Et Soli.

Tertia imago perfecti amoris est ignis, qui nunquam dicit, *sufficit*; qui semper ad locum cœlestem evolat, & hunc motum retardantia, magno semper conatu pervincere nititur, hinc terram motibus aperit, dum vi è cavernis erumpit; hinc nubes non sine fragore diffindit; hinc saxa è montium cavernis ejicit, furit, tumultuatur, donec feratur in altum ad suum centrum. Omnia ista competunt amori. Ardet, æstuat semper, & ita in continua sit actione, in motu continuo, ut exardescat magis. § 10. Et igni.

S. Theresia dicere solebat, amorem similem esse fonti, qui aquam perenniter effundit, & simul arenulas in fervescente fundo commovet. Quod contigit animæ amanti, semper in motu est, & novis ardoribus rapitur ad nova pro amato excogitanda & agenda. Nunc cœlo empyreo, ubi Deus summis laudibus continuò effertur; nunc similis aviculæ, quæ totum orbem circumvolitans, amoris & laudis canticum ubique insonet; quod erat votum S. Magdalenæ de Pazis. Nunc cum S. Augustino ad instar candelæ § 11. Fonti.

ex

ex aromatibus compositæ; quæ referendis DEO gratiis, & laudationibus, ac honoribus ingeminandis lentè consummatur. Talis candela fuit S. Augustinus, cùm lib. 2. Confess. c. 13. dixit: *Vides, ò* DEUS, *in corde meo, quia sic est: æstuat! ut sacrificem tibi famulatum cogitationis, & lingua mea. Tibi serviat, quod loquor, & scribo, & lego, & numero.*

§. 12. *Amor DEI perfectus est fortis.* Denique, (quæ tertia est exhortationis pars,) fortis est amor, ut omnia vincat obstacula, quæ amorem impedire possunt. Quia amor, ut dixi, ignis est, mirabilem ejus præstantiam ac efficientiam videmus in illo glorioso Eliæ Prophetæ cum sacrificulis Baal certamine: extruitur ara ex lapidibus, imponitur illi bos integer pro victima, circumducuntur fossæ, & alvei, effunditur in aram, & circum aqua, tantâ abundantiâ, ut fossæ & alvei redundent; *Et ecce tibi, ad preces Eliæ delapsus de cœlo ignis, victimam & altare, saxaque ipsa, & aquas momento ferè devorat, atque consumit*; idque admirabili facilitate, & quasi cum voluptate, quod vocula *lambens* insinuat. Hic ego egregio schemate, nobis amoris perfecti, in superandis rebus adversis firmitatem atque constantiam adumbratam arbitror; quid enim saxa & lapides? quid aquarum inundatio? quàm adversa nobis repræsentant? quibuscum amor perfectus velut in arenam pugnaturus descendit, quæ continuò ita vincit, atque profligat, ut quodammodo devorari, consumiq; videantur; vel potiùs, ut ignis ille Ægyptiacus, qui Sap. 16. dicitur in aqua plus valuisse, & magis inarsisse: ita amor ille generosus ab ipsis calamitatibus vires & incrementa accipit, & omnium victor se altiùs tollit in cœlum.

§. 13. *Quod patet in Apostolis, in SS. Martyribus, aliisque Sanctis.* Vide Apostolos, ubi illos in die Pentecostes cœlestis ignis invasit, quantâ voluptate carceres & flagella patiuntur; quomodo gloriosi & gaudentes à conspectu Concilii redeunt, non illos contumeliâ & plagis affectos, sed honoribus auctos, & lauro donatos inde procedere crederes. Vide gloriosissimos Christi pugiles, & Martyres, quo gaudio præ amoris magnitudine, atrocissima tormenta pertulerint, ut ausi fuerint dicere: *Nunquam tam jucundè epulati sumus, quàm hæc libenter IESV Christi causâ perferimus, in cujus amore nunc fixi esse cœpimus; utinam tam diu hæc nos pati sinat,* quàm

quàm diu hoc corruptibili corpore vestiti erimus: Quid dicam de S. Ignatio, qui amore perfecto inflammatus, ausus fuit dicere, se omnium carcerum vincula & catenas optare pro Christo? Quid de S. Xaverio, &c. quid de P. Carolo Spinola, qui cùm intellexerit, se damnatum ad rogum, ausus fuit scribere amico, in hæc verba: *Quando tandem appetet illud tempus tormentorum? O dies! ô hora! ô momentum! si tantum voluptatis habet vel sola mortis pro Christo tolerata cogitatio, quantum afferet mors ipsa pro Christi amore obita?* Ecce Lydium lapidem, &c.

EXHORTATIO III.

DE PERFECTO ET PRACTICO AMORE DEI.

Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, Matth. 22. v. 38.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Cur amandus DEUS? amore perfectissimo. Afferuntur varia motiva, ex parte infinitæ DEI essentiæ, excellentiæ, perfectionis, & bonitatis.

§. 1. *Quæstioni huic*: Cur amandus DEUS? *variè respondetur. 1. ex Didaco Stella, & S. Augustino.*
§. 2. *2. Ex Angelico S. Doctore.*
§. 3. *3. Iterum ex S. Augustino, per conglobatas DEI perfectiones.*
§. 4. *Ex S. Thoma de Villa Nova.*
§. 5. *Affectus admirationis, quòd multi non ament DEUM.*
§. 6. *Prosecutio.*
§. 7. *Querela contra illos, qui DEUM non diligunt.*
§. 8. *Aliæ conglobatæ responsiones ex SS. Patribus.*
§. 9. *Prosecutio.*

Hanc quæstionem proponit hæc quæstio: *Quare à nobis amandus sit DEUS?* Respondeo cum Didaco Stella: *Ex omni parte* *diligen-* §. 1. *Quæstioni huic, cur*

amandus DEUS? variè respondetur. 1. Ex Didaco Stella, & S. Augustino.

diligendum se exhibet DEUS, quia bonus, quia delectabilis, quia utilis. Dilige, quia DEUS est summum bonum; considera, quanta sit ejus Majestas, quàm admirabilis gloria, quæ potentia, quæ sapientia; dilata locum tentorii, (hoc est cordis) tui, expande affectus tuos. Respondeo cum S. Aug. l. 6. de dil. DEO, c. 18. *Si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta est delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia? amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit.* Expertus fuit Seraphicus S. Franciscus, exclamans millies, *DEUS meus, & omnia.* Alterutrum necesse est, ut amemus DEUM, vel creaturas. Hugo de S. Victore: *Vita cordis amor est, & ideo impossibile est, ut sine amore sit cor, quod vivere quærit.* Amor per ignem figuratur; & ideo sicut igni proprium est ardere, ita quoque cordi humano proprium est amare. Sicut naturali igni calere est, ita naturali est cordi amando ardere, ut dixi, amore vel creaturæ vel Creatoris; sed quare præ creatura à nobis amandus est DEUS?

§. 2. Ex Angelico S. Doctore.

Respondeo cum S. Thoma opusc. 61. c. 12. *Præponderat Deus, fallax gratia, & vana est pulchritudo, quam confert sanitas, complexionis bonitas, & juvenilis ætas: Amabilis ille, qui gratiosior in facie, cujus facies est plena gratiarum, in quem desiderant Angeli prospicere; cujus pulchritudo non languescit, sed intuentes salvos reddit,* Gen. 32. v. 30. *Vidi Dominum à facie ad faciem, & salva facta est anima mea.* S. Anselmus, postquam suos in cuncta visibilia bona conjecisset oculos, quæ oculis tantopere placent, eosque alliciunt, tandem hanc fecit consequentiam: *Quàm delectabile illud bonum, quod continet in se jucunditatem omnium bonorum; & non qualem in rebus creatis sumus experti; sed tantum differentem, quantum differt Creator à creatura. Delectat hæc superficialiter,* (S. Th.) *Deus autem intimè; solus Deus substantiam animæ substantialiter penetrat, & ideo medullitùs delectat:* præterquam, quòd amor DEI sit rosa sine spinis; rosæ verò hujus mundi multùm pungunt.

§. 3. Iterum ex S. Augustino, p... congl... DEI perfectionibus.

In amorisissimo colloquio cum DEO suo, S. Augustinus has illi proponit rationes, propter quas judicavit DEUM super omnia, & præ omnibus creaturis esse amandum. *Tu,* inquit, *es summa essentia, summa vita, summa salus, summa veritas, summa bonitas,*

summa æternitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa beatitudo, summa immortalitas, summa unitas, summum bonum, in quo omnia bona continentur. Imò quod est omne, & unum, & totum, & solum bonum. Tum pergit ita ratiocinari: *Si bona est vita creata, quàm bona erit vita creatrix? si jucunda est salus facta, quàm jucunda erit salus, quæ fecit omnem salutem? &c. Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit; desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est; ibi est, quidquid amatis, quidquid desideratis.* Itaque & vos RR. Patres, dilatate tentoria vestra, dilatate cor, quærite affectus, inflammate amorem; unus & solus DEUS super omnia à nobis est diligendus. Nolite, nolite amare creaturas, quæ transitoriè & terminabiliter delectant, non æternaliter sicut DEUS, Prov. 3. v. 13. *Omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari, cur ergo* (S. Anselmus) *per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis? ama unum bonum, quod est omne bonum.*

Quæstioni à me propositæ, *quare amandus sit Deus?* meo judicio elegantissimè respondet S. Thomas de Villa N. ser. de S. Maria Magd. supposito axiomate philosophico, ita ratiocinatur: *Amor, teste Philosopho, est naturalis quædam inclinatio in bonum. Quantò ergo aliquid est meliùs, tantò amore digniùs. Primum igitur, ac summum bonum,* (pullulat una sequela ex altera) *in quo omne bonum, quo amore prosequendum erit? Dic mihi, obsecro te anima mea, quid tibi potest placere, quod in DEO tuo non reperias? Si delectat te sapientia, sapientissimus est? si potentia, omnipotens est; si pulchritudo, candor est lucis æternæ: si divitiæ, si gloria? gloria & divitiæ in domo ejus. Si delectatio, si vita, delectationes in dextera ejus, usque in finem, & vita in voluntate ejus.* Pergit premere has consequentias pulcherrimis his quæstiunculis: *Quis amore dignior, quàm Deus? quis præstantior? quis perfectior? quis gloriosior?* quid siletis? quid obmutescitis? dicite RR. Patres, quis amore dignior, quàm DEUS? Tum altissimè elevans discursum, ita argumentatur: *Nihil nobis contulerit DEUS; nihil pro nobis passus fuerit, nihil nobis promiserit; certè propter hoc, quod ipse est, omni amore à nobis amandus est, quia scilicet ejus excellentia infinita, infinito etiam amore dignissima est.* Cùm verò insuper nos creaverit, cùm redemerit, cùm tanta pro nobis

§. 4. Ex S. Thoma de Villa Nova.

passus sit, cùm suâ morte, & morte crucis, vitam æternam nobis promeruerit, & illam nobis offerat, præter innumera alia beneficia, quo amore à nobis amandus est DEUS. Dilatate corda, quærite affectus, inflammate amorem, accendite charitatem, ut DEUM amemus.

§. 5. Affectus admirationis, quòd DEUS tam ardenter desideret à nobis amari.

Sed nequeo satis mirari, (loquar verbis S. Thomæ de Villa N.) *& intra me ipsum penitùs obstupesco. Domine mi! quid est hoc, quòd sic amari vis à me, ut mihi mortem, & æternos cruciatus mineris, si non amavero te? tanti facis amorem meum? quis ego sum, ut sic æstimes, amari à me?* S. Augustinus idem admirans ait lib. 5. Confess. c. 20. *Dic mihi per miserationes tuas, Domine Deus meus, quid tibi sum, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi?* Et alibi: *O pie Domine, quid ego tibi sum, ut amari jubeas te, à me? & minaris mihi ingentes miserias, irasceris, si non faciam; multa promittis, si faciam. Et quid amor meus? quid delectaris in me? Quis Rex dicit servis, simus amici, & dabo tibi unam Provinciam.* Solent nostri Principes in terris dedignari, si persona aliqua vilis ad illorum familiaritatem aspiret, & DEUS ab homine familiariter vult diligi? quis non miretur? Si Regina aliqua potentissima vilissimum quendam servum ex stabulo, ad nuptias suas accedere cupientem, non solùm admitteret, verùm etiam invitaret; aut si potentissimus aliquis Monarcha, uni ex Æthiopia advectæ, turpi, & dæmone atriori Æthiopissæ seriò præciperet, ut in sponsalia secum contrahenda consentiret, nunquid utraque hæc dignatio esset honor quidam inauditus, nec à quopiam per imaginationem apprehensus? Quid verò homo cum DEO comparatus, aliud est, quàm abjectus servus, & mancipium, & æthiops, cui nihilominus ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et, *Sponsabo te mihi.* Et, *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

§. 6. Prosecutio.

Occurrit & alia circumstantia, quæ admirationem nostram meritò multùm auget. *Inter tot & tanta,* (S. Th. de V. N.) *cœlestium spirituum agmina, & tam splendidam, tamque decoram, te diligentium multitudinem; despicabilis hujus, ac vilis vermiculi, tu Domine, non solùm non despicis amorem, sed insuper, velut grande aliquid & pretiosum, cum minis & terroribus, reddi tibi flagitas? O Domine, multùm

tùm dignificas me, dum sic amari vis à me! sed intelligo Domine, *quoniam in amore meo, non tuam, sed meam inquiris utilitatem.* O vermiculi! Vos intelligo RR. Patres, & charissimi Fratres; nec miremini, Socii estis illius, qui de se dixit: *Vermis ego sum, non homo.* O Vermiculi! O Socii Jesu! ô filii S. Ignatii! adrepite ad thronum divinæ Majestatis! ibi dilatate corda: quærite affectus, inflammate amorem? Deus! à nobis vult amari! si amamus, æternùm erimus beati! si non, æternùm miseri! *Solvite* Deo *tributum amoris,* (inquit Cajetanus) *&* Domino *noveritis satisfactum.* S. Aug. l. 50. hom. hom. 50. *Sola charitas sufficit, si adsit: cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit.*

Sed utinam non habeat locum apud tepidos quosdam Religiosos justissima querela toties citati S. Thomæ de V. N. serm. cit. *Considerate, fratres mei, si hic Imperator, sui imperii & regni, promitteret consortes habere omnes, qui eum diligerent, quot inveniret in mundo dilectores! Prô pudor! ubique quærit* Deus, *tam gloriosus, tam pretiosus, tam immensus! dilectores sui, invitat ad se amans, quos ipse condidit, donat plurima, & plurima promittit, & in ipsis operibus suis,* (verbo, in his omnibus) *vix invenit dilectorem sui.* Absit à domo hac religiosa, querela hæc longissimè, quia omnes sumus Dei dilectores, quia, &c. §. 7. Querela contra illos, qui DEUM non amant.

Similem querelam reperio apud Oleastrum super v. 8. cap. 20. Numer. *Tolle virgam* (ait Deus) *& congrega populum tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Nunquid silex percussus naturaliter potiùs à se ignis scintillas & favillas evibrabit, & tamen jubente Domino, repugnante licèt naturâ, limpidas & crystallinas scaturiit aquas. Quod admiratus Oleaster, ait: *Omnia etiam insensata dant* Deo *suo & Creatori, quidquid ab illis postulaverit, etiamsi id suâ naturâ non habeant: solus homo negat* Deo *suo, quod* Deus *ab eo petit, nimirum amorem, & præcordia sua. Et ideo meritò ferrea nos viscera habere, & silicibus duriores esse contendit: ferreus & plus quàm lapideus es, si dante petrâ aquas,* Deo *& populo, tu non des* Domino Deo *tuo cor tuum.* Reverendi Patres, qualia vos habetis præcordia? an dura? an ferrea? ut Deo recusetis dare corda vestra? ut durum vobis sit, amare Deum? Aliud longè mihi persuadeo. (Est locus pro pulchro affectu.)

§. 8. *Aliæ conglobatæ responsiones ex SS. Patribus.*

Placetne adhuc semel repetere propositam quæstionem in initio exhortationis, *Quare amandus sit* DEUS? si quærere lubet, placeat audire conglobatas Sanctorum Patrum responsiones. S. Thomas respondet: *Amari solet, & meritò amatur, qui fidelis in amicitia comprobatur.* Et cujus fidelior, cujus constantior, cujus suavior amicitia excogitari potest, quàm Dei nostri, qui etiam peccatores in gravissimis periculis constitutos eripit, qui in peccatis nostris nos non derelinquit, qui aversos à se revocat, venientes ad se, benignè suscipit, pœnitenti indulget, & peccata dimittit. Dubitatis vel quæritis, quare Deum debeatis amare? Respondet S. Augustinus cit. c. 10. *Sic certè mihi videtur, dum ejus miserationes circa me attendo, quòd, si fas est dicere, nihil aliud agit* DEUS, *nisi ut meæ saluti provideat: & ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit,* (nostro modo loquendi) *& mihi soli vacare velit.* Ideo *semper præsentem se nobis exhibet* DEUS. Causas advertit S. Augustinus, dum dixit: *A multis periculis me liberasti, me deviantem reduxisti, ignarum docuisti, dum peccarem, ad pœnitentiam exspectasti, prostratum erexisti, & ad te venientem largissimâ pietate tuâ suscepisti.* RR. PP. examinet se quivis, an non reperiat in se mille titulos, ob quos non obligatus est DEUM amare!

§. 9. *Prosecutio.*

DEUM non amabimus? dum peccamus, silet, dum committimus vitia & scelera, à verberibus abstinet; dum perseveramus in iniquitatibus multis & magnis, vindictam differt. DEUM non amabimus? quòd non secundùm iniquitates nostras retribuerit nobis; quòd terra nos non absorbuerit, quòd nos cœlum non fulminaverit, nec aliâ pœnâ vel morte, prout digni eramus, nos non afflixerit. DEUM non amabimus? furorem ejus provocavimus, iram promeruimus, deliquimus: adhuc sustinet. Si pœniteamus, parcit: si revertamur, nos suscipit, revocat errantes, vincit repugnantes, exspectat torpentes, amplectitur redeuntes, mulcet mœrentes, à ruina suscitat, post lapsum reparat, petentibus largitur, à quærentibus invenitur, pulsantibus aperitur. Et DEUM non amabimus? (hoc modo fiat latissima dilatatio.)

EXHORT. IV.

EXHORTATIO IV.

DE PERFECTO ET PRACTICO DEI AMORE.

Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, Matth. 22. v. 38.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit excellentias & fructus divini amoris.

§. 1. *Excellentia divini amoris exponitur per duo similia.*
§. 2. *Ejusdem necessitas.*
§. 3. *Amor Dei est margarita pretiosa, & recta via ad cœlum.*
§. 4. *Amor Dei convertit nos in homines divinos.*
§. 5. *Præmium divini amoris est regnum cœlorum.*
§. 6. *Est incomparabilis thesaurus.*
§. 7. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*
§. 8. *Testimonia SS. Patrum.*
§. 9. *Amor DEI est hortulanus, qui in nobis plantat flores virtutum.*
§. 10. *Conglobat rationes, propter quas utile est, amare Deum.*

EXcellentiam, necessitatem, & utilitatem, eximiæ virtutis, quæ dicitur *Charitas,* sive, *Amor DEI,* his similibus expresserunt S. Ambr. & S. Basil. *Charitas comparatur fundamento & radici; in quantum ex ea sustentantur, & nutriuntur omnes aliæ virtutes.* Quam comparationem sumpsisse videntur ex c. 3. ad Eph. v. 17, & 18. *In charitate radicati & fundati,* (scilicet vivite,) *ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* (Vide P. Corn. à Lap. hîc.) Ideo illa est charitatis excellentia, ut excellat omnes virtutes propter tria. Primò, quia est actus nobilissimus; secundò, quia

§. 1. *Excellentia divini amoris exponitur per duo similia.*

quia est actus sufficientissimus; tertiò, quia est actus suavissimus. Actus nobilissimus! *Nam Deus charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quid nobiliùs excogitari potest? Actus sufficientissimus, quia una charitas æquivalet omnibus virtutibus. *Filioli, diligite, si hoc fiat, sufficit.* Actus suavissimus, quia dulciter capit, strenuè stringit, sapienter erudit, gloriosè illaqueat, onerat delectabiliter. Nihil amore DEI suavius, nihil dulcius, nihil jucundius. Breviter Idiota: *Ubi amor defuerit, nihil valet, quidquid agitur; omnia valent, quæ cum amore aguntur.* Cùm advertam talia vos libenter audire, adducam hâc exhortatione plura, ex quibus amoris Dei excellentiam, & eximios fructus advertere poteritis. Ero brevis.

§. 2. *Ejusdem necessitas.*

Ecce necessitatem. Levit. c. 2. v. 13. ait Deus Moysi: *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies; nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo.* LXX. legunt, *Amore condies.* Unde Spiritus S. insinuare voluit, quòd ad hoc, ut opera nostra bona, & mortificationes, jejunia, eleemosynæ, orationes, victimæ cordis, & labiorum nostrorum holocausta, Deo grata sint, necesse sit, ut ex amore DEI procedant. Sicut enim cibi sine sale sunt insipidi, ita nauseat Deus opera nostra, & virtutes, nisi per charitatem ad ultimum finem dirigantur, qui est Deus.

§. 3. *Amor DEI est margarita pretiosa, & recta via ad cœlum.*

Inter varias parabolas hanc quoque proposuit Christus D. apud S. Matth. c. 13. v. 45. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit illam.* Quænam obsecro est hæc margarita, cujus possessione dives ille negotiator putat se sufficienter divitem, ipsumq; cœlorum regnum per illam comparare posse? Respondet S. Thomas de V. N. ex S. Aug. *Hæc est illa pretiosa margarita, charitas nimirum; quam qui invenit, habebit regnum cœlorum.* S. Th. de V. N. *Hæc est via illa altior, via securior, planior & brevior perveniendi ad Deum; omnis via, quæ à charitate non procedit, circuitus est.* Elegantissimè Idiota ad Deum conversus, ait: *Non ergo Domine jejunium, oratio & eleemosyna est via recta, omnino, sed amor & dilectio tua, est via rectissima absque devio, via brevis absque tædio, via plana absque tumulo, via clara absque nubilo;*

via

via secura absque periculo; via jucunda cum bono socio, scilicet tecum Domine, amantissimo DUCE. *Si quis ad patriam cœlestem velit celeriter pervenire, per viam dilectionis & amoris ambulare debet; quia qui amat ardentiùs, currit velocius, & pervenit citiùs.*

Eximius fructus charitatis est, quòd nos veluti in divinos homines convertat. Clarè S. Joan. ep. 1. c. 4. v. 7. *Charitas ex* DEO *est, & omnis qui diligit, ex* DEO *natus est; & qui manet in charitate, in* DEO *manet;* nam, ut S. Dion. Areopagita ait de cœl. hier. c. 7. *Amor amantem convertit in amatum; & amans amando quodammodo exit à se, ita ut anima amantis magis sit ubi amat, quàm ubi animat.* Alb. M. hanc assignat rationem: *Trahit amor amantem extra se, & collocat eum in amato, faciens ei intimissimè adhærere. Plus enim est anima ubi amat, quàm ubi animat; quia sic est in amato secundum propriam naturam, rationem & voluntatem; sed in eo, quod anima tantùm est, secundùm quod forma est, quod etiam brutis convenit.* Ob quam animæ præsentiam in Christo D. S. Paulus ausus fuit dicere, ad Gal. 2. v. 20. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Et S. August. *Talis est quisque, qualis est dilectio ejus. Terram diligis? terra es.* DEUM *diligis? quid dicam?* DEUS *es!* subdit: *Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus: Ego dixi,* DII *estis. Si ergo vultis esse* DII, *nolite diligere mundum, non divitias,* &c. *sed* DEUM *diligite.* Paulus de Palatio: *Etenim amor convertit in id, quod amat; ut igitur* DEUS *ita dilexit hominem, ut efficeretur homo, ita æquum est, sic nos* DEUM *diligere, ut* DII *quidam efficiamur,* id est, *participes divinæ naturæ.* Quàm pulchrè Rupertus Abbas Tuitiensis in c. 1. Apoc. *Iste spiritus amor est; quo solo idonea fit creatura rationalis, ut in ea* DEI *Majestas sedeat, quam ferre non potest quisquis illam non amat.* Ideoque *Charitas, quasi chara unitas, eò quòd nos cum* DEO *uniat, & copulet.* Et vis quædam unitiva, quæ unit amantem cum amato.

§. 4. *Amor* DEI *nos convertit in homines divinos.*

Pergo ad alios fructus divini amoris, & dico cum S. Th. de V. N. *Grande & ineffabile commodum ex ejus amore proveniet tibi. Regnum cœlorum amanti promittitur; ama, & regna! & quid faciliùs, quàm amare? quid gloriosiùs, quàm regnare?* in regno, in loco, in quo ea præparavit Deus, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit;* sed quibus? iis, *qui diligunt illum,* ep. 1. ad Cor. c. 2. v. 9. S. Aug. hic: *Ecce per*

§. 5. *Præmium divini amoris est regnum cœlorum.*

hoc, quòd dicit Deum præparasse diligentibus se, ostendit, quia dilectio via est, quâ ad illa bona pervenitur. Et de dil. Deo t. 9. c. 1. Ecce charitas excellentissima via est, quæ ducit ad cœlestem patriam, & ,, sine qua nemo illuc venire potest. Sed quis in hac via est? quis ,, novit eam? qui diligit Deum & proximum. ,, S. Thomas: Ex hoc dicimur esse viatores, quòd in Deum tendimus, qui est ultimus ,, finis nostræ beatitudinis. In hac etiam vi tantò magis procedi- ,, mus, quantò Deo magis propinquamus, etsi non appropinqua- ,, tur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem pro- ,, pinquitatem facit charitas, quia per ipsam mens Deo unitur. ,, Finiat hunc paragraphum S. Thom. de V. N. *Quid amore Dei utilius? quo hîc, & in futuro sæculo vivit omnis amans.* Et cum Idiota: *Nullæ majores sunt divitiæ, quàm DEUM possidere, & charitatem habere.*

§. 6. *Est pretiosissimus thesaurus.*

Præcedenti paragrapho dicta confirmantur ab Idiota: Amorem nullus thesaurus superat; nescit enim homo pretium ejus, ,, omne aurum in comparatione ejus arena est exigua; sine amo- ,, re, dives pauper est, & cum illo, pauper dives est; quia qui Deum ,, totâ animâ amat, & diligit, jam habet, quem amat. Non potest ,, esse pauper, qui Deum habet, quem amat; & quomodo potest ,, esse pauper, qui te, qui es omne bonum, habet in conscientia? ,, Qui habet aurum in arca, dives non est; (tollet illud mors, &c.) ,, sed qui te habet in conscientia, (& stabiliter) dives est. Unde ,, scribitur de te: In me sunt divitiæ & gloria, ut ditem om- ,, nes diligentes me, (Proverb. 8. v. 18, 21.) & thesauros eorum ,, repleam.

§. 7. *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Insignem fructum charitatis collegit illa, de qua dixit Christus D. Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Erat Maria Magdalena peccatrix: incipit amare, & momento septem dæmonia de illa exierunt. Amor divinus incidit in cor Magdalenæ, veluti ignis, qui statim in illo exussit omnia peccata. *Tantò namque amplius* (S. Greg. M. h. 33.) *peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.* Quod alio simili exponit S. Petrus ep. 1. c. 4. v. 8. *Ante omnia autem in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas*

operit

operit multitudinem peccatorum. Amor divinus purpura eſt, qui conſperſus præſertim ſanguine Chriſti, non tantùm operit, ſed eluit momento maculas graviſſimorum, & turpiſsimorum ſcelerum. Peccaſtis? & multum peccaſtis? diligite! & multum diligite: multum dimittetur vobis.

Deſideratis teſtimonia plura SS. Patrum? placebit vobis brevis illorum facundia & eloquentia. S. Aug. de laud. char. *Charitas eſt mors criminum, & vita virtutum.* Idiota c. 5. *Non eſt peccatum, quod dilectione Dei non remittatur, non macula tam fœda, tenax, ac etiam inveterata, quæ hâc dilectione, & hoc amore non diſſolvatur.* S. Aug. tr. 5. in c. 3. ep. 1. S. Joan. *Per dilectionem peccata ſolvuntur. Hæc ſi non teneatur, & grave peccatum eſt, & radix omnium peccatorum.* Contra ubi regnat, ubi imperat charitas, regnare non poteſt iniquitas. Ait enim amans cum Angelico Doctore, op. 61. de dil. c. 17. *Quem magis amo, magis revereor, & offendere magis vereor.* Idiota: *Dilectio Dei omni peccato contrariatur, & omni tentationi reſiſtit.* Unde fit, ut animæ pœnitentes, quando offenſas Creatori, Redemptori & benefactori ſuo illatas conſiderant, confundantur, magiſque in amore incaleſcentes, in ferventiſſimæ contritionis, & charitatis actus erumpant; inter quos, dum multum diligunt, multum illis remittitur, & omnia peccata auferuntur. §. 8. *Teſtimonia SS. Patrum.*

Sublatis vitiis, amor divinus in cordibus noſtris cœleſtis hortulanus eſt, qui in illis plantat pulcherrimarum virtutum flores. Quando fons aquæ vivæ in paludem ſe exonerat, ibi ſtagnaturus, inficit aërem, animalia venenata producit, prorſuſque corrumpitur. Non verò ita, quando per ſubterraneos canales, & tubos conſtrictus, in delitioſum quendam, amœnumque hortum derivatur; ibi namque per varios ſe ſe aquæ ductus in altum erigens, ad terram fœcundandam iterum deſcendit, illamque herbas, flores, fructus, & quidquid tandem in horti areolis pulchrum, jucundum, & utile eſt, progerminare facit. Videtur comparatio hæc placuiſſe S. Auguſtino in pſ. 31. *Aquam amoris tui, fluentem in cloacam, converte ad hortum.* Etenim amor noſter, dum fertur ad creaturas, veluti in paludibus & luto ſtagnans, generat ſerpentes, buffones, §. 9. *Amor DEI eſt hortulanus, qui in nobis plantat flores virtutum.*

aliaq; animalia venenosa, id est, multa vitia & peccata; unde S. Joannes nos monet, ep. 1. c. 2. v. 15, & 16. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Non verò idem nobis timendum est, quando amorem nostrum ab omnibus hisce rebus creatis subtrahimus, & Deo unimus; tunc enim verè impletur, quod Christus Salvator noster ait, Joan. 4. v. 14. *Si quis bibit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Mystica hæc aqua terram animæ nostræ fœcundat floribus & fructibus omnium virtutum. S. Ambr. Charitas omnium virtutum forma est, cùm per ,, ipsam omnium virtutum actus in debitum, & ultimum finem or- ,, dinantur. ,, Glossa in ep. 1. S. Joan. c. 2. Sicut dilectio mundi fons ,, est omnium vitiorum, ita dilectio Dei omnium virtutum. ,, S. Aug. t. 9. in 1. Joan. c. 2. Exclude malum amorem mundi, ut implearis ,, amore Dei. Vas es, sed adhuc plenus es (NNN.) funde quod ha- ,, bes, ut accipias, quod non habes; ,, scilicet amorem Dei, & cum illo virtutum omnium incrementum.

§. 10. *Rationes conglobatæ, propter quas utile est amare Deum*

Ex quibus omnibus, *Intelligo Domine*, inquiebat S. Th. de V. N. quoniam in amore meo non tuam, sed meam inquiris utilita- ,, tem. Propter me igitur amari vis à me; & quia diligis me, ideo di- ,, ligi vis à me; vides enim, quoniam in amore tuo vita mea consi- ,, stit; & propter hoc vis amari à me, ut vitam ego habeam à te. ,, Reverendi Patres, ideo Deus vult à vobis diligi, *ut & vos Societatem habeatis nobiscum, & Societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus IESV Christo.* Ideo, *tam districtè requirit à nobis amoris tributum, ut novum superaddat gloriæ beneficium.* Ideo à nobis vult diligi, (S. Leo) *quia in dilectione Dei nulla, in dilectione mundi omnia sunt noxia.* Ideo à nobis vult amari Deus, *ut æquali amore debitum rependamus; amor enim amore solvitur; adeo est amor nobilis, tantæ virtutis & efficaciæ, ut ipse solus Deum vincat.* Ideo Deus à nobis vult amari, quia nihil in amore asperum, nihil durum, nihil laboriosum. (Si placet, hoc modo poterit fieri elegans & conglobata repetitio Exhortationis.)

DE

DE VERA PIETATE ERGA DEUM,

IN OMNIBUS ACTIONIBUS AB HOMINE RELIGIOSO CONSERVANDA, EXHORTATIONES BINÆ.

In una veræ devotionis pulcherrimum ſpeculum proponitur, S. Ignatius; in altera S. Fr. Xaverius.

EXHORTATIO I.

De vera Pietate erga DEUM.

Exerce te ipſum pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia utilis, 1. ad Timoth. c. 4. v. 8.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXplicatur vera pietas ex mente S. Ignatii.

§. 1. *Quid, & quotuplex ſit pietas, & quanta excellentia.*

§. 2. *Propoſitio.*

§. 3. *Quænam ſit vera pietas ex mente S. Ignatii, ſitis videlicet divinæ gloriæ in omnibus operibus.*

§. 4. *Fundamentum veræ pietatis, quod poſuit S. Ignatius, ſolum Deum in omnibus actionibus*

§. 1. Quid & quotuplex sit pietas, & quanta excellentiæ.

MAgna res est pietas. A qua virtute, in statu religioso potissimùm pendet sancta, inculpabilis & exemplaris vita. Pietas autem, de qua loquar, est triplex. Prima, quæ *innata* dicitur, & est affectio quædam, ab auctore naturæ nobis indita, quâ inclinamur, ut aliis benefaciamus. Altera est *acquisita*, juxta regulas rectæ rationis animo inducta, quâ iis, qui causa ortus & educationis nostræ extiterunt, præ cæteris benefacere intendimus. Tertia & vera *pietatis species* est, quâ DEO obsequium præstamus, omnemque venerationem, & reverentiam exhibemus. Quæ virtus omnium excellentissima est, & quam ob varios titulos & causas DEO debemus, v. g. ut majori, & Creatori, cui nos creaturæ omne debemus obsequium, ut Domino, cujus sunt omnia, quæ ad nos spectant. Ut summo Benefactori, cujus beneficiis nil par referre possumus. Denique ut amantissimo Patri, qui per gratiam nos adoptavit in filios, cohæredes Christi, hæredes æternæ gloriæ. Dignitas & excellentia hujus virtutis tanta est, ut Ecclesiastes dixerit c. 12. v. 13. *DEUM time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*, id est, vera hominis beatitudo, felicitas, & summum ejus bonum consistit in vera erga DEUM pietate; de qua proinde dixit S. Paulus ad Timotheum c. 4. v. 8. *Exerce te ipsum*, &c.

§. 2. Propositio.

Amplissimam materiam de virtute pietatis, intra hos concludam

cludam terminos, ut vobis proponam, quid S. P. N. Ignatius, præsertim in Regulis, Instituto, & de cursu SS. suæ Vitæ, senserit, & docuerit, ut sciamus, quomodo in S. Societate vitam religiosam debeamus instituere.

§ 3. *Quanam sit vera pietas, ex mente S. Ignatii, situ scilicet divina gloria in omnibus operibus.*

Exerce te ipsum ad pietatem. Modum perfectissimum nos docet S. P. N. Ignatius & verbo & opere; dum Historia Vitæ illius de illo ait: *Omnes suas cogitationes, verba & opera in DEVM, tanquam in finem referens, ad DEVM & DEI gloriam, honoremque destinabat; unde hoc veluti symbolum, ad majorem DEI gloriam, in ore semper habebat.* Hoc modo omnes cogitationes S. Ignatii per totam diem fuerunt piæ, verba pia, opera pia. Ita S. Ignatius de die in diem, de septimana in septimanam, de mense in mensem, de anno in annum, *tanto erga DEVM flagravit amore, ut tota die illum exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quàm placere DEO.*

§. 4. *Fundamentum veræ pietatis, quod posuit S. Ignatius. Solum DEVM in nostris actionibus esse quærendum.*

Initio statim conversionis advertit S. Ignatius, incidisse se in illud tempus, de quo dixerat S. Paulus 2. ad Timoth. 3. c. v. 2. *Erunt in novissimis diebus homines se ipsos amantes, voluptatum amatores magis, quàm DEI; quæ sua sunt, quærentes, non quæ IESV Christi.* Quod ille malum avertere satagens, in antro Macrosano durissimam agens pœnitentiam, pro fundamento suorum spiritualium exercitiorum posuit: homini in hoc mundo nihil quærendum esse, nisi solam pietatem, sincerum DEI cultum, & desiderium majoris divinæ gloriæ. Altè sibi inculcans versum 4. capitis 1. ep. ad Ephes. *Elegit nos in ipso DEVS ante mundi constitutionem, & prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per IESVM Christum,* &c. *in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Paucis verbis in hoc versu S. Paulus insinuat altissima mysteria nostræ fidei; v. g. prædestinationem omnium cultorum ad gloriam. Omnium electorum & caput est Christus JESUS. Christus JESUS, sive Homo-Deus, supponit Incarnationem, Nativitatem, totam Christi D. vitam; Passionem & mortem ejus sanctissimam, gloriosam Resurrectionem, admirabilem Ascensionem, & felicissimam ejus sedem ad dexteram Patris. Sed fare S. Paule, cur ab æterno contigit illa electio electorum? in laudem gloriæ ejus. Cur Filius DEI factus est homo? in laudem

laudem gloriæ. Cur per annos 33. tot labores sustinuit? in laudem gloriæ; cur passus & mortuus fuit? in laudem gloriæ. Cur resurrexit? cur ascendit in cœlos? cur gloriosus sedet ad dexteram Patris? in laudem gloriæ. Ad hunc eundem finem, nos Pater cœlestis elegit in adoptionem filiorum; ideo pro nobis factus est homo, (fiat rursum pulchra repetitio, v.g. cur creavit nos? cur in creatione nobis dedit animam, cum anima memoriam NN. ad laudem gloriæ suæ,) ut piè vivamus, & unam & solam DEI laudem & gloriam quæramus.

§. 5. *Quomodo S. Ignatius ostenderit ardorem veræ pietatis, sive, &c.*

Hanc veritatem S. P. Ignatius in mysteriorum horum contemplatione, in suis exercitiis tam profundè apprehendit, ut in ejus Constitutionibus, sive Instituto, omnes ferè paginæ echonem relinquant harum vocum, *ad majorem DEI gloriam*; *ad majus DEI & Creatoris obsequium.* Piò curiosi observarunt, in solis Constitutionibus centies positas esse has voculas, *Ad majorem DEI gloriam*: has voculas, *Intuendo DEI gloriam, & obsequium,* octuagesies octies. In examine, ut vocamus, vicies septies. Quibus piissimus Ignatius satis ostendit, quid intus animo volveret; ut proinde, cùm S. Paulum appellemus ardentissimum JESU amatorem, eò quòd ampliùs quingenties SS. illud Nomen in suis epistolis expresserit; ob hanc eandem causam S. Ignatium vocare possimus ardentissimum divinæ gloriæ zelatorem. Felices S. Ignatii filii, exercete vos in pietate; alii vestri labores, vestra studia, subtiles vestri syllogismi vel per gradus scholarum, profundissimi Theologi, vestræ profundæ speculationes: Philosophi, &c. vestræ conciones; conversatio cum sæcularibus; visitationes hospitalium, carcerum & ægrorum, ad modicum utilis est, nisi accedat pietas, nisi omnes vestras cogitationes, verba & opera ad DEUM dirigatis.

§. 6. *Exercitia nostra spiritualia potissimùm peragenda sunt piè, hoc est, dirigenda ad majorem DEI gloriã.*

Sed de ipsis exercitiis spiritualibus hoc cupio intelligi, v.g. de medit. de horis, de exam. de orationibus, de lect. spirit. & præsertim de auditione vel celebratione Missæ; ut conemur omnia peragere piè; hoc est, ut exemplo S. Ignatii, cum actuali quâdam reflexione, dirigamus ad majorem DEI gloriam. Ita vos exercete in pietate.

Varias

§. 7. *Quare S. Ignatius Ordinem à se institutum appellaverit Societatem IESV.*

Varias sæpè legi & audivi causas, quæ S. Ignatium permoverunt, ut Ordinem à se institutum appellaverit *Societatem* JESU. Placet mihi illa, quam affert P. Lyneus, S. Ignatio summopere placuisse sententiam, quam JESUS protulit Joan. 8. v. 50. *Non quæro gloriam meam, sed ejus, qui misit me.* Quòd Christus D. suam gloriam non quæsiverit, variè ostendit Joan. 6. v. 15. dum cognovit, quòd venturi essent, *ut facerent eum Regem, fugit*; Matth. 17. v. 9. Cùm transfiguratus esset, dixit: *Nemini dixeritis visionem hanc.* Cùm cæcos illuminavit, ait, Matth. 9. v. 30. *Videte, ne quis sciat.* Matth. 8. v. 4. cùm curavit leprosum, *Nemini dixeritis. Cùm in formâ DEI esset, exinanivit semetipsum,* ad Philip. 2. v. 6. Hoc exemplum JESU Salvatoris, quærentis gloriam æterni Patris, in omnibus sequimini, & modo infinitè perfecto; ita placuit S. Ignatio, ut filios suos voluerit appellari *Socios IESV,* ut sciamus ejus exemplo, nihil nobis quærendum esse, nisi cultum & gloriam DEI.

§. 8. *Varia exercitia ardentis pietatis, v.g. S. Ignatii, P. Ludovici de Saura, S. Theresiæ.*

Eja filii S. Ignatii, exercete vosmetipsos in pietate! Piissimus S. Ignatius ita se exercuit; sæpè à terris ad quinque cubitos elevatus, & sublimis pendulus in aëre, millies suspiravit: *O DEVS! O mi Domine, si homines te agnoscerent, te amarent!* O si in omnibus nostris actionibus hæc nostra essent desideria, cum actuali reflexione, quàm piè viveremus! *Exercete vos,* &c. Piissimus P. Jacobus de Saura ita se exercuit, ausus vovere, *Ex amore sanctissimæ Trinitatis, IESV & Mariæ, atque Omnium Sanctorum, voveo, procurare majorem perfectionem; voveo aspirare ad perfectionem Angelicam; non habere affectum erga rem ullam, præter solum DEVM. Habere continuum actum amoris DEI. Exercete vos,* &c. S. Theresia ita se exercuit, cùm scripsit: *Videtur mihi honor meus in hoc consistere, quòd Dominus noster laudetur, & reliqua omnia parvipendo. Ipse enim testis est mihi, quòd nec honorem, nec vitam, nec gloriam, nec bonum aliquod corporis vel animæ volo, nec desidero, nisi DEI omnipotentis gloriam.* Unde contigit, ut quoties durum aliquod opus ageret, vel se mortificaret, vel gravissimos pateretur labores, dummodo adverteret, id cedere ad majorem DEI gloriam, tantum in se sentiret solatium, tantam lætitiam, ut exultaret in Deo JESU suo,

& omne pœnosum æstimaret suavissimum mel; exercete vos filii S. Jgnatii, &c.

§. 9. *Aliud pietatis exercitium, præscriptum à Ludovico Blosio.* P. Lyneus ex Lud. Blosio hoc pietatis exercitium nobis præscribit: *Enitere sedulò, & assuefac animum tuum, ut priusquam opus aliquod suscipias, mente ad DEUM directâ, tuos actus illi offeras, ad ejus majorem gloriam, & in unione operum & meritorum Christi.* Quæ oblatio momento potest fieri, dulci mentis in DEUM intentione. Cum tuis operibus offer te Deo Patri, in plenam expiationem peccatorum tuorum, &c. ipsum unigenitum ejus Filium, JESUM Christum; offer omnia, quæ pro te fecit, &c. Cujus quidem oblationis dignitas, & præstantia homini prorsus incomprehensibilis est. Hæc pietas *ad omnia est utilis.* Hæc pietas in vas plenum pretiosissimo vino, injicit guttulam aquæ, & convertit in vinum; guttulam liquefacti plumbi, in vas plenum auro purissimo.

§. 10. *Quædam conditiones veræ pietatis, v.g. ut sit universalis.* Hujus pietatis aliquot exigo conditiones, 1. ut zelus majoris Dei gloriæ sit continuus & universalis, qui se extendat ad omnes nostras actiones, etiam minimas & quascunque, juxta illud S. Pauli, 1. ad Cor. c. 10. v. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in DEI gloriam facite.*

§. 11. *Actualis.* Secunda conditio est, ut sit actualis; qualis fuit Christi D. à primo instanti Conceptionis suæ, ad ultimum usque vitæ momentum. Sine hac conditione pietas plerumque languet. Pietas ignis est, cui nisi semper nova adjiciantur ligna, facilè extinguitur; Pietas thesaurus est, cui nisi novæ adjiciantur gemmæ, nullum sumit augmentum.

§. 12. *Pura.* 3. Pietas hæc nostra debet esse purissima, nihil intendendo, nisi Deum.

§. 13. *Insatiabilis.* 4. Hæc pietas nostra non debet tantùm referri ad gloriam Dei, sed cum fervore S. Jgnatii, ad majorem Dei gloriam. Veræ pietati non sufficit, quocunque modo assequi aliquam perfectionem, sed anhelat ad perfectissimam. Quæ conditio iterum fundatur in exemplo Christi Domini Salvatoris nostri, qui gloriam sui Patris in omnibus quæsivit perfectissimo modo.

Quàm

Quàm hæc pietas nobis sit utilis, advertere possumus ex amabili visione, quæ S. Gertrudi fuit objecta; cùm vidit S. Joannem Evangelistam, veluti Notarium, sedere ad pedes Christi, sedentis in throno gloriæ, in candidissimo libro notare omnia pia opera religiosæ illius Congregationis, in qua vivebat S. Gertrudis. Visus autem fuit eorum pleraque describere, calamo in roseum Christi latus intincto; quædam etiam aureo colore exornare. Cujus visionis hæc fuit interpretatio: Ea opera describi roseo Christi sanguine, quæ fiunt in memoriam passionis Christi; ornari autem auro, si cum ardenti pietate offerantur ad majorem Dei gloriam. O pii filii S. Ignatii! O Socii JESU! exercete vos in pietate, v.g. vestras meditationes ita peragite, ut dignæ sint, quæ describantur roseo Christi sanguine, & ornentur ignito auro divini amoris, & zelo majoris DEI gloriæ. Exercete vos in pietate, præsertim in auditione, vel celebratione S. Missæ: illo fervore offerte ad Dei gloriam, &c. ut dignæ sint, &c. Verbo, in omni opere exercete vos ad pietatem.

§ 14 *Quanta hujus pietatis sit utilitas, ostenditur ex amabili visione, quæ objecta fuit S. Gertrudi.*

EXHORTATIO II.

DE PIETATE.

Exercete te ipsum ad pietatem, &c. ep. 1. ad Timoth. C. 4. V. 8.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

S. Xaverius proponit nobis pulcherrimum pietatis exercitium.

§. 1. *Exhortationis Propositio.*

§. 2. *Pietas S. Xaverii à flammis divini amoris adeo fuit accensa, ut videretur Seraph in terris.*

§. 3. *Ardens pietas S. Xaverii in meditatione, Sacrificio Missæ, & oratione horarum.*

§. 4. *Ardens ejus pietas in colloquiis, & conversatione.*

§. 5. *Inflammata pietas in studio, sive*

§. 1. Exhortationis Propositio.

QUÆ pietas homini Religioso Societatis sit necessaria & utilis, & qualis illa esse debeat, in priore Exhortatione ostendi ex Exercitiis S. Ignatii, & sanctorum Virorum, in quibus se exercuerunt ad pietatem, & veram cum DEO conjunctionem; flagrantes ardentissimo zelo, majoris DEI gloriæ. Instat festum gloriosissimi PATRONI, & amantissimi PATRIS mei S. Francisci Xaverii, quem dum nomino, nolite cogitare me velle vobis proponere admirabilia ejus gesta, vel tam varias & eximias virtutes, vel inaudita miracula, quòd vitam functis donaverit, quòd sedaverit nutu ventos & maria, quòd ademerit amaris aquis salsuginem, easque potui aptaverit, quòd longinqua prospexerit & futura; quòd linguis variis fuerit locutus, quòd locis variis eodem tempore adfuerit; quòd solus in fugam integros fuderit exercitus, aliaque similia numero & magnitudine admiranda; hoc unum hâc exhortatione vobis proponam, quàm pius fuerit S. Xaverius, & quænam nobis reliquerit exercitia, in quibus nos nosmetipsos debemus exercere ad pietatem. Fave mihi S. Xaveri, ut de tua eximia pietate, pia, & pio animo proponam.

§. 2. Pietas S. Xaverii à flammis divini amoris adeo accensa fuit, ut videretur Seraph in terris.

Pietatis anima est ardens in Deum charitas; & radix, de quâ cæteræ pullulant & florent virtutes. O pietatem S. Xaverii, quam tam ardentes flammæ divini amoris accenderunt, ut ipsum corpus nescio quem divinum evaporaret calorem; *ut vultu adeo inflammaretur*, (sic loquitur Summus Pontifex in Bulla Canonizationis,) *ut Angelicam prorsus repræsentaret charitatem*. De Seraphino, qui S. Seraphico Francisco sacra stigmatum impressit vestigia, ait D. Bonaventura, *Vidit S. Franciscus quasi speciem unius Seraphini, sex alas, tam fulgidas, quàm ignitas habentem; inter quas speciem quoque Crucifixi repræsentavit.* Talis Seraphinus in terris fuit S. Franciscus Xaverius, à flammis divini amoris, in terris, in mari, in sil-

in silvis, inter rupes, inter spinas, inter lectos ægrorum, inter turbam pauperum, & puerorum, adeo accensus, ut Seraphicis alis, tam fulgidis, quàm ignitis videretur velle evolare ad Deum suum; ut etiam oculi scintillarent, ut ignita lingua ignea eructaret suspiria! Felices Socii S. Xaverii, in sancta Societate Jesu! itane vos exercetis ad pietatem? itane flammæ divini amoris vestram accendunt pietatem, ut in omnibus vestris actionibus, qui præsentes sunt, etiam exterius advertant signa evaporantis alicujus caloris. Itane divinus amor inter omnes vestras occupationes, omni loco & tempore, adeo accendit vestram pietatem, ut si possetis, fulgidis & ignitis alis, velletis evolare ad Deum. Pietas à divino amore accensa, fax est, ignis est, qui oculos, qui linguam, qui verba, & omnia interna & externa accendit & inflammat.

§. 3. Ardens S. Xaverii pietas in medit. in Sacrificio Missæ, recitatione horarum, &c.

Pectus S. Xaverii, ait Vita, *semper, sed præsertim in Exercitiis devotionis, in meditationibus, sub recitatione horarum, sub Sacrificio Missæ, sub gratiarum actione, fornax fuit, in qua tantum æstuavit incendium divini amoris, ut cogeretur subinde temperare illud aquâ frigidâ, vel illi se immergere;* factum fuit sæpiùs, ut quia igni, quo urebatur, ferendo par non erat, compelleretur pectus nudare vestibus ad aliquam refrigerationem. In Sacro certum tempus servare non potuit, quòd suus plerumque tum non esset, sed pateretur divina. Inter quales legerit delicias, inde colligere possumus, quòd pars illarum deflueret in ministros, qui fassi sunt, &c. Finitâ Missâ præsertim, ignis pietatis adeo sursum elevabat cogitationes ejus, ut licèt vocaretur, licèt à Socio concuteretur, ad se non rediret, donec dilectus ejus dimisisset eum ab amplexibus & delitiis charitatis. O si sub his exercitiis nostris, v. g. in meditatione, in recitatione horarum, in Sacrificio Missæ, & potissimùm sub gratiarum actione, Xaverianas tantùm scintillas quasdam sentiremus! me certè quod attinet, frigidâ opus non est. Desidero tamen, ut S. Xaverius has pietatis scintillas mihi communicet.

§. 4. Ardens ejus pietas in colloquiis & conversatione.

In colloquiis, qualis fuit pietas S. Xaverii? tam inflammata, ut cùm de divinis rebus loqueretur, subinde non tantùm animo, sed ipso corpore sursum fuerit elevatus in aëra, ore inflammato, & ardentibus oculis; ex quibus tamen copiosæ fluebant lachrymæ, exube-

exuberantis in Deum charitatis indices. Talis fuit S. Xaverii pietas, cùm ad populum verba diceret; præsertim dum graves peccatores conaretur convertere ad seriam pœnitentiam. Pietatem S. Xaverii declararunt ignita illa jacula, quæ inter colloquia, & aliis cum proximo conversationibus igneo ore evibrabat, *O sanctissima Trinitas*: quæ voculæ Sancto tam fuerunt familiares, ut etiam idolorum cultores & barbari, sive necdum baptizati, in subito eventu, vel ob periculum aliquod timore perculsi, exemplo S. Xaverii, oculos elevarent in cœlum, & altis vocibus inclamarent: *O sanctissima Trinitas!* ignari quid dicerent, suspicati tamen, verba illa ad reverentiam & invocationem veri Numinis esse sacrosancta. O Socii & filii S. Xaverii, quomodo ejus exemplo, in his vos exercetis ad pietatem? &c.

§. 5. *Inflammata pietas in studio, sive assiduitate orandi.*

Inflammata S. Xaverii pietas, causa fuit illius studii & assiduitatis, quâ continuò se impendebat precibus & orationi. Neque enim putare debemus, illum ob labores, quos pro salute animarum exantlavit, oblitum fuisse orationis. *Sic est*, scripsit ex ora Piscaria, *vel solos pueros, quibus Christiana tradebat rudimenta, vix ad cibum, vel quietem, vel ad pensum divini officii persolvendum, sibi horæ partem vacuam relinquere*; *sic est*, scripsit ex Japonia, *à primo diluculo ad noctem, non licuisse sibi à docendo vel disputando respirare.* Nunquam tamen viginti quatuor fluxêre horæ, quibus non aliquot & multas daret Deo & orationi. De die Apostolus, nocte Anachoreta. Demptis duabus, ad summum tribus horis, quibus quiescebat; reliquas omnes consumebat in oratione. In navigationibus solenne illi erat, à media nocte, usque ad ortum Solis, orare: quiescebantque tum nautæ securi, de cursu navis parum solliciti, quòd dicerent orante S. Xaverio nullum imminere periculum.

§ 6. *Prosecutio*

In Urbe S. Thomæ somno brevi refectus, obrepebat in silentio in templum ad effigiem B. Virginis, & ibi quod noctis supererat, transigebat in oratione; nec abstitit, licèt à dæmonibus percuteretur. Manapore, ejus hospes de nocte per rimas sæpiùs observavit, quid ageret S. Xaverius; sæpissimè illum reperit, genibus flexis ad Christi pedes in Crucem suffixi; sed unde illi lumen,

mi-

micantibus è facie S. Xaverii radiis, quibus totum conclave collucebat. An non pius fuit S. Xaverius? Goæ, ut plurimum in templo brevem corpori somnum, reliquum tempus dedit orationi; Malacæ sacrarium habuit pro cubiculo, pro strato stoream, inde aram majorem adibat, & coram Augustissimo Sacramento, & Virginis Matris imagine noctem de genibus traducebat, nisi cùm interdum labore fractus, caput in aræ gradus reclinaret. An non pius fuit S. Xaverius? In regionibus Barbarorum, ubi non erant sacræ ædes, sub dio, post brevem quietem, jucundas exegit noctes, dum obambulans cœlum aspiceret, & cœlestibus delibutus gaudiis, suspiraret, *Satis est Domine, satis est.* Qualis quæso inter tot occupationes S. Xaverii fuit pietas? Indulgebatur per ea tempora hominibus pro bono animarum occupatis, ut quotidiano penso Ecclesiastici officii, satisfacerent recitatione officii, quod vocant, *trium lectionum.* Nunquam tamen S. Xaverius, neque in itineribus, neque in nosocomiis, &c. hoc privilegio fuit usus, quin imò singularum horarum initiis præmisit hymnum, *Veni sancte Spiritus*, ut illius flammis totus inardesceret; inter diurnos labores, post tot preces, qualis fuit somnus S. Xaverii? somnia de JESU. Item: *O dulcis IESV!* &c. Explico me paucis verbis: Omnes ejus occupationes, itinera, &c. Verbo, tota vita, interior & exterior, continua fuit oratio. Facilè advertitis, in quibus ad exemplar S. Fr. Xaverii, nostram debeamus exercere pietatem, ut nimirum ita nos occupemus, ita vacemus studiis, ita conversemur cum externis, ita doceamus in scholis, ita prædicemus Verbum Dei in cathedris, ita audiamus confessiones, ita visitemus hospitalia & ægros, ut dilecti Fratres Coadjutores, ita perficiant suos labores, &c. ut non obliviscamur orationis. Hoc regulæ veræ pietatis præscribunt, hoc nos docent exempla SS. PP. nostrorum S. Ignatii, & Fr. Xaverii.

Sed quàm pius, quàm benevolus fuit S. Xaverius erga pauperes, egenos & ægros? Ministeria corporibus ægrorum vocavit delicias: modus certè & fervor, sive alacritas, quâ illis succurrit, ostendit, nihil illi esse jucundiùs; cùm in aliquo portu ex navi exscenderet, rectà tendebat ad nosocomium, ubi ægris tam sollici- §. 7. *Ejus pietas erga pauperes, egenos & ægros.*

tam.

tam navavit operam, ut qui convalescebant, palam testarentur, se sanitatem & vitam debere curæ, industriæ, & pietati S. Xaverii. Goæ, Coccini, Malacæ, & alibi, cùm advenisset, antequam pergeret ad nostros, quorum videndi anhelabat desiderio, priùs tamen ægros in hospitalibus suo aspectu & alloquio fuit solatus. Nostras ædes cùm ingrederetur, prima erat quæstio, *ecquis domi ægrotus?* eumque ante alios visebat. Ad pietatis igniculos fovendos, pulchrè ait Vita, in iis, quibus inserviebat, etiam purulentis, ulcerosis, *inspiciebat IESVM Christum.* Ideo, jacentes in compitis ægros tollere, portare in nosocomium, lavare illorum pedes, de corporibus detergere sordes, sternere lectos, abluere saniosos pannos, coquere cibos, curare vulnera, illa inspicere, &c. Xaverianæ fuerunt delitiæ: & eò majores, quò ægri essent fœdiores, & molestioris graveolentiæ. Pietas Xaverii in his omnibus inspiciebat Christum JESUM. Eò illum adegit pietas & charitas, ut lecto suo imponeret ægros, ipse anchorarario in fune quiesceret. Tum sibi gratulabatur Xaverii pietas, cùm tenuem suam stoream poneret ad pedes ægri, ut ad minimum gemitum adesset, & ægrum vel juvaret, vel consolaretur: tantus denique fuit fervor Xaverianæ pietatis, ut leprosorum ædes non horruerit ingredi, pro ægrorum solatio. In leprosoriis etiam S. Xaverius invenit JESUM. In leprosoriis S. Xaverius fuit pius. Non permittit tempus, vos ducere ad carceres, in quibus pulcherrima exhibuit spectacula suæ pietatis erga captivos. In his quoque inspiciebat Christum JESUM. Cupio paucis tantùm adhuc insinuare, qualis fuerit pietas S. Xaverii in rebus arduis, & gravibus periculis.

§. 8. *Pia S. Xaverii fiducia in DEUM in rebus arduis.*

Certè, adeo hic pietatis ardor illum fecit generosum, ut licèt audiret mare Japonicum tempestatibus & naufragiis esse famosum, nihilominus navi piraticæ, se illuc vehendum commiserit, piratâ duce, eoque ethnico, ancipiti valde successu, cùm nihil esset procliviùs, quàm ut præceps projiceretur in mare, vel in desertam Insulam exponeretur. Nihil horum timuit Xaverius, dicens: *Mortem non timeri ab iis, qui divinâ voluptate perfruuntur.* Quæ verba ego sic intelligo, qui v. g. mane, cum voluptate per christianam meditationem, hoc est, piè, per diem ad omnia est promptus.

Ita

Ita de Sacro, &c. S. Xaverius his roboratus voluptatibus, uni ex amicis dixit: *Exploratum habe, pro tua in DEVM fiducia & spe nihil tibi omnino, nisi ejusdem permissu nocere posse; cùm enim hoc persuasum tibi sit, res omnes DEI nutu, consilioq; regi, atque gubernari; divino præsidio tectus, nihil habes, quod metuas, nisi hoc unum, ne DEVM offendas.* Alteri scripsit: *Cavendum, ne humanis præsidiis freti, deperdamus aliquid de fiducia DEI: tum magno præsentique animo sis, & fretus DEO, aggredere ardua pro gloria DEI,* &c. Eja amantissimi Fratres, exemplo S. Francisci Xaverii, in vestris laboribus, qui non desunt, exercete vos ad pietatem, ut spes vestras collocetis in DEUM.

Sed qualis fuit mors S. Xaverii? piissima! Annum mortis sibi fuisse cognitum, ex eo patet, quòd sex Lusitanis amicis circumastantibus dixerit: *Vasa ad iter in cælum & mortem paremus; annum insequentem pars nostrûm maxima non videbit.* Et verò ex illis sex, illo anno obière quinque, inter quos fuit S. Xaverius: Diem mortis quod attinet, Nauclerus Lusitanus jurejurando affirmavit, à Xaverio fuisse prædictum. A quo diu ante tam dulcis & amica parati præmii denuntiatio, omnes deinceps ejus cogitationes, etiam à Sinis, in quibus habitabant, in cœlum revolvit. Tempus omne, quod morbum præcessit, in eo ponere, deambulare secus mare, erecto in cœlum aspectu & animo, totusque beatis lachrymis & desideriis incendi; nihil jam nisi de morte colloqui, de vitæ mortalis tædio, de æterna gloria, de desideriis videndi DEUM. Cùm in morbo ultimo, in quem incidit manè lecto Sacro, hanc mihi opto gratiam, ut lecto devotè Sacro, in supremum incidam morbum, deportatus ad navim, à rabie ventorum impediretur, mentem integrè in DEO defigere, transferri voluit in apertum mapale, &c. ingravescente morbo, in his S. Xaverius se ostendit pium. Figere oculos nunc in cœlum, nunc in Crucifixi imaginem, quam nequaquam dimittebat. Occupatio S. Xaverii ultima fuit, JESUM morientem suavissimis verbis alloqui, sanctos ejus pedes rigare lachrymis: ita jacuit per triduum, quo animadversum fuit, quòd jam cœlestibus inciperet frui delitiis, inter quas tandem, cùm sæpiùs ingeminasset illa verba: *IESV, fili David, miserere mei.*

§. 9. *Piissima mors S. Fr. Xaverii.*

§. 10.

O Maria, monstra te esse Matrem. O sanctissima Trinitas. In te Domine speravi, non confundar in æternum; hæc dicens, suavissimè expiravit. Eja NN. qui colitis S. Xaverium, exercete vos ad pietatem.

EXHORTATIO I.

DE VANITATE MUNDI, ET RERUM COELESTIUM STABILITATE.

Modicùm, & jam non videbitis me,
Joan. 16. v. 16.

SYNOPSIS.

LEge titulum Exhortationis.

§. 1. *Binæ veritates, menti altè infigendæ.*
§. 2. *Quibus vita hujus sæculi sit dulcis: quibus non.*
§. 3. *Bonis caducis præferenda sunt cœlestia.*
§. 4. *Sensus S. Ignatii.*
§. 5. *Iuxta mentem S. Pauli Apostoli.*
§. 6. *Quas veritates ipsi Ethnici agnoverunt, v. g. Cicero.*
§. 7. *Et Seneca.*
§. 8. *S. Ignatius Martyr. S. Augustinus.*
§. 9. *Et S. Bernardus.*
§. 10. *Mater Machabæorum.*
§. 11. *Comparatio inter Romam & cœlum.*
§. 12. *Monitum S. Leonis.*
§. 13. *Abstracti à terrenis, libenter moriuntur.*

§. 1. *Duæ Veritates, menti altè infigendæ.*

HANC duplicem Veritatem, de mundi vanitate, & rerum cœlestium stabilitate, quivis Religiosus, præsertim Societatis IESU, menti suæ altè debet imprimere, veluti duo axiomata, vel binas regulas, quarum cognitio, veluti accensum lumen, necessariò in nobis accendit ardens desiderium con-

contemnendi mundum, & quærendi cœlestia; sibi persuadendo, honorem, voluptates, divitias, & similia, minimè esse id, quod apparent; neque esse vera bona, uti stultus mundus prædicat, sed merissimam vanitatem, & inane nihil. Ac licèt boni nomen, titulusque illis tribuatur, mala tamen potiùs dici mereri, ob ingentia, quæ ab iis accipimus detrimenta; malos enim nos faciunt, judicium adimunt, in via virtutis impediunt, peccatis occasionem præbent, atque in multa incommoda, & vitæ hujus miserias nos inducunt; & tandem in hora mortis necessariò dici debet, *Vanitas vanitatum*. Utramque propositam veritatem paulò fusiùs vobis proponam.

Ex sanctis Patribus initium faciat S. Joannes Chrysostomus, hom. 66. in Joan. *Dulcis*, inquit, *est præsens vita, & multa plena voluptatis. Non tamen omnibus, sed iis tantùm, qui illi sunt affixi. Quòd si quis in cœlum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, ac nullius pretii existimabit. Nam & corporum pulchritudo, quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur; cùm verò aliud præstantius apparuerit, illa prior despicitur. Quòd si illam pulchritudinem etiam nos intueri voluerimus, & cœlestis regni speciem considerare, confestim nos hujus sæculi vinculis dissolvemus.* Ita S. Chrysostomus. §. 2. *Quibus vita hujus seculi sit dulcis, quibus non.*

Subscribunt S. Chrysostomo alii sancti Patres. S. Paulinus ep. 4. ad Severum: *Omnia sub Sole vanitas. Proinde super Solem, veritas. Ita qui in veritate consistunt, etsi intra mundum vivant, habitatione corporeâ, tamen supra mundum sunt conversatione cœlesti: & astrorum choros, vel cœlorum polos, evolantes, spiritu scandunt, & supervadunt, celsioresque elementis agunt.* Elegantissimè Guerricus Abbas ser. 4. de S. Benedicto: *Fit, ut nihil reputentur temporalia, si præ oculis habeantur æterna; influxibus siquidem divinis,* (ut loquitur S. Ambros. l. 3. de Virg.) *corporeus peregrinatur affectus, & usus ille exterioris hominis exolescit.* Quid autem S. Augustinus? Hic inter aureas suas sententias & hanc ponit, num. 15. *Mirabilis est fabrica mundi, sed mirabilior fabricator. Et malè occupatur creatis, qui à Creatore discedit; cui si inhæserit, inferiora calcabit, ne quod dilexerit contra naturam, convertatur in pœnam.* §. 3. *Bonis caducis præferenda sunt cœlestia. Testimonia SS. Patrum.*

§. 4. Sensus S. Ignatii. Hæc & talia sine dubio legit S. Ignatius, & jugi meditatione secum volvit. Ideò cùm quietum silentium teneret omnia, & nox in suo cursu medium haberet, vigilabat S. Ignatius! neque enim dormire illum divinus sinebat amor; & frequenter turri conscensâ domesticâ, unde virum latè terras, camposque despectans, cœlestibus mentem cogitationibus oblectabat; istuc animum inferre satagens, quò subsequi corpus nequibat. Et cùm ignes, quibus æstuabat, diutiùs continere non posset, totam mundi machinam, veluti punctum, pede calcans, exclamavit ex cap. 3. Baruch. v. 24. *O Israël! quàm magna est domus DEI, & ingens locus possessionis ejus! magnus, & non habet finem, excelsus & immensus.* O felices! quibus datum est, ab ubertate domus illius inebriari! quot nobis interim obstacula superanda? quot tædia ferenda? quot nauseæ exsorbendæ? O patria! ô exilium! patria pulcherrima! exilium fœdum ac miserandum! *O quàm mihi sordet terra, cùm cælum aspicio.* In mundo nihil nisi vanitas, & inconstantia! In *cælo vera stabilitas, & stabilis æternitas.*

§. 5. Iuxta mentem S. Pauli Ap. Quas voces S. Ignatius iterum didicit à Doctore suo Gentium S. Paulo, qui redux in terras ex tertio cœlo, sive paradiso, Regum palatia & viridaria, luxum & pompam, divitias & honores, voluptates omnes, omnia quæ in mundo sunt, arbitratus est ut stercora, ut ne oculo quidem dignaretur lumen omne, quod bonis caducis, & mortali pulchritudini, mundus aspersit. RR. Patres, si filii sumus S. Ignatii! si hæredes excelsi ejus spiritus! si sub ejus glorioso nomine Socii & imitatores JESU: ut quid mundi aliquæ rosulæ nobis placent? quare sapit mel aliquarum commoditatum, &c. (habes locum pro pulchris digressionibus.)

§. 6. Quas veritates ipsi Ethnici agnoverunt, v.g. Cicero. Admiratione dignum est, Ethnicos, & Christianâ fide extorres, has veritates, de mundi vanitate, de cœlestium bonorum stabilitate, intellexisse, & penetrasse; adeò, ut Romanæ eloquentiæ parens Cicero, in somnio Scipionis dixerit: *Ipsa terra, ita mihi parva visa est, ut me Imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret. Quam cùm magis intuerer, quæso, inquit Africanus, quò usque humi mens tua defixa erit? nonne aspicis, quæ in templa veneris.* Et inferiùs: *Sentio,* inquit, *te sedem etiam nunc hominum contempla-*

templari, ac domum, quasi tibi parva, ut est, ita videtur; hac cœlestia semper spectato, illa humana contemnito. Quod Plotinus quoque lib. 3. à viro sapiente exegit, nimirum, *Oblivionem rerum inferiorum & terrenarum, ut duntaxat memor sit altissimarum & divinarum.* Multò magis hoc exigitur à Viris Religiosis, &c.

Sed præclarè admodum Seneca l. 1. natur. quæst. in proœmio: *Virtus, quam affectamus, magnifica est,* (attendite RR. PP. an Vir verè Religiosus, &c. magnificentiùs loqui possit,) *non quia per se beatum est, malo caruisse; sed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cælestium, dignumq; efficit, qui in consortium veniat DEI. Tunc consummatum habet plerumque bonum sortis humanæ, dum calcato omni malo, petit altum! Tunc juvat inter sidera ipsa vagantem,* (memores estote illorum, quæ paulò antè dixi de S. Ignatio,) *divitum pavimenta ridere, & totam cum auro suo terram; non illud tantùm dico, quod jam egessit, sed & illud, quod in occulto servat avaritiæ posterorum. Nec potest antè contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles sylvas, & derivata in domos flumina, quàm totum circumeat mundum, & terrarum orbem supernè despiciens, angustum, & magnâ ex parte opertum mari, etiam quà exstat, latè squalidum, aut ustum, aut rigentem, sibi ipsi, ait: Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur! O quàm ridiculi sunt mortalium termini! Punctum est istud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis, brevi peritura!* §. 7. Et Seneca.

Hæc Romanus Sapiens, & sapienter: cujus verba, verbis christianis ita constringit S. Ignatius Martyr, cujus aurea hæc verba reperies apud S. Hieronymum: *Nunc incipio Christi discipulus; nihil de his, quæ videntur,* (adde, quæ audiuntur, gustantur, sentiuntur, ac possidentur, quorum omnium eadem est vanitas,) *desiderans, ut IESVM Christum inveniam.* Hic est Veritas? hic solus bona offert stabilia & æterna. In mundo, *vanitas vanitatum!* quas, qui hanc veritatem intelligit, pedibus conculcat. Attendamus ad nos, an simus cum S. Ignatio, tales discipuli Christi D. an sentiamus cum S. Augustino, qui cùm in meditatione aliquas guttulas cœlestis gloriæ degustasset, quasi ebrius exclamavit: *O anima! si quotidie oporteret nos tormenta perferre; si ipsam gehennam parvo* §. 8. S. Ignatius M. S. Augustinus.

 tempore

tempore tolerare, ut Christum in gloria videre possemus, nonne erat dignum pati omne, quod triste est. Ser. 57. de SS. *Et nihilominus fieri potest, ô dementiam! ut filii hujus sæculi, à Babylone mendicent micas, & frustula; tam delicatis, nec unquam desituris aulæ cœlestis epulis despectis.* Imitemur nos saltem in hoc S. Augustinum, ut quæ quotidie molesta nobis occurrunt, licèt levia sint, spe futuræ gloriæ, toleremus libenter: sine emendicatione solatiolorum, quæ sensuales aliqui avidè insectantur. Expende cœlestes gazas, ac nunquam desitura gaudia revolve; & desipient ista omnia, & nihil te tanget, aut afficiet ex iis, quæ antè tantopere arridebant.

§. 9. Et S. Bernardus. Quod pulchrè advertit S. Bernardus ep. 114. *Omnis jucunditas comparata* (cum cœlesti gloria) *mæror erit: omnis suavitas, dolor: omne dulce, amarum: omne decorum, fœdum; omne postremò, quod aliquem oblectare possit, molestum.* Ita fieri solet, ut comparatione institutâ, inter divinas voluptates, quas DEUS Electis largitur, & quas illis præparavit in cœlesti gloria: & profanas illas, quas mundus largitur, longè magis & pluris æstimemus priores: hæ enim firmæ sunt & stabiles; illæ vanæ, caducæ, citò perituræ!

Silvanus Abbas rogatus, cur oculos studiosissimè deprimeret, nec fere quidquam vellet aspicere, respondit: *Ut rerum infimarum deformitas, cœlestia spectacula non perturbet.* Quid ais, Vir sancte? deformis tibi videtur hæc rerum universitas, nobilissimi Architecti, tam nobilis machina? Fateor esse talem & tantam, ut nulla id possit assequi industria, nulla eloquentia satis pro dignitate explicare; nihilominus mundi hujus bona, tam DEO vilia sunt, ut juratis ejus hostibus illa in hoc mundo communicentur: longè ergo nobiliora debent esse illa, quæ Electorum sorti, atque hæreditati reservantur.

§. 10. Mater Machabæorum. Horum pretium noverat generosa illa tot Martyrum Mater & genitrix, scilicet Machabæorum, quæ nato parvulo, cùm post reliquos fratres superesset, inter tormenta exspiranti dixit, l. 2. Machab. c. 7. v. 20. *Peto nate, ut aspicias ad cœlum, & ad terram;* (istud æstimando, hanc contemnendo,) *ita fiet, ut non timeas istos carnifices, &c.*

§. 11. Comparatio. S. Fulgentius, cùm Romanam vidisset magnificentiam, pulchrè

chrè dixit: *Quàm speciosa erit Ierusalem cœlestis, si ita fulget Roma terrestris! Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas, diligentibus vanitatem, quænam præstabitur Sanctis, diligentibus veritatem.* S. Ludovicus Ep. Tholosanus, Caroli Siciliæ Regis filius, sancto & regio ore hæc verba protulit: *Si domum, & paternum regnum contemplor, parum id est, contemplanti ingentia illa spatia, quæ sursum sunt, in quorum possessionem animus admittitur, si se homo erexerit super se.* Adeo verum est illud Bernardi, ep. 3. *Æternis inhianti, fastidio sunt transitoria.* Hæc fuit mens S. Ignatii suspirantis: *Heu! quàm sordet terra, cùm cælum aspicio*; hoc est, ut nobilis cecinit ille Poëta: inter Romam & cælum.

Vos astra testor, agmen in cælo vigil,
Orbisque sempiternus errantis chorus,
Divinitatis intima, scenæ extima!
Dum vos avaro sæpe conspectu fruor,
Dedisco rerum pretia: Nunc gemmæ jacent,
Iam pallet aurum, non habet flores humus,
Et quæ placebant ante, nunc sordent opes.

Eò nos toties invitat Mater Ecclesia, dum canit: *Oculos in altum tollite, illic licebit visere, Quòd nesciat finem pati, sublime, celsum, interminum.* Cùm in mundo nil sit, nisi vanitas.

Sequamur consilium S. Leonis ser. 2. de Asc. *Sursum itaque vocatos animos, desideria terrena non deprimant; ad æterna præelectos peritura non occupent; viam veritatis ingressos, fallaces illecebræ non retardent; & ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant; in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter.* S. Bern. *Non pudet te, erecto vultu cælum suspicere, & dejectâ mente repere in terra?* §. 12. Monitum S. Leonis.

Hinc fit, ut filii hujus sæculi, in morte tam ægrè à bonis hujus mundi abstrahantur, (ut alibi ostendo,) electi verò gaudeant, ad æterna bona se evocari. Hoc nostro sæculo, anno 1627. eximium specimen in Sinis præbuit celeberrimus quidam Mandarinus, à Patribus Soc. ad veram fidem conversus, in baptismo dictus Michaël. §. 13. Abstracti à terrenis libenter moriuntur.

chaël. Mira de illo, & fusè refert P. Janinus, in Hist. sua Asiatica. Mors ejus fuit sanctissima. Refero, quod meo servit discursui: *Michaël*, ait historia, *quò morti fiebat propior, eò jucundius beatitatis proxima afficiebatur fiducia, Patremque lateri assidentem, compellans, dixit: Quàm libenter pro cœlo terra deseritur!* suosque lecto circumstantes videns, *Nec isti*, addebat, *me plus tangunt, quàm si nihil ad me attinerent, nec mundi totius perstringit gravius jactura, quàm si planè in mundo non vixissem.* Inter hos assultus, vitam pariter cum voce amisit. (Fiat p. epilogus.)

EXHORTATIO II.

QUÆNAM MAJOR SIT PERFECTIO, ANhelare statim cum Christo D. gloriose resurgente à mortuis, ad gloriam æternam; Vel, desiderare longiorem vitam, ad majorem DEI gloriam?

Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, ad Philip. 1. v. 23.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Disputatur proposita quæstio, in utramque partem.

§. 1. *Cognitio cœlestis gloriæ generat ejusdem desiderium.*

§. 2. *Tali desiderio exarserunt B. Aldoncia, Castellana: & Sancia Carillo.*

§. 3. *Et S. Theresia.*

§. 4. *Alius sensus Mariæ Diatiæ.*

§. 5. *Judicium P. Ludovici de Ponte, de utraque.*

§. 6. *Ardor S. Mariæ Magd. de Pazis.*

§. 7. *Pulchra historia de S. Dunstano.*

§. 8. *Fervor Antonii Consalvii Franciscani.*

§. 9.

QUæstionis hujus causam asscribite Christo Salvatori nostro, qui aliquoties in Evangeliis, quæ Paschali tempore leguntur, ut Apostolos cœli desideriis incenderet, tanto verborum apparatu, & tot similitudinibus usus fuit, ad cœlestis gloriæ magnitudinem nobis proponendam; ex cujus cognitione, flagrans ejusdem desiderium necessariò nascitur. Ita Sionis Rex David, cœlestem patriam de longè tantùm conspexerat, & veluti scintillam tantùm cœlestis gloriæ animo conceperat, cùm ignea illa desideria eructavit, ps. 83. v. 1. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit & deficit anima mea, in atria Domini.* Cùm ad Xerxem Persarum Regem delatæ essent ficus Atticæ venales, quæ dulcedine cæteras omnes longissimè superabant: negavit Rex se illas gustaturum, dum victor regione illâ potitus esset, quæ fructus ejusmodi ferret. Ita David; ita cum illo Viri sancti, quotquot cœlestis gloriæ dulcedinem degustârunt, desistere, vel quiescere nequeunt, donec plenâ ejusdem possessione mentem & desiderium suum expleverint.

§. 1. *Cognitio cœlestis gloria generat ejusdem desiderium.*

Tali desiderio cœlestis gloriæ exarserat B. Aldoncia Castellana Virgo; cui dum suprema hora mortis imminere denuntiaretur, gaudio exiliens exclamavit: *Et hac ultima hora est, quâ Dominus à famula sua offendi queat.* Sancia Carillo Hispana, divinitùs accepto nuntio, intra annum se cum Domino futuram, cœlique gaudiis à DEO donandam, usque adeo affligi & gemere cœpit, præ gloriæ istius desiderio tam diu dilatæ, ut nulla res eam recreare, vel consolari possit; queri igitur audita: *Quod genus patientiæ huic moræ sufferendæ, par erit? O carcer! ô captivitas! ô vita! quantum mihi es martyrium! O infinitæ bonitatis abysse! quando me demergam in te? O DEUS! quando te aspiciam? Currite tempora, ite veloces dies, fluite horæ, ut illa appropinquet, quâ vallem hanc lachrymarum deserens, ad paradisum proficiscar; ubi sub umbra ejus, quem amavi, æternùm conquiescam.*

§. 2. *Tali desiderio exarserunt B. Aldoncia Castellana, & Sancia Carillo.*

§ 3. *Et S. Theresia.* Tali desiderio cœlestis gloriæ flagravit Seraphica Virgo S. Theresia; quod cùm ante fieri non posse videret, quàm ipsam mors ex hoc carcere educeret, & hanc nullâ arte sibi procurare liceret, vivens quotidie moriebatur; quapropter quoties horæ signum dabatur, internâ quâdam voluptate is eam demulcebat sonus, quòd hoc sibi pacto DEUM crederet reddi propiorem, nec continere se poterat, quin instantissimis precibus mortem à DEO flagitaret, ut ex epistola ejus patet, in qua scribit: *Equidem nullum interim dum vivitur, remedium comperio: hinc à Domino ardenter efflagito, ut me ab omni malo liberet. Et quodnam quæso, charissima filiæ, in hac vita bonum reperimus, cùm tam magno, excellentique careamus bono, & ab ipso absentes simus? Libera me Domine ab hac umbra mortis.* Tum suavissimè instar cœlestis lusciniæ cantillare solebat: *Videant te oculi mei, suavissime IESV.* Quis neget talia, & tam ferventia desideria in se continere, vel supponere excellentem gradum eximiæ cujusdam sanctitatis & perfectionis. Ita sensit S. Theresia.

§. 4. *Alius sensus Mariæ Diaziæ.* Nihilominus Maria Diaz S. Theresiæ discipula, cùm esset octogenaria, morbis plurimis, gravissimisque molestiis exercita, longiorem tamen optabat vitam, ut plura pro Domino ac Creatore suo pati posset, cupiebatq; hoc exilium sibi prolongari, ut meliùs de Redemptore mereri posset; persuasa, in hac vita se posse aliquid DEO dare, tolerando multa pro ejus amore, ac studio adversa; at in altera non nisi præteriti laboris præmia accipere posse: cùm verò sat temporis supersit, ad fruendum DEO per totam æternitatem, æquum esse, ut multa hîc patiamur, propter dilectum, ut ei magis placeamus, ac magis deinde accepti & dilecti, eum aliquando videamus. Ita sensit Maria Diažia.

§. 5. *Iudicium P. Lud. de Ponte, de utraque.* De quibus religiosissimus Pater, Lud. de Ponte, hoc tulit judicium: *Pia harum Sanctarum contentio, in qua habet utraque suæ opinionis fundamentum bonum; securum tamen esse fundamentum Diaziæ, cùm non propriis viribus, sed divinæ gratiæ inniteretur, cujus magnificum sanè donum, & inprimis singulare est, multa pro nomine ejus, & amore pati, juxta pronuntiatum Apostoli*, ad Philip. 1. v. 29. *Vobis datum est, pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam patiamini pro illo.*

De

De S. Maria Magdalena de Pazis refert Vita, quòd magnis à DEO precibus contenderit seriùs evocari ad cœlum, ut tantò ampliùs, atque opportuniùs patiendi pro Domino, ejusque gloriam augendi tempus consequi posset, quod istic non esset repertura. §. 6. *Ardor S. Magdalenæ de Pazis.*

Admirabile est, quod Osbertus refert de S. Dunstano Archiepiscopo Cantuar. Anniversaria Ascensionis Christi D. celebrabatur memoria; cùm in Ecclesia sua Christi gloriam, ac triumphum contemplatus, ingentem vidit candidatorum hominum turbam, auro, gemmisque splendidam, ad se descendere; audieratque, quid sibi nomine Christi Domini nostri afferrent, scilicet, ut secum in cœlum abiret, ad idem festum majori illic solennitate celebrandum. Quibus cùm grates pro tanto beneficio retulisset, respondit: *Sibi ad populum de ista verba esse facienda, de gloria ac triumpho Christi; atque ideo non posse se impræsentiarum ipsos comitari.* Cœlites hâc ejus excusatione admissâ, virum laudarunt, utque in proximum Sabbathum se ad iter compararet, monuerunt; admisit Vir sanctus condictum; quo illucescente ad Domini gloriam, quam ad honorem ejus tam diu distulerat, feliciter migravit. §. 7. *Pulchra historia de S. Dunstano.*

Antonius Consalvius, ex Ordine S. Francisci, tanto animarum zelo efferbuit, ut dixerit, cœlesti se Paradiso pedem si intulisset, quantocyùs elaturum, ut unius peccatoris exomologesim excipere possit. O sanctum desiderium, gratum acceptumq; DEO! utile ac quæstuosum desideranti votum! *Menti namque*, (ut bene S. Gregorius hom. 15. in Ezech.) *sponsum suum fortiter amanti, una solet esse consolatio; si per hoc, quod ipsa à DEI visione differtur, aliorum animæ ad cœlestem sponsum amoris facibus inardescant.* §. 8. *Fervor Antonii Consalvii Franciscani.*

Excelluit inter hos heroës S. Ignatius, qui licèt ad beatam illam vitam jugiter anhelaret, ita, ut quoties de morte sua cogitaret, temperare sibi à lachrymis præ lætitia non posset; ita, ut si quando graviorem incidisset in morbum, conceptâ migrandi spe, abstraheretur quasi à sensibus; jussusque fuerit ex Medicorum voluntate, ut mentem à rebus cœlestibus nonnihil revocaret; tamen vitæ hujus prorogationem, spe divinæ gloriæ magis amplificandæ, fer- §. 9. *Et S. Ignatii.*

ret fortiter; imò desideraverit diutiùs vivere. Auditus dicere: *Factâ duarum rerum optione, ut vitâ vel confestim excederet, cæli securus; vel superstes aliquamdiu, sed non proinde ita certus degeret; in hanc se partem iturum esse, dum præclarum aliquod operæ pretium DEO facere interim liceret; periculo præ obsequiis contempto.* O nobile sanctioris consilii decretum! O amorem DEI, sæculis omnibus deprædicandum.

§. 10. *Iuxta exemplum & doctrinam S. Pauli Apostoli.*

Non dubito, S. Ignatium in hoc præ oculis habuisse exemplum & doctrinam S. Pauli; cui cùm optionem Dominus dedisset, vel confestim in cœlum proficisci, vel cum incertitudine, (ut S. Joannes Chrysostomus scribit,) istuc postmodum pertingendi, hominum saluti diutiùs subservire; postremùm mente quâdam generosissimâ elegit. Audite ipsum loquentem ad Philip. 1. v. 23. *Coarctor è duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo & permanebo, omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei.* Super hæc audienda sunt aurea verba, quæ fluxerunt ex aureo ore, & calamo S. Chrysostomi in ep. ad Philip. *Nihil Pauli animâ beatiùs, quoniam nihil etiam magis generosum; de nobis dici potest: Nihil nobis infirmiùs, nihil miseriùs. Propterea omnes horremus mortem, vel* (contraham verba S. Chrys.) *peccatorum multitudine gravati, quorum ego primus sum; vel ducentes miserum esse mori*, &c. Ergo, quod omnes horremus, Paulus optavit, dicens: *Cupio dissolvi.* Sed ô S. Paule, quid dicis, te ignorare, quid eligas? cùm hinc abiens, sis futurus cum Christo; & hæsitas, ac dicis: *Quid eligam, nescio?* Nec hoc tantùm, sed eligis manere! in carne, in exilio, in carcere, &c. Quid ita? Nunquid acerbam vitam ducebas, in vigiliis, in naufragiis, &c. (Est locus pro pulcherrima descriptione, ex ejus epistolis) imò ais, *In multâ patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, &c. periculis fluminum, &c.* Et moribundam adhuc vitam desideras?

§. 11. *Profectio.*

Sed licèt nihil horum accidisset S. Paulo, licèt omnia fuissent prospera & trànquilla; nonne tamen oportebat, incerta futuri temporis pertimescentem, ad portum aliquem contendere? Ecquis

merca-

mercator navi vectus, thesaurorum plenâ, si liceat subire portum, ac requiescere, mari adhuc jactari malit. Ecquis athleta, cùm liceat potiri coronâ, adhuc certare postulet? Ecquis Dux, qui cùm à bello gloriâ & trophæis liberari queat, & cum Rege in Regia, quietus degere, seq; oblectare, adhuc præoptet prodire in aciem? O Pauli animam! nihil illi aut par fuit, aut futurum est! Recusavit esse cum Christo, & hoc propter Christum! ut quos illi paravit servos, firmiùs in illius amore stabiliat! non audistis, illum non quæsivisse, quod sibi, sed quod proximis utile. O Domine DEUS! quis loquetur potentias tuas? qui in mundo Paulum dedisti! Laudarint te Angeli, cùm fabricatus es cœlos, Solem, Lunam, & reliqua sidera! sed non perinde, atque eo tempore, quo in terris vixit S. Paulus. Simile quid dicamus de S. Ignatio, cùm ausus fuit dicere: *Si ejus sibi fieret optio, &c.* O dignum tanto Doctore discipulum!

Vix dum ferventis animi sui sensum super hac re protulerat S. Ignatius, cùm quidam illi ait: *Mi Pater Ignati, quæ foret prudentia, tanto se ipsum propter alienum commodum periculo exponere?* cum sedato animo Vir sanctus reposuit: *Quis mortalium est Principum, qui oblata videns stipendia tantisper à milite differri, quoad pluribus illa titulis mereatur, non obstrictum se vicissim credat ad eadem illi, vel tutò conservanda, vel etiam duplicanda? Et Principes igitur nostri hoc soleant, negligeret DEUS? aut beatitudinem, utique suâ causâ dilatam, pateretur amitti? Alius hac deliria somniet: animum ego, ut hæc de DEO, Principe tam facili ac munifico, inducere non possum.* § 12. *Objectio facta S. Ignatio, & responsio.*

Hujus Ignatiani spiritus generosissimus hæres fuit ille Henricus Walpolus, gloriosus in Anglia Martyr. Meretur ejus epistola, quam scripsit, ut millies legatur. Hæc ejus sunt verba ad aliquem amicum: *Si verè DEUM amas, certè nihil adeo grave tibi esse potest, atque summam illius Majestatem, etiam in minimis offendere; nec quidquam tantopere expetes, atque remedium aliquod, quo securus esse possis, te nunquam ampliùs DEUM offensurum. Quod cùm in hac vita haberi non possit, continuò clamabis cum Psalmista, ps. 119. v. 5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Cupio dissolvi, &c. Quis dabit* §. 13. *Admirabilis spiritus Henrici Walpoli, Martyris in Anglia.*

bit mihi pennas? &c. Magnum quidem est, pro amore DEI laborare, dolores & tormenta tolerare; magnum, animas lucrari; magnum, in religione cum continua sui victoria vivere; si tamen hæc fieri non possint, quin DEVM meum offendam, mallem his omnibus missis, citò mori, quàm cum quotidiana DEI, in quamtumvis exiguâ offensione, hæc omnia præstare. Si tamen DEVS hujus miseriæ conscius, velit vitam procrastinare, & me in calamitatis valle diutiùs exercere, veniat labor, carceres, tormenta, crux, craticula, leones; veniant, quæcunque venire possunt; imò, ex animo precor te, bone IESV: ut veniant, & per vulnera tua suppliciter peto, ut ab hac hora, in qua hæc scribo, incipiant, & ad vitæ terminum perdurent. Nihil recuso, omnia amplector, &c. non quòd ego pulvis id valeam, sed quòd possum omnia in eo, qui me confortat. Ut si aliquæ scintillæ hujus spiritus & nos urerent, &c. (Fiat p. epilogus.)

EXHORTATIO UNICA.

DE FUGA INORDINATÆ TRISTITIÆ, UT SIT LOCUS VERO GAUDIO CORDIS.

Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur, Joan. 15. v. 11.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

MAgnum adjumentum ad perfectionem, est fuga inordinatæ tristitiæ, ut quis cum gaudio & lætitia cordis serviat DEO.

§. 1. Propositio.
§. 2. Varii effectus inordinatæ tristitiæ. Vel, ejusdem species.
§. 3. Fructus lætitiæ, & gaudii.
§. 4. Adhortatio ad veram lætitiam.
§. 5. Vera lætitia, perficit nostras actiones.
§. 6. Tres venenati fontes, inordinatæ tristitiæ.
§. 7. Æquissimum est, ut obviemus tristitiæ, & hos fontes obstruamus.

§. 8.

§. 8. *Varia remedia contra tristitiam. Prima, Obedientia & Humilitas.*
§. 9. *Secunda, Bona & munda conscientia.*
§. 10. *Tertia, Memoria DEI.*
§. 11. *Quarta, Oratio.*
§. 12. *Simile.*

INgens adjumentum ad obtinendam magnam perfectionem, in vita spirituali, præsertim in sancta Societate JESU, est fuga inordinatæ tristitiæ, ut quis cum gaudio & lætitia cordis serviat Domino DEO. De utroque puncto afferam pauca in hac exhortatione; præsertim cùm advertam vos dispositos, ut quæ dicturus sum, benevolo animo, & in corde bono excipiatis. §. 1. *Propositio.*

Inordinatam tristitiam plerumque comitatur 1. Acedia, sive aggravatio quædam, quæ non tantùm animum interius afficit, sed exterius procedit ad membra corporis, ut planè langueant, in operum, ad quæ tenentur, executione: hinc ingens defectus promptitudinis, quæ ferè per totam diem in omnibus actionibus requiritur. Sub jugo hujus acediæ, tædii, vel aggravationis, grave & ponderosum est jugum religiosæ disciplinæ, quod experientia docet. Jubet v. g. Regula, ut mane audito primo pulsu campanæ, quis ex lecto se proripiat, ut &c. aggravato præ tristitiâ homini, hæc omnia sunt difficilia. Alter effectus inordinatæ tristitiæ, est quædam angustia vel oppressio animi, ex apprehensione alicujus mali, cujus nullum apparet effugium. Hinc 3. exoritur mœror, & metus quidam, de futuro mali augmento. 4. Inordinata tristitia, frequenter præsertim inter Religiosos oritur ex aliqua invidia, sive dolor de alieno bono, veluti damno, ac proprio malo: qui dolor secum trahit interitum omnis lætitiæ. Lætitia enim, sive verum gaudium, efficit animi latitudinem, magnanimitatem, libertatem, charitatem, pacem, benignitatem, & solatium, quo homo excitatur ad omne bonum. Quæ omnia veluti nobilissimos fructus arrodit, &, nisi obviam eatur, corrodit inordinata tristitia. S. Chrysost. ep. 8. ad Olymp. *Tristitia animarum crudele tormentum est; dolor quidam inexplicabilis, & judicium, omnium judicio, vindictâque deterius. Nam & vermi similis est venenato, non solùm carnem, sed & animam perimens; & tinea non solùm ad ossa, sed ad corda pertingens:* §. 2. *Varii effectus inordinatæ tristitiæ. Vel eiusdem species.*

&

& perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, sed vires animæ consumens; & jugis nox, ac tenebræ profunda, & tempestas, & turbo: febris non apparens, omni igne validius incendens, & pugna requiem non habens.

§. 3. *Fructus lætitiæ & gaudii.* Alii longè fructus nascuntur ex gaudio & lætitia cordis; hâc enim animatus S. Paulus Apostolus, ausus fuit dicere ad Philip. c. 4. v. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* q. d. Omnia mihi sunt facilia. Et Salomon Prov. 12. v. 21. *Non contristabit justum, quidquid acciderit ei.* Ubi pulchrè S. Chrysost. hom. 16. in ep. ad Hebr. *Cælum cùm altiùs sit nubibus ac pluviis, cùm nubibus obducitur, pati putatur, sed nihil patitur: sic & nos, etiamsi putamur pati, nihil patimur; id est, quasi nubibus obduci putamur, sed non tristamur.* Et S. Ambrosius l. 3. de off. c. 5. sensum ejus refero: Quis negabit, profundum esse mare, ideo quòd habeat vadosa litora; vel cœlum esse lucidum, ideo quòd obducatur nubibus; vel terram esse fœcundam, eò quòd germinet spinas & tribulos; pari ratione, homo religiosus, etiamsi subinde pungatur spinis, non ideo tristatur, sed solatur se copiosâ segete eximiarum virtutum, (ita de cœlo & mari.) *Non contristabit injustum, quidquid acciderit ei.*

§. 4. *Adhortatio ad veram lætitiam.* Insignis Asceta Apollonius sic ait: *Tristentur Gentiles, Iudæi, & alii infideles; justi verò, qui spe vivâ cælestia bona exspectant, lætentur & exultent.* Quem sensum hausisse videtur ex Regio Psalte, ps. 31. v. 11. *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.* Ps. 104. v. 3. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Ps. 99. v. 2. *Servite Domino in lætitia; introite in conspectu ejus in exultatione.* Quam doctrinam olim & hodie multi Religiosi, & Servi Dei, tam avidè imbiberunt, & imbibunt, ut etiam exterior facies perfectam quandam lætitiam & animi tranquillitatem præ se ferre videantur. Quo sensu S. Athanasius vultum S. Antonii appellavit *Speculum lætitiæ.* Celeberrimus ille Abbas Apollo, cùm quingentos haberet discipulos, sic eos nihilominus instituit, ut semper essent alacres & læti; verumque esset illud Isaiæ c. 42. v. 4. *Non erit inter illos tristis, nec turbulentus.*

§. 5. *Vera lætitia perficit nostras actiones.* Axioma Aristotelis est 10. Ethic. c. 4. *Delectatio perficit operationem; tristitia verò corrumpit.* Quod si verum est in qualibet operatio-

ratione, multò magis verum erit in operatione virtutum, quarum exercitatio facilis est homini læto, difficillima homini tristi. Quod simili declarat Sapiens Proverb. 25. v. 20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Delectatio verò perficit operationem. Examinemus rem practicè, v. g. Una ex præcipuis quotidianis nostris actionibus, est meditatio; (suppono, præmissas esse necessarias præparationes & dispositiones à S. P. N. præscriptas) perficit illam delectatio, (hoc modo fiat inductio, de recitatione horarum, de Sacrificio Missæ, &c.)

Sed bene monent SS. Patres, observandos esse præcipuè tres fontes, ex quibus plerumque scatet nociva tristitia, de qua mihi sermo est. Primus est, melancholicus quidam humor in corpore prædominans, non tam corporeæ constitutioni congenitus, quàm quòd mœstis, tetricis, & melancholicis cogitationibus, diu multumque fotis, expensis, nec rejectis alatur & foveatur; de quibus cogitationibus Cassianus dixit, *non secus ac turpes statim ex animo esse ejiciendas.* Fons alter, est impotens animi motus, & turbulenta mentis commotio, ex variis passionibus progenita, quæ nisi mortificentur, infallibiliter generant tristitiam; v. g. oritur inordinatum desiderium alicujus rei commodæ sensualitati, vel amori proprio, quæ obtineri non potest; hinc mœror & tristitia, (possunt fieri plures tales inductiones,) cùm vel quid negatur, quod fortiter ambitur, vel perditur, quod immodicè amatur. Tali tristitia obruti fuerunt Ægyptiis, cùm in deserto dixerunt, Exodi 16. v. 3. *Vtinam mortui essemus per manum Domini, in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Tertius fons est superbia, cui si negentur desiderata, radix est enormis tristitiæ. Exemplum habemus in Aman, de quo c. 5. Esther v. 13. in ejus persona: *Cùm hæc omnia habeam,* NNN. *nihil me habere puto, quàm diu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias,* &c. Pius Mardochæus transeunti Amano non assurrexerat. Ecce fontem fatalis tristitiæ, quæ omnem lætitiam, quam haurire poterat ex tot opibus, &c. extinxit, & in amarissimam convertit discruciationem, & crudele tormentum.

§. 6. *Tres venenati fontes, inordinatæ tristitiæ.*

§. 7. *Æquissimũ est, ut obviemus tristitiæ, & hos fontes obstruamus.*

Hi fontes homini religioso omni curâ & studio sunt obstruendi; sicut enim vertitur in dedecus Principis, habere secum aulicos, non nisi mœsto semper vultu, & servili timore, quasi tyranno servientes; econtra ad honorem ejus cedit, videre omnes magnâ alacritate & hilaritate ejus se obsequiis impendentes; ita & hîc, cùm enim DEUS ex nostris obsequiis nullam sibi quærat utilitatem, sed unicam gloriam suam & honorem; mirum non est, si inter præcipuas nostrorum obsequiorum conditiones, hanc maximè requirat gaudii & lætitiæ spiritualis, ad omnem in suo servitio à corde nostro tristitiam excludendam.

§. 8. *Varia remedia contra tristitiam. 1. Obedientia & humilitas.*

Media præscribuntur varia. Francisco Costero Novitio in Societate, dixit S.P. Ignatius: *Fili mi! gaudeas semper in Domino! Religiosus nullam habet causam tristitiæ, sed lætitiæ multam. Quapropter denuò tibi dico, semper sis lætus & hilaris; & eris indubitatè, si humilis atque obediens esse contenderis. Fili, egregia habes talenta, sed nisi verâ animi demissione præcellueris, fiet, ut oppidò contristeris, & affligaris. Ob adversam aëris temperiem, fortassis in natale solum, in Belgium remitti voles; ego verò contrà in Siciliam te mittere decrevi! si autem de te ipso, circa locum, officiumque statuere quidpiam cœperis, frequenter continget, aliud à superiore ordinari; unde melancholicos animi affectus, tristesque mentis habitus, oriri necesse erit. Vt igitur semper gaudere possis, humilis atque obediens sis, oportet.*

§. 9. *Bona & munda conscientia.*

Aliud remedium Seraphicus S. Franciscus suasit Fratri, quem advertit tristem, his verbis: *Oportet eos, qui dæmoni, mundo, carni, non verò DEO serviunt, tristes esse; non autem religiosum, nisi fortè in aliquam culpam ipse inciderit, cujus dum conscius sibi fuerit, quamprimùm pœniteat, & confiteatur; divinam implorans contrito corde ac spiritu misericordiam.* Quò conscientia liberior est ab omni culpa, eò major & tranquillior est ejusdem lætitia. Fons veri gaudii, est bona conscientia.

Unica res in mundo est, de qua præcipuè debemus dolere, scilicet peccatum. Ita sensisse videtur Philippus II. Hispaniarum Monarcha; intumuerat illi poples ob tetrum apostema, & à sola novacula sperabatur Regi salus; incidendum ergo in tot nervorum confinio porrigitur ulcus: Princeps filius hoc cernere vix potens,

tens, *ah*, inquit, *mi Domine! mi Pater! nunquid incisionem hanc graviter sentis, ac doles? Graviùs*, respondit, *anima meæ plagas, quas ei peccata mea inflixerunt, sentio, & deploro.* Prudenter sanè, talis tristitia operatur pœnitentiam; pœnitentia generat lætitiam. Quod se expertum fatetur S. Aug. l. de catech. rud. c. 16. *Verius atque jucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quàm de mala inter delitias.* Idem: *Dulciora namque sunt gaudia pœnitentiva, quàm gaudia theatrorum.*

Tertium, & præstantissimum remedium contra tristitiam nobis præscribit Annæus Seneca ep. 23. ad Lucilium, & revera ad omnes Christianos: *Hæc ante omnia fac, disce gaudere; ad summa pervenit, qui scit, quo gaudeat: securè gaudet, qui gaudium in Deo quærit.* Unde patet, quàm graviter illi decipiantur, qui pro remedio tristitiæ, ad consolatiunculas externas captandas, ex vano risu, & nugaci confabulatione, &c. confugiunt; quos David ps. 4. v. 3. meritò ita alloquitur: *Filii hominum! usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Non enim foris quærenda est lætitia, sed intus, ubi signatum est lumen vultus DEI: in ipso corde, ubi habitat charitas. Ennodius l. 5. ep. 15. *Apud DEUM hilaritas lachrymis obtinetur, & mœror transit in lætitiam.* S. Bas. hom. de grat. ait: *Anima, quæ semel modis omnibus desiderio se astruxit sui Conditoris; jamque insuevit oblectare se illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui jucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari - ob varia occurrentia incommoda, - quin ea potiùs, quæ aliis mœrorem afferunt, & tristitiam, in cumulum sibi vertet, & lætitiæ accessionem.*

§ 10. *Memoria DEI.*

4. S. Jacobus in sua ep. c. 5. v. 13. hoc suadet: *Tristatur aliquis vestrûm, oret,* contra molestum hunc hostem, arma orationis mutuanda sunt. Ita D. JESUS Rex & legifer noster, dum nocte illâ funestâ & luctuosâ, ex tormentorum imminentium æstimatione & pavore, oppressus tristitiâ, ad orationem confugit, & pro mœroris atque angustiarum incrementis, orationi instabat constantiùs; ac *factus in agonia, prolixiùs oravit*; & oratione absolutâ, animosus hostibus ivit obviam.

§ 11. *4. Oratio.*

Cùm cubiculum impletum est fumo, aperimus fenestras, ut

§. 12. *Simile.*

à novo aëre respiremus; ita quisquis sentit se fumo tristitiæ arctari, & opprimi, in oratione cor suum debet DEO aperire, ut spiritum attrahamus, quo reviviscamus. Hoc se fecisse gloriatur David psl.67. v.2. *In tribulatione mea, Deum exquisivi manibus meis: nocte contra eum, & non sum deceptus: renuit consolari anima mea, memor fui DEI, & consolatus sum.* (Fiat pulcher Epilogus.)

TRACTATUS SEPTIMUS, DE RENOVATIONE VOTORUM.

EXHORTATIO I. DE RENOVATIONE VOTORUM.

Quid dignum offeram Domino? Michææ c. 6. v. 6.

SYNOPSIS.

S. Ignatius in sua Societate instituit renovationem Votorum, ut DEO offeramus perfectum holocaustum.

§. 1. *Proponit Synopsin.*
§. 2. *Prosecutio.*
§. 3. *Quale obtulit Patriarcha Abraham in immolatione Isaaci.*
§. 4. *Quomodo S. Chrysologus describat*

scribat spiritualem immolationem.

§. 5. Qualis requiratur aqua ad talem hostiam. Christus D. effudit triplicem.

§. 6. Similes aquas & nos DEO debemus offerre.

§. 7. Regius Psaltes, quàm alacri animo DEO obtulerit vota sua: quodnam acceperit præmium.

INtentionem renovationis Votorum, quam S. P. noster bis singulis annis nobis præscripsit, eleganter meo judicio nobis proposuit citatus Michæas Propheta c. 6. v. 6. *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu DEO excelso; nunquid offeram in holocaustomata, & vitulos agniculos? nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo?* LXX. Interpretes aliis pulchris verbis elucidant hanc Michææ quæstionem, dum legunt: *In quo apprehendam Dominum? & suscipiam DEUM meum excelsum?* S. Hieronymus ita legit: *Quomodo eum potero tenere fugientem? Quantâ munditiâ valebo præparare hospitium Trinitati?* tum propositis quæstionibus ita respondet: *An comprehendam eum in holocaustomatibus? ut totum me ei holocaustum offeram? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? Dabo quidem, quidquid in me primum est, pro peccato animæ, solus dignè sanguis offertur.* Sed quodnam est illud holocaustum, de quo S. Hieronymus loquitur? Doctissimus Arcones in Isaiam ait, oblationem trium religiosorum votorum in statu religioso, esse tale holocaustum & perfectissimum: quibus votis veluti tribus funibus vel vinculis, Religiosus se cum DEO suo constringit. *Quisquis*, ait citatus Interpres, *tribus Divinis Personis sanctissimæ Trinitatis, tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ nuncupat, iisdem Personis mundissimum præparat habitaculum. Primogenita nostra, sunt omnia illa, quæ tenerrimè diligimus, & quæ in magna apud nos sunt existimatione & appretiatione; ita, & quidem secundùm Regulas hujus mundi prima sunt sensualitas, honor, libertas, & ipsa vita, quæ omnia per tria vota DEO offerimus.* Denique ait, *Quisquis se DEO his votis consecrat, amoris martyr est, qui in ara cordis sui sanguinem suum, & carnales affectus mactat, & litat.* Omnia paulò fusiùs, breviter tamen vobis proponam. §. 1. Quare S. P. noster ita instituerit Renovationem Votorum

Ordiar verbis S. Pauli ex cap. 12. ep. ad Rom. v. 1. *Obsecro itaq; vos* §. 2 Nimirum,

mi hujus potus delitias non admittuntur, nisi qui moriuntur suis passionibus, ut desipiant delitiæ hujus mundi. Argutè & breviter S. Bernardus: *Memento, hanc esse aquam, quæ procedit de latere dormientis. Oportet enim jam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari*; ut quis dicere possit cum S. Paulo: *Vivo ego, jam non ego; ego autem mortuus sum mundo.* Adverto vos repleri piissimis cogitationibus, & desideriis delitiandi in latere & corde JESU, præsertim cras, cùm vota vestra renovabitis.

§. 6. *Similes aquas & nos DEO debemus offerr.* Sed inter sanctas has cogitationes, inter pios hos motus & affectus; discite à S. Bernardo, quomodo & vos offerre debeatis has aquas, ut hostia, quam offerre cogitatis, sit munda & sancta. *Tu ergo primam aquam habes, si rigas lachrymis conscientia tuæ stratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, si labore pœnitentiæ corpus tuum castiges, ac restinguis concupiscentiæ flammas.* Advertitis credo causas, ob quas præterito triduo ex Exercitiis S. Patris N. propositæ nobis fuerint meditationes Viæ Purgativæ. *Si contigit, nos in illa reperisse fontes aquarum contritionis, doloris, &c. non dubito, cras nos oblaturos hostiam sanctam. Et quia vera contritio, fons est, ex quo necessariò pullulant rivi pulcherrimarum virtutum*; ut has acquiramus, usi sumus meditationibus Viæ Illuminativæ. S. Laur. Justinianus ser. de B. Laurentio, de utroque hoc puncto sic ait: *Cupiditatis flammam miles Christi, & sensualitatis petulantiam carnis maceratione castiget; censurâ verò virtutum, incompositos animi restringat impulsus. Insigne quippe martyrii genus est, vitiorum cohibere motus, atque cupiditatis resecare pruritus.* S. Hier. *Habet & pudicitia servata martyrium suum.* Et sic *priores aquæ*, inquit S. Bern. *sanguinei erunt coloris; ob divinæ charitatis ardorem, quem acquisivimus contemplationibus Viæ unitivæ.* His positis, hoc superest, obsecro vos, Patres & FF. dilectissimi, per misericordiam DEI, ut &c. *Ita sanguine*, inquit Nicetas, *Dominico sanguine honorabimus.* Et quid digniùs DEO nostro offerre poterimus? quo perfectiori modo dignissimum SS. Trinitati in nobis præparabimus habitaculum?

§. 7. *Regius Psaltes quàm* Hos motus & affectus sensisse videtur Regius Psaltes, cùm plenus jubilo, ps. 125. v. 14. ait: *Vota mea Domino reddam coram omni*

populo

populo ejus. Quæ verba Hugo Carensis ita applicat Religioso: *Vota Domino reddam, scilicet tria vota, quæ sunt in religione, scilicet votum paupertatis, votum continentiæ, votum obedientiæ; in atriis domus Domini. Domus Domini cælum est, cujus atria sunt religiones. Quia sicut per atrium intrabatur in templum, ita per Religiones intratur in cælum.* Et subdit S. David non sine mysterio: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Tertullianus legit: *Mors Religiosorum ejus.* Hugo Card. ait: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus; id est, ipse ingressus Religionis, in qua spiritualiter moriuntur Sancti ejus, voluntariè amittentes motum & sensum, quia in religione non moventur propriâ voluntate, nec secundum proprium sensum reguntur, aut discernunt.* Obsecro vos Fratres, per misericordiam DEI, ita dispositi, renovate cras vota vestra; ita animis vestris estote parati, ut quivis cum jubilo dicat, cum regio Psalte, *Vota mea Domino reddam.* Ita ad pretiosam nos præparabimus mortem, ita per atrium sanctæ Societatis JESU, domum Domini, læti, & æternùm beati ingrediemur.

alteri animo DEO obtulerit vota sua, q od acce-p [illegible] it præmium.

EXHORTATIO II.

DE RENOVATIONE VOTORUM.

Vota mea reddam Domino, Ps. 115. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ALiæ causæ, ob quas S. Ignatius in Societate JESU instituit renovationem Votorum.

§. 1. *Spiritus, quo DEO primâ vice obtulimus vota, facilè intepescit.*

§. 2. *Phœnicis admirabilis transmutatio.*

§. 3. *Est symbolum renovationis Votorum.*

§. 4. *Aliud spiritualis innovationis symbolum, est accipiter.*

§. 5. *In quo consistat hæc renovatio.*

bit mihi pennas? &c. Magnum quidem est, pro amore DEI laborare, dolores & tormenta tolerare; magnum, animas lucrari; magnum, in religione cum continua sui victoria vivere; si tamen hæc fieri non possint, quin DEUM meum offendam, mallem his omnibus missis, citò mori, quàm cum quotidiana DEI, in quamtumvis exiguâ offensione, hæc omnia præstare. Si tamen DEUS hujus miseriæ conscius, velit vitam procrastinare, & me in calamitatis valle diutiùs exercere, veniat labor, carceres, tormenta, crux, craticula, leones; veniant, quæcunque venire possunt; imò, ex animo precor te, bone IESU: ut veniant, & per vulnera tua suppliciter peto, ut ab hac hora, in qua hæc scribo, incipiant, & ad vitæ terminum perdurent. Nihil recuso, omnia amplector, &c. non quòd ego pulvis id valeam, sed quòd possum omnia in eo, qui me confortat. Ut si aliquæ scintillæ hujus spiritus & nos urerent, &c. (Piat p. epilogus.)

EXHORTATIO UNICA.

DE FUGA INORDINATÆ TRISTITIÆ, UT SIT LOCUS VERO GAUDIO CORDIS.

Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur, Joan. 15. v. 11.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

MAgnum adjumentum ad perfectionem, est fuga inordinatæ tristitiæ, ut quis cum gaudio & lætitia cordis serviat DEO.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *Varii effectus inordinatæ tristitiæ. Vel, ejusdem species.*
§. 3. *Fructus lætitiæ, & gaudii.*
§. 4. *Adhortatio ad veram lætitiam.*
§. 5. *Vera lætitia, perficit nostras actiones.*
§. 6. *Tres venenati fontes, inordinatæ tristitiæ.*
§. 7. *Æquissimum est, ut obviemus tristitiæ, & hos fontes obstruamus.*

§. 8.

Ingens adjumentum ad obtinendam magnam perfectionem, in vita spirituali, præsertim in sancta Societate JESU, est fuga inordinatæ tristitiæ, ut quis cum gaudio & lætitia cordis serviat Domino DEO. De utroque puncto afferam pauca in hac exhortatione; præsertim cùm advertam vos dispositos, ut quæ dicturus sum, benevolo animo, & in corde bono excipiatis. *§ 1. Propositio.*

Inordinatam tristitiam plerumque comitatur 1. Accedia, sive aggravatio quædam, quæ non tantùm animum interius afficit, sed exterius procedit ad membra corporis, ut planè langueant, in operum, ad quæ tenentur, executione: hinc ingens defectus promptitudinis, quæ ferè per totam diem in omnibus actionibus requiritur. Sub jugo hujus acediæ, tædii, vel aggravationis, grave & ponderosum est jugum religiosæ disciplinæ, quod experientia docet. Jubet v. g. Regula, ut mane audito primo pulsu campanæ, quis ex lecto se proripiat, ut &c. aggravato præ tristitiâ homini, hæc omnia sunt difficilia. Alter effectus inordinatæ tristitiæ, est quædam angustia vel oppressio animi, ex apprehensione alicujus mali, cujus nullum apparet effugium. Hinc 3. exoritur mœror, & metus quidam, de futuro mali augmento. 4. Inordinata tristitia, frequenter præsertim inter Religiosos oritur ex aliqua invidia, sive dolor de alieno bono, veluti damno, ac proprio malo: qui dolor secum trahit interitum omnis lætitiæ. Lætitia enim, sive verum gaudium, efficit animi latitudinem, magnanimitatem, libertatem, charitatem, pacem, benignitatem, & solatium, quo homo excitatur ad omne bonum. Quæ omnia veluti nobilissimos fructus arrodit, &, nisi obviam eatur, corrodit inordinata tristitia. S. Chrysost. ep. 8. ad Olymp. *Tristitia animarum crudele tormentum est; dolor quidam inexplicabilis, & judicium, omnium judicio, vindictâque deterius. Nam & vermi similis est venenato, non solùm carnem, sed & animam perimens; & tinea non solùm ad ossa, sed ad corda pertingens:* *§. 2. Varii effectus inordinatæ tristitiæ. Vel ejusdem species.*

&

& perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, sed vires animæ consumens; & jugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempestas, & turbo: febris non apparens, omni igne validius incendens, & pugna requiem non habens.

§. 3. *Fructus lætitiæ & gaudii.* Alii longè fructus nascuntur ex gaudio & lætitia cordis; hâc enim animatus S. Paulus Apostolus, ausus fuit dicere ad Philip. c. 4. v. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* q. d. Omnia mihi sunt facilia. Et Salomon Prov. 12. v. 21. *Non contristabit justum, quidquid acciderit ei.* Ubi pulchrè S. Chrysost. hom. 16. in ep. ad Hebr. *Cælum cùm altiùs sit nubibus ac pluviis, cùm nubibus obducitur, pati putatur, sed nihil patitur: sic & nos, etiamsi putamur pati, nihil patimur; id est, quasi nubibus obduci putamur, sed non tristamur.* Et S. Ambrosius l. 3. de off. c. 5. sensum ejus refero: Quis negabit, profun-„ dum esse mare, ideo quòd habeat vadosa litora; vel cœlum esse „ lucidum, ideo quòd obducatur nubibus; vel terram esse fœcun-„ dam, eò quòd germinet spinas & tribulos; pari ratione, homo re-„ ligiosus, etiamsi subinde pungatur spinis, non ideo tristatur, sed „ solatur se copiosâ segete eximiarum virtutum, (ita de cœlo & mari.) *Non contristabit injustum, quidquid acciderit ei.*

§. 4. *Adhortatio ad veram lætitiam.* Insignis Asceta Apollonius sic ait: *Tristentur Gentiles, Iudæi, & alii infideles; justi verò, qui spe vivâ cælestia bona exspectant, lætentur & exultent.* Quem sensum hausisse videtur ex Regio Psalte, ps. 31. v. 11. *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.* Ps. 104. v. 3. *Lætetur cor quærentium Dominum.* Ps. 99. v. 2. *Servite Domino in lætitia; introite in conspectu ejus in exultatione.* Quam doctrinam olim & hodie multi Religiosi, & Servi Dei, tam avidè imbiberunt, & imbibunt, ut etiam exterior facies perfectam quandam lætitiam & animi tranquillitatem præ se ferre videantur. Quo sensu S. Athanasius vultum S. Antonii appellavit *Speculum lætitiæ.* Celeberrimus ille Abbas Apollo, cùm quingentos haberet discipulos, sic eos nihilominus instituit, ut semper essent alacres & læti; verumque esset illud Isaiæ c. 42. v. 4. *Non erit inter illos tristis, nec turbulentus.*

§. 5. *Vera lætitia perficit nostras actiones.* Axioma Aristotelis est 10. Ethic. c. 4. *Delectatio perficit operationem; tristitia verò corrumpit.* Quod si verum est in qualibet operatio-

ratione, multò magis verum erit in operatione virtutum, quarum exercitatio facilis est homini læto, difficillima homini tristi. Quod simili declarat Sapiens Proverb. 25. v. 20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Delectatio verò perficit operationem. Examinemus rem practicè, v. g. Una ex præcipuis quotidianis nostris actionibus, est meditatio; (suppono, præmissas esse necessarias præparationes & dispositiones à S. P. N. præscriptas) perficit illam delectatio, (hoc modo fiat inductio, de recitatione horarum, de Sacrificio Missæ, &c.)

Sed bene monent SS. Patres, observandos esse præcipuè tres fontes, ex quibus plerumque scatet nociva tristitia, de qua mihi sermo est. Primus est, melancholicus quidam humor in corpore prædominans, non tam corporeæ constitutioni congenitus, quàm quòd mœstis, tetricis, & melancholicis cogitationibus, diu multumque fotis, expensis, nec rejectis alatur & foveatur; de quibus cogitationibus Cassianus dixit, *non secus ac turpes statim ex animo esse ejiciendas.* Fons alter, est impotens animi motus, & turbulenta mentis commotio, ex variis passionibus progenita, quæ nisi mortificentur, infallibiliter generant tristitiam; v. g. oritur inordinatum desiderium alicujus rei commodæ sensualitati, vel amori proprio, quæ obtineri non potest; hinc mœror & tristitia, (possunt fieri plures tales inductiones,) cùm vel quid negatur, quod fortiter ambitur, vel perditur, quod immodicè amatur. Tali tristitia obruti fuerunt Ægyptiis, cùm in deserto dixerunt, Exodi 16. v. 3. *Utinam mortui essemus per manum Domini, in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Tertius fons est superbia, cui si negentur desiderata, radix est enormis tristitiæ. Exemplum habemus in Aman, de quo c. 5. Esther v. 13. in ejus persona: *Cùm hæc omnia habeam,* NNN. *nihil me habere puto, quàm diu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias,* &c. Pius Mardochæus transeunti Amano non assurrexerat. Ecce fontem fatalis tristitiæ, quæ omnem lætitiam, quam haurire poterat ex tot opibus, &c. extinxit, & in amarissimam convertit discruciationem, & crudele tormentum.

§. 6. *Tres venenati fontes, inordinatæ tristitiæ.*

§. 7. *Æquissimũ est, ut obviemus tristitiæ, & hos fontes obstruamus.*

Hi fontes homini religioſo omni curâ & ſtudio ſunt obſtruendi; ſicut enim vertitur in dedecus Principis, habere ſecum aulicos, non niſi mœſto ſemper vultu, & ſervili timore, quaſi tyranno ſervientes; econtra ad honorem ejus cedit, videre omnes magnâ alacritate & hilaritate ejus ſe obſequiis impendentes; ita & hîc, cùm enim DEUS ex noſtris obſequiis nullam ſibi quærat utilitatem, ſed unicam gloriam ſuam & honorem; mirum non eſt, ſi inter præcipuas noſtrorum obſequiorum conditiones, hanc maximè requirat gaudii & lætitiæ ſpiritualis, ad omnem in ſuo ſervitio à corde noſtro triſtitiam excludendam.

§. 8. *Varia remedia contra tristitiam.* *1. Obedientia & humilitas.*

Media præſcribuntur varia. Franciſco Coſtero Novitio in in Societate, dixit S.P. Ignatius: *Fili mi! gaudeas ſemper in Domino! Religioſus nullam habet cauſam triſtitiæ, ſed lætitiæ multam. Quapropter denuò tibi dico, ſemper ſis lætus & hilaris; & eris indubitatè, ſi humilis atque obediens eſſe contenderis. Fili, egregia habes talenta, ſed niſi verâ animi demiſſione præcellueris, fiet, ut oppidò contriſteris, & affligaris. Ob adverſam aëris temperiem, fortaſſis in natale ſolum, in Belgium remitti voles; ego verò contrà in Siciliam te mittere decrevi! ſi autem de te ipſo, circa locum, officiumque ſtatuere quidpiam cœperis, frequenter continget, aliud à ſuperiore ordinari; unde melancholicos animi affectus, triſteſque mentis habitus, oriri neceſſe erit. Vt igitur ſemper gaudere poſſis, humilis atque obediens ſis, oportet.*

§. 9. *Bona & munda conſcientia.*

Aliud remedium Seraphicus S. Franciſcus ſuaſit Fratri, quem advertit triſtem, his verbis: *Oportet eos, qui dæmoni, mundo, carni, non verò DEO ſerviunt, triſtes eſſe; non autem religioſum, niſi fortè in aliquam culpam ipſe inciderit, cujus dum conſcius ſibi fuerit, quamprimùm pœniteat, & confiteatur; divinam implorans contrito corde ac ſpiritu miſericordiam.* Quò conſcientia liberior eſt ab omni culpa, eò major & tranquillior eſt ejuſdem lætitia. Fons veri gaudii, eſt bona conſcientia.

Unica res in mundo eſt, de qua præcipuè debemus dolere, ſcilicet peccatum. Ita ſenſiſſe videtur Philippus II. Hiſpaniarum Monarcha; intumuerat illi poples ob tetrum apoſtema, & à ſola novacula ſperabatur Regi ſalus; incidendum ergo in tot nervorum confinio porrigitur ulcus: Princeps filius hoc cernere vix potens,

tens, *ah*, inquit, *mi Domine! mi Pater! nunquid incisionem hanc graviter sentis, ac doles? Graviùs*, respondit, *anima mea plagas, quas ei peccata mea inflixerunt, sentio, & deploro.* Prudenter sanè, talis tristitia operatur pœnitentiam; pœnitentia generat lætitiam. Quod se expertum fatetur S. Aug. l. de catech. rud. c. 16. *Verius atque jucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quàm de mala inter delitias.* Idem: *Dulciora namque sunt gaudia pœnitentiva, quàm gaudia theatrorum.*

Tertium, & præstantissimum remedium contra tristitiam nobis præscribit Annæus Seneca ep. 23. ad Lucilium, & revera ad omnes Christianos: *Hæc ante omnia fac, disce gaudere; ad summa pervenit, qui scit, quo gaudeat: securè gaudet, qui gaudium in Deo quærit.* Unde patet, quàm graviter illi decipiantur, qui pro remedio tristitiæ, ad consolatiunculas externas captandas, ex vano risu, & nugaci confabulatione, &c. confugiunt; quos David ps. 4. v. 3. meritò ita alloquitur: *Filii hominum! usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Non enim foris quærenda est lætitia, sed intus, ubi signatum est lumen vultus DEI: in ipso corde, ubi habitat charitas. Ennodius l. 5. ep. 15. *Apud DEUM hilaritas lachrymis obtinetur, & mæror transit in lætitiam.* S. Bas. hom. de grat. ait: *Anima, quæ semel modis omnibus desiderio se astruxit sui Conditoris; jamque insuevit oblectare se illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animique sui jucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari - ob varia occurrentia incommoda, - quin ea potiùs, quæ aliis mærorem afferunt, & tristitiam, in cumulum sibi vertet, & lætitiæ accessionem.* § 10. *Memoria DEI.*

4. S. Jacobus in sua ep. c. 5. v. 13. hoc suadet: *Tristatur aliquis vestrûm, oret*, contra molestum hunc hostem, arma orationis mutuanda sunt. Ita D. JESUS Rex & legifer noster, dum nocte illâ funestâ & luctuosâ, ex tormentorum imminentium æstimatione & pavore, oppressus tristitiâ, ad orationem confugit, & pro mœroris atque angustiarum incrementis, orationi instabat constantiùs; ac *factus in agonia, prolixiùs oravit*; & oratione absolutâ, animosus hostibus ivit obviam. § 11. *4. Oratio.*

Cùm cubiculum impletum est fumo, aperimus fenestras, ut § 12. *Simile.*

 à novo

à novo aëre respiremus; ita quisquis sentit se fumo tristitiæ arctari, & opprimi, in oratione cor suum debet DEO aperire, ut spiritum attrahamus, quo reviviscamus. Hoc se fecisse gloriatur David ps.67. v.2. *In tribulatione mea, Deum exquisivi manibus meis: nocte contra eum, & non sum deceptus: renuit consolari anima mea, memor fui DEI, & consolatus sum.* (Fiat pulcher Epilogus.)

TRACTATUS SEPTIMUS, DE RENOVATIONE VOTORUM.

EXHORTATIO I. DE RENOVATIONE VOTORUM.

Quid dignum offeram Domino? Michææ c. 6. v. 6.

SYNOPSIS.

S. Ignatius in sua Societate instituit renovationem Votorum, ut DEO offeramus perfectum holocaustum.

§. 1. *Proponit Synopsin.*
§. 2. *Prosecutio.*
§. 3. *Quale obtulit Patriarcha Abraham in immolatione Isaaci.*
§. 4. *Quomodo S. Chrysologus describat*

scribat spiritualem immolationem.

§.5. *Qualis requiratur aqua ad talem hostiam. Christus D. effudit triplicem.*

§.6. *Similes aquas & nos DEO debemus offerre.*

§.7. *Regius Psaltes, quàm alacri animo DEO obtulerit vota sua: quodnam acceperit præmium.*

INtentionem renovationis Votorum, quam S. P. noster bis singulis annis nobis præscripsit, eleganter meo judicio nobis proposuit citatus Michæas Propheta c.6. v.6. *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu DEO excelso; nunquid offeram in holocaustomata, & vitulos agniculos? nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo?* LXX. Interpretes aliis pulchris verbis elucidant hanc Michææ quæstionem, dum legunt: *In quo apprehendam Dominum? & suscipiam DEUM meum excelsum?* S. Hieronymus ita legit: *Quomodo eum potero tenere fugientem? Quantâ munditiâ valebo præparare hospitium Trinitati?* tum propositis quæstionibus ita respondet: *An comprehendam eum in holocaustomatibus? ut totum me ei holocaustum offeram? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? Dabo quidem, quidquid in me primum est, pro peccato animæ, solus dignè sanguis offertur.* Sed quodnam est illud holocaustum, de quo S. Hieronymus loquitur? Doctissimus Arcones in Isaiam ait, oblationem trium religiosorum votorum in statu religioso, esse tale holocaustum & perfectissimum: quibus votis veluti tribus funibus vel vinculis, Religiosus se cum DEO suo constringit. *Quisquis*, ait citatus Interpres, *tribus Divinis Personis sanctissimæ Trinitatis, tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ nuncupat, iisdem Personis mundissimum præparat habitaculum. Primogenita nostra, sunt omnia illa, quæ tenerrimè diligimus, & quæ in magna apud nos sunt existimatione & appretiatione; ita, & quidem secundùm Regulas hujus mundi prima sunt sensualitas, honor, libertas, & ipsa vita, quæ omnia per tria vota DEO offerimus.* Denique ait, *Quisquis se DEO his votis consecrat, amoris martyr est, qui in ara cordis sui sanguinem suum, & carnales affectus mactat, & litat.* Omnia paulò fusiùs, breviter tamen vobis proponam.

§. 1. *Quare S. Ignat. us instituerit Renovationem Votorum*

Ordiar verbis S. Pauli ex cap.12. ep. ad Rom. v.1. *Obsecra itaq; vos* §. 2 *Nimirum,*

ut DEO offeramus hostiam viventem, sanctam, &c.

vos fratres, per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium vestrum. Advertit S. Petrus Chrysologus h. 108. S. Paulum facere his verbis mentionem Altaris, cultri, victimæ, & necis, & ait: *Arripe gladium spiritus; altare cor tuum pone, & sic corpus tuum admove ad victimam.* Corpus tuum, sunt passiones tuæ, admove ad victimam: corpus tuum, sunt malæ inclinationes, inordinati motus, admove ad victimam; corpus tuum est concupiscentia tua, admove illam ad victimam; arripe cultrum vel gladium spiritus, vel mortificationis, ut mactentur & jugulentur. Libido per votum castitatis; amor divitiarum per paupertatem; inordinata libertas per votum obedientiæ. Obsecro vos Patres, & Fratres amantissimi, per misericordiam Dei, ut exhibeatis hoc modo *corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem.*

§. 3. *Qualem obtulit Patriarcha Abraham in immolatione Isaaci.*

Pulcherrimum spiritualis hujus oblationis & immolationis exemplum habemus in Patriarcha Abraham; grande fuit spectaculum, & facinus inauditum, in quo amantissimus Pater jubente DEO, strinxit gladium, ad immolandum dilectissimum filium Isaac; ubi acutè observavit Origenes, quòd non tantùm paratus fuerit filium suum DEO immolare; sed quòd simul *in filio immolaverit corpus suum.* Hoc est, omnes carnales suos affectus; sensualem v. g. amorem erga tam dilectum filium; desiderium longæ posteritatis in Isaaco; horrorem, ad perpetrandam tam acerbam necem, & similes affectus, qui poterant Abrahami propositum, credendi & obediendi DEO, labefactare, eodem gladio, quo filium voluit immolare, mactavit & DEO immolavit. Omnes Religiosos, præsertim viros Societatis JESU, ad æmulationem tanti Patriarchæ animavit Orig. his verbis, hom. 8. *Etiamsi sit unicus, etiamsi sit dilectus, adducat quisque in exemplum sibi Abraham, & magnanimitatem ejus ante oculos ponat, & quidem à te non exigitur, istud animi magnitudinis, ut ipse alliges filium, ipse constringas, ipse gladium pares, ipse unicum jugules: hæc omnia à te mysteria non quæruntur. Proposito saltem & mente esto constans.* Proposito! proposuisti v. g. DEO vovere castitatem? constans esto! renova cras priores omnes fervores, quibus hoc votum DEO obtulisti. (Ita de aliis duobus votis.) *Fide fixus,*

lætus

latus DEO offer filium tuum. Esto Sacerdos animæ filii tui. Sacerdotem autem immolantem DEO non decet flere. Insinuat Origines illud gaudium & lætitiam, quâ Religiosus DEO debet offerre vota sua.

§. 4. Quomodo S. Petrus Chrysologus describat spiritualem immolationē.

Discursus hic videtur valde placuisse S. Petro Chrysologo, dum ait ser. 108. *Tali ergo confirmatus exemplo, offer corpus tuum, & non solùm macta, sed etiam seca per omnia virtutum membra. Quia toties tibi vitiorum artes moriuntur, quoties à te DEO viscera fuerint immolata virtutum. Offer fidem, ut perfidia sit punita; sacrifica castitatem, ut moriatur libido,* (hoc modo poterit fieri elegans inductio defectuum contra tria vota, ut jugulentur.) Tum ita concludit S. Chrysologus: *Vivit corpus tuum homo, vivit! quoties à te DEO, virtutum vitâ, vitiorum moribus, immolatur. Non potest mori, qui vitali gladio meretur occidi.* Mirabilis hostia, quæ simul vivit, & simul moritur.

§. 5. Qualis requiratur aqua Christus D. profudit triplicem.

In immolatione victimarum varius fuit usus aquæ, prout patet ex libris Moysis. De aqua spirituali, quam adhibere debemus in spirituali corporis & animæ nostræ immolatione, sive in oblatione religiosorum votorum, eleganter ita discurrit mellifluus S. Bernardus in sermone de S. Clemente, ubi ita instruit Religiosos: *Accipe igitur triplicem aquam, quam tibi Salvator apponit. Plorat super Lazarum, & super civitatem Ierusalem, & hæc est aqua prima. Sudavit, imminente jam Passionis horâ, & hæc est aqua secunda, non ab oculis tantùm, sed toto corpore manans; hæc autem rubea est, sanguineique coloris. Iam verò tertia est aqua, quam & prædiximus de latere ejus, unà cum sanguine emanasse.* Totus JESUS factus est veluti fons, & scaturigo, ut hauriamus cum gaudio de fontibus Salvatoris. Ex oculis fluunt lachrymæ, ut planctum indicent & dolorem, quo mundi peccata deflevit. Sudore diffluit vultus, ut intelligamus illum esse in laboribus. Ex toto corpore erumpit sanguis, ut sciamus, contra inordinatos affectus usque ad profusionem sanguinis, si necesse sit, nobis esse depugnandum. De aperto & emortuo latere vitalis aquæ erumpit & scaturit vena, ut advertamus, illis ex mortuo corpore fluere has salutares aquas, qui & ipsi sunt mortui mundo, ut vivant æternitati. Ad tam suave poculum, ad dulcissi-

mi

mi hujus potus delitias non admittuntur, nisi qui moriuntur suis passionibus, ut desipiant delitiæ hujus mundi. Argutè & breviter S. Bernardus: *Memento, hanc esse aquam, quæ procedit de latere dormientis. Oportet enim jam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari*; ut quis dicere possit cum S. Paulo: *Vivo ego, jam non ego; ego autem mortuus sum mundo.* Adverto vos repleri piissimis cogitationibus, & desideriis delitiandi in latere & corde JESU, præsertim cras, cùm vota vestra renovabitis.

§. 6. *Similes aquas & nos DEO debemus offerr*[e]. Sed inter sanctas has cogitationes, inter pios hos motus & affectus; discite à S. Bernardo, quomodo & vos offerre debeatis has aquas, ut hostia, quam offerre cogitatis, sit munda & sancta. *Tu ergo primam aquam habes, si rigas lachrymis conscientiæ tuæ stratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, si labore pœnitentiæ corpus tuum castiges, ac restinguis concupiscentiæ flammas.* Advertitis credo causas, ob quas præterito triduo ex Exercitiis S. Patris N. propositæ nobis fuerint meditationes Viæ Purgativæ. *Si contigit, nos in illa reperisse fontes aquarum contritionis, doloris, &c. non dubito, cras nos oblaturos hostiam sanctam. Et quia vera contritio, fons est, ex quo necessariò pullulant rivi pulcherrimarum virtutum*; ut has acquiramus, usi sumus meditationibus Viæ Illuminativæ. S. Laur. Justinianus ser. de B. Laurentio, de utroque hoc puncto sic ait: *Cupiditatis flammam miles Christi, & sensualitatis petulantiam carnis maceratione castiget; censurâ verò virtutum, incompositos animi restringat impulsus. Insigne quippe martyrii genus est, vitiorum cohibere motus, atque cupiditatis resecare pruritus.* S. Hier. *Habet & pudicitia servata martyrium suum.* Et sic *priores aquæ*, inquit S. Bern. *sanguinei erunt coloris; ob divinæ charitatis ardorem, quem acquisivimus contemplationibus Viæ unitivæ.* His positis, hoc superest, obsecro vos, Patres & FF. dilectissimi, per misericordiam DEI, ut &c. *Ita sanguine*, inquit Nicetas, *Dominico sanguine honorabimus.* Et quid digniùs DEO nostro offerre poterimus? quo perfectiori modo dignissimum SS. Trinitati in nobis præparabimus habitaculum?

§. 7. *Regius Psaltes quàm* Hos motus & affectus sensisse videtur Regius Psaltes, cùm plenus jubilo, ps. 125. v. 14. ait: *Vota mea Domino reddam coram omni*

populo

populo ejus. Quæ verba Hugo Carensis ita applicat Religioso: *Vota Domino reddam, scilicet tria vota, quæ sunt in religione, scilicet votum paupertatis, votum continentiæ, votum obedientiæ, in atriis domus Domini. Domus Domini cælum est, cujus atria sunt religiones. Quia sicut per atrium intrabatur in templum, ita per Religiones intratur in cælum.* Et subdit S. David non sine mysterio: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Tertullianus legit: *Mors Religiosorum ejus.* Hugo Card. ait: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, id est, ipse ingressus Religionis, in qua spiritualiter moriuntur Sancti ejus, voluntarie amittentes motum & sensum, quia in religione non moventur propriâ voluntate, nec secundum proprium sensum reguntur, aut discernunt.* Obsecro vos Fratres, per misericordiam DEI, ita dispositi, renovate cras vota vestra; ita animis vestris estote parati, ut quivis cum jubilo dicat, cum regio Psalte, *Vota mea Domino reddam.* Ita ad pretiosam nos præparabimus mortem, ita per atrium sanctæ Societatis JESU, domum Domini, læti, & æternùm beati ingrediemur.

alteri animo DEO obtulerit vota sua, q[uo]d accesserit præmium.

EXHORTATIO II.

DE RENOVATIONE VOTORUM.

Vota mea reddam Domino, Ps. 115. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ALiæ causæ, ob quas S. Ignatius in Societate JESU instituit renovationem Votorum.

§. 1. Spiritus, quo DEO primâ vice obtulimus vota, facilè intepescit.

§. 2. Phœnicis admirabilis transmutatio.

§. 3. Est symbolum renovationis Votorum.

§. 4. Aliud spiritualis innovationis symbolum, est accipiter.

§. 5. In quo consistat hæc renovatio.

§. 1. *Spiritus, quo DEO primâ vice obtulimus vota, facilè intepescit.*

RELigiosorum tribus Votis solet accidere, quod Jeremias Thren. c. 4. queritur acccidisse auro, & pretiosis margaritis. Ita ait: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii, filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Et paulò pòst, v. 1. 2. 7, 8. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores: denigrata est super carbones facies eorum.* Quid nos impedit, quò minus Votum Paupertatis vocemus *aurum optimum & pretiosum*; Votum castitatis *candidissimum ebur*; Votum obedientiæ, *rutilantem sapphyrum.* Hæc tria vota, veluti vasa pretiosa, variis ornata gemmis, DEO obtulimus, cùm in ingressu in Religionem, & sæpiùs in renovatione votorum, DEO vovimus paupertatem, castitatem, & obedientiam; sed unde, & quomodo illud aurum est denigratum? unde illæ maculæ in ebore, aliàs candidissimo? unde sordes in pretioso sapphyro? Et Nazaræi, hoc est, ferventes Religiosi, in primo fervore, candidiores nive, rutilantiores auro, quomodo denigrata est illorum facies? quis ignem carbonum extinxit, ut sint sine luce, sine calore? ascribenda sunt hæc omnia humanæ fragilitati. Verùm ideo sanctus & prudentissimus Ignatius bis in anno nobis præscripsit renovationem votorum, ut si qui nævi contracti sint, abluantur; ut isti auro, his gemmis, illis vasibus pretiosis, prior restituatur pulchritudo & decor.

§. 2. *Phœnicis admirabilis transmutatio.*

Renovatio votorum nihil aliud est, quàm seria & fervens innovatio spiritus, in triplici via perfectionis, & præsertim quoad observationem votorum: cujus innovationis pulcherrimam normam Natura, sive Auctor naturæ posuit in Phœnice. Omissis illis, quæ profani Scriptores referunt de portentosa hâc avi, narro saltem verba S. Ambrosii l. 5. Exam. c. 23. *Avis in regione Arabiæ, cui nomen est Phœnix, cùm sibi finem vitæ adesse, præsaga quâdam naturæ suæ æstimatione cognoverit, thecam sibi de thure, & myrrhâ, & cæteris aromatibus adornare, completoque opere, pariter & tempore, intrare illam, atque emori solet; ex cujus mox humore oritur vermis, paulatimq; in ejus avis figuram concrescit, usumque formatur.* Addit: *Subnixam quoque remigio pennarum, renovatæ vitæ officia, munere pietatis ordi-*

ri;

ri; nam thecam illam, vel tumulum corporis, vel incunabulum resurgentis, in quo deficiens occidit, & occidens resurrexit, ex Æthyopia in Lycaoniam vehit, in urbem Solis, ibique deponit. Pulchrè ad rem meam S. Epiphanius: Ubi cognoverit tempus mortis suæ, rogum ex aromatibus sibi construit, propriis pedibus ac alis, pectora sua valde pulsans, ignemq; à corpore suo proferens, subjectam materiam in loco succendit, atque ita se ipsum exurit, & omnes carnes suas cum ossibus. Verùm ex DEI dispensatione nebula demittitur, quæ pluviam effundit, & flammam corpus alitis consumentem extinguit. Tum nascitur vermis, &c. (ut paulò antè dictum est.)

Nulli potest displicere hæc comparatio renovationis justi, cum renovatione Phœnicis, cùm sacer textus illâ utatur ps. 91. v. 13. *Justus ut palma florebit*; Græcus textus habet: *Vt Phœnix.* Spero nos omnes præterito triduo fuisse Phœnices! tales fuimus, si ex meditatione peccatorum collegimus thus doloris, cassiam contritionis, & myrrham amaritudinis. Pectus percussit, qui plenus dolore ob commissos defectus, non fuit ausus levare oculos in cœlum, sed percutiendo pectus, dixit: *DEVS propitius esto mihi peccatori.* Ignem accendit, qui pravos affectus, & inordinata desideria, per flammam amoris combussit in cineres; nebula, vel descendens pluvia, significat lachrymas contriti cordis, quibus cum Magdalena rigavimus pedes Christi. In vermiculum hoc triduo conversi sumus, per actus profundissimæ humilitatis, in conspectu mortis & sepulchri; alas accepimus per ignita desideria, quæ Spiritus S. nobis communicavit. Hoc superest, ut cras mane in templo Solis, coram SS. Sacramento, novi phœnices, novi Religiosi nos DEO offeramus in holocaustum; hoc superest, ut cras aræ Solis, veluti victimas imponamus corda nostra, colligata triplici funiculo, paupertatis, castitatis, & obedientiæ.

§ 3. *Est symbolum renovationis votorum.*

Sed præcipuum est, ut simus facti homines novi; similes accipitri, de quo Iob quærit c. 39. v. 26. *Nunquid per sapientiam ejus plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum.* Quem locum ad rem meam S. Greg. M. l. 31. mor. c. 18. ita exponit: *Quid est accipitrem in Austro plumescere, nisi quòd unusquisque Sanctorum, tactus*

§ 4. *Aliud spiritualis renovationis symbolum est accipiter.*

flatu sancti Spiritus, concalescit, & onus vetustæ conversationis abjiciens, novi hominis formam sumit; Alas nostras ad Austrum expandere est, virtutum pennis se induere, & cogitationes suas Spiritui sancto substernere, & nova vitæ opera producere. Cùmque studiosè mens se de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit. Ita juvenescens exteriùs accipiter, internæ hominis renovationi præludit, in qua Spiritus S. aurâ cœlesti cor humanum tangit, & igne charitatis accendit, ut de peccatis homo compungatur, & compunctione aperiatur; & ita ex eo exiliant plumæ antiquæ vetustatis, & in cœlestem alitem transmutetur. Nunquid per sapientiam S. Ignatii bis singulis annis in Societate, imò ter, si adjungamus octiduana Exercitia, talis fit innovatio? Quid faciliùs, quàm, quæ infirmitas nostra est, ut nobis crescant graves pennæ inclinationis ad malum; ideoq; in spiritu intumescamus? Sed &c. (fiat p. applicatio.)

§. 5. *In quo consistat hæc renovatio.*

Ad Ephesios c. 4. v. 23. ait S. Paulus: *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Oecumenius legit: *Renovamini per Spiritum S. qui est in mente vestra; nam hic spiritus nullò modo vetera acta tolerat; sed fit hæc innovatio præeunte pœnitentiâ, qua vetustatem peccatorum abradit.* Quam innovationem alio simili exponit S. Hier. cùm super verba illa psalmi: *Cantate Domino canticum novum*, ait: *Felix pœnitentia! licèt rueris, tamen si egeris pœnitentiam, nova domus DEI diceris; nova domus, novum meretur canticum.* Hos duos fines spero fuisse propositos nobis præterito triduo recollectionis, præsertim in via purgativa, 1. deponere vetera opera hominis terreni, & per pœnitentiam abradere peccata præterita. 2. Corda nostra convertere in templa nova. Quæ si cum spiritu peracta sint, ut puto, superest, ut cras cantemus canticum novum; hoc est, ut cum ingenti ardore, & cum novo spiritu, recitemus formulam Votorum, Omnipotens, &c.

Pro ulteriori dilatatione hujus Exhortationis, vide Corn. à Lapide, & alios Interpretes, super citatum S. Pauli versum, *Renovamini, &c.* Vide in Concordantiis idem verbum sæpiùs repetitum, & inspice Interpretes.

EXHOR-

EXHORTATIO III.

DE RENOVATIONE VOTORUM.

Vota mea reddam Domino, Pſ. 115. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

FErvens renovatio Votorum, eorumque ſtricta obſervatio, eſt ſignum prædeſtinationis.

§. 1. Religioſus habet certam teſſeram ſalutis.

§. 2. Status Religioſus à SS. Patribus (à me Societas IESV) comparatur cum ſcala Iacob.

§. 3. Congregatio aliqua Sanctorum, eſt faſciculus viventium: vel puſillus grex.

§. 4. Explicatur præcedens metaphora ex cap. 44. Eccleſiaſtici.

§. 5. Dicta applicantur Minimæ Societati IESV.

§. 6. Amor Vocationis in Societate IESV, eſt ſignum electionis.

§. 7. Si tamen Vocatio reddatur certa, per cooperationem cum gratia.

§. 8. Aureus locus ex aureo S. Chryſoſtomo.

§. 9. Societas IESV eſt hortus deliciarum, in quo quia paſcitur IESVS, adeſt ſignum prædeſtinationis; ſi tamen hortulani accedat induſtria.

§. 10. Epilogus.

QUiſquis ſe vitamq; ſuam, in Minima, ſed ſancta Jesu Societate, vel aliâ Religione, DEO conſecravit, ut in eadem ſub vexillo Crucis, & Imperatore Chriſto ſtipendia mereatur; quiſquis ita diſpoſitus eſt, & per triduanam recollectionem ita ſe paravit, ut craſtinâ die cum gaudio dicere cogitet, *Vota mea reddam Domino*; vota mea renovabo, cum illo ſpiritu, qui conformis eſt noſtris Regulis, & menti S. Ignatii; quiſquis inquam talis eſt, fiduciam habeat, habere ſe ſymbolum divinæ electionis, & prædeſtinationis, erigaturq; in ſpem certam, nomen ſuum in- *§. 1. Religioſus habet certam teſſeram ſalutis.*

 ſcriptum

ſcriptum eſſe aureo libro Vitæ, in ſortem Sanctorum. Quod fuſiùs, breviter tamen oſtendam.

§. 2. *Statum Religioſum, à me Societas IESV, comparatur cum ſcala Iacob.*

Sæpiſſimè feci mentionem myſticæ ſcalæ, quam in ſomno ſub ardore vidit Jacobus cap. 28. v. 12. lib. Geneſis; ſed non ſum uſus diſcurſu S. Bernardi de hac ſcala, quem reperio in ejus libro de modo orandi: *Hæc eſt ſcala clauſtralium, quâ de terra ad cælum ſublevantur: gradibus quidem diſtincta paucis, immenſa tamen & incredibilis magnitudinis. Cujus extrema pars terræ innixa eſt; ſuperior verò nubes penetrat, & ſecreta cælorum rimatur.* Clariùs S. Antoninus 3. p. tit. 16. cap. 10. §. 9. *Scala iſta eſt exercitium, quod eſt in religione, gradus ſunt lectio, meditatio, oratio, mortificatio.* Quàm hæc omnia ſunt conformia Regulis, & Vitæ Religioſorum Societatis JESU! Miror, non addidiſſe S. Antoninum: *Gradus ſunt tria Vota, Paupertatis, caſtitatis & obedientiæ,* cùm ſtatim ſubdat: *Aſcendunt Angeli ad referendum DEO vota; deſcendunt ad portandum Sponſi varia munera; innixus eſt DEVS ſcalæ ſummitati, ad juvandum aſcendentes, & confortandum;* (quod præcipuum eſt,) *ad præbendum ſe eis in termino, in præmium; & ſic non eſt in religione aliud, niſi porta cæli.* Pulcherrimas ſcalas ſuis filiis oſtenderunt S. Benedictus, S. Bruno, S. Dominicus, S. Franciſcus; illius ſcalæ gradus, quos nobis propoſuit S. Ignatius, tam ſublimem nobis proponunt perfectionem, præſertim in obſervatione religioſorum Votorum, ut verè exclamare poſſim: *O ſancta* JESU *Societas! non eſt in te aliud, quàm domus* DEI, *& porta cæli.*

§. 3. *Congregatio aliqua Sanctorum eſt faſciculus viventium, vel puſillus grex.*

Ut prudentiſſima fœmina Abigail Davidi perſuaderet, ne vindictam ſumeret de infenſiſſimo ſuo hoſte, de Nabal, hanc illi gratiam promittit l. 1. Reg. c. 25. v. 29. *O David! ſi ignoſcas, &c. erit anima Domini mei cuſtodita, quaſi in faſciculo viventium apud Dominum DEVM tuum.* Similem faſciculum, ſive collegium, & cœtum Apoſtolorum, Chriſtus D. vocavit *puſillum gregem,* Lucæ 12. v. 32. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro, dare vobis regnum.* Voculæ faſciculo, ineſt elegans metaphora, quam advertit Gloſſa, quæ ait: Loquitur metaphoricè, quia ſicut ramuſculi „ alibi tranſplantandi, vel inſerendi, in faſciculo ligantur, & in a- „ qua ſervantur, & poſtea tranſplantantur, & inſeruntur; ſic juſti in „

præ-

præſenti vita conſervantur in humore gratiæ, ut tranſplantentur ,, in terra viventium, per adoptionem gratiæ.

§. 4. Explicatur præcedens metaphora, ex cap. 44. Eccleſiaſtici

Quò Hugo Card. trahit illa verba Eccleſiaſtici c. 44. v. 16. *Henoch placuit DEO, & translatus eſt in paradiſum*, ut priorem metaphoram adhuc fuſiùs, & clariùs explicet, ait: Henoch interpre- ,, tatur dedicatio, & ſignificat virum clauſtralem, qui ſe voto tri- ,, plici, ſcilicet paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ dedicat DEO, ut ,, jam ad alios uſus tranſire non poſſit; placuit! quia propter ipſum ,, ſua, ſuos, ſeque dimiſit, & translatus eſt in paradiſum, id eſt, de ,, mundo in clauſtrum, ut operetur, & cuſtodiat illum. Clauſtrum ,, verò paradiſus dicitur, id eſt, locus delitiarum; ibi enim eſt fluvius , de loco voluptatis egrediens, in quatuor capita diviſus, qui totum , irrigat paradiſum; id eſt, regularis obſervantia, quæ in quatuor ,, partes dividitur; id eſt, in oratione, lectione, meditatione, exte- ,, riore occupatione: ubi eſt lignum vitæ in medio, id eſt, Chriſtus , ſpiritualiter, Matth. 18. v. 20. *Ubi fuerint congregati duo, vel tres in nomine meo, illic ſum in medio eorum.* Hucuſque verba Hugonis Card. quibus in particulari utor de noſtra religione, & dico;

§. 5. Dicta applicantur Minimæ Societati JESU.

Societas JESU Paradiſus eſt, in quem è mundo translati & plantati ſumus, ut ſedulâ curâ quiſque colat hortum animæ ſuæ, ut falce mortificationis demetat luxuriantes propagines cupiditatis, ut evellat ſpinas & carduos, ut virtutum plantet floſculos, & fructiferas arbores; quarum ramos bonus Jesus ſuis manibus colligat in faſciculos, ut vincat charitatis nexu; & tandem, (ut Hugo loquitur,) *in cælum in humeris ſuis portet.* Ideo Societas Jesu vocatur *faſciculus viventium*; vel, ut in Hebræo eſt, *faſciculus vitæ*, quod idem eſt, ac *Collegium Sanctorum.* Eja filii Societatis JESU! Tres pulcherrimi floſculi ſunt tria Societatis vota. Viola eſt *paupertas*! Lilium *Caſtitas*! Solſequium *Obedientia*! colligate hos floſculos aureo funiculo charitatis! hac intentione renovate vota veſtra, & erit anima veſtra cuſtodita, quaſi in faſciculo, apud Dominum DEUM. Triplex hic funiculus, præſertim ſi coccineus ſit à ſanguine Chriſti, erit vobis ſignum, & teſſera æternæ prædeſtinationis.

Ele-

§. 6. *Amor vocationis in Soc. JESU est indicium electionis.*

Eleganter de hoc Religiosorum fasciculo (dico ego de Religiosis Societatis JESU!) ait S. Laur. Just. lib. de discipl. & perfectione monasticæ conversationis: *Unicus illorum est Dominus*, (cui servire volunt) *una hæreditas, unaq; societas. Securè speret post hanc peregrinationem, ad illam supernam intrare Ierusalem, quicunque in justorum congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe electionis indicium est, hujus fraternitatis habere consortium.* Facilèque ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus. (Si esset necesse, posset fieri digressio ad apostatas Societatis.) *Ideo cum omni circumspectione, & animi maturitate, se se studeat, quisquis in hac sancta Collegia DEO dicata, vocatus est, ne diaboli fallaciâ, aut sui negligentiâ, seu ignorantiâ, amoveatur ab illis!* Remedium efficacissimum perseverandi, est ardens renovatio Votorum. Hanc amate, & erit anima vestra custodita in fasciculo viventium. Ferventer renovare Vota, magnum electionis indicium est. Securè speret, quisquis fervore S. Ignatii renovat Vota, ad illam supernam intrare Jerusalem.

§. 7. *Si tamen vocatio redditur certa per cooperationẽ cum gratia.*

Firmanda tamen est hæc bonæ spei anchora, sedulâ cooperatione in sectatione virtutum, & bonorum omnium exercitio, præsertim illorum, quæ in Regulis à S. Ignatio præscribuntur. Non est satis, possidere divinæ electionis indicium, si pravis actibus destruatur. Satagendum omnino est, suadente S. Petro Apostolo, *Vt nostram vocationem bonis operibus certam faciamus*, ep. 2. c. 1. v. 10. Nunquid de Agni Præcursore, de S. Joanne Baptista, prædixit Angelus Luc. 1. v. 15. *Spiritu sancto replebitur ex utero matris suæ.* Sed si ita electus fuit à DEO, si sanctificatus in utero, si benedictionibus dulcedinis præventus fuit, antequam natus, &c. quid necesse fuit secedere in eremum? ad quid profuit potus frigidæ, & cibus locustarum? ad quid ille habitus pœnitentiæ? Eleganter respondet Eusebius Emissenus hom. 2. de S. Joanne Bapt. *Scivit, quòd non sufficeret eligentis gratia, nisi invigilaret collaborantis industria. Sanctificatus est, & nondum tamen de sola DEI electione securus, nihilominus agonibus jejuniorum, & laboribus abstinentiæ, atque justitiæ, divina in se vota servare contendit.* (Potest fieri pulcherrima digressio, quomodo homines, & Viri Societatis, in omni gradu, præsertim in renovatione votorum, electionem suam conformiter regulis,

gulis, debeant reddere certam.) Nunquam, quæso, de electione simus securi; sed cum timore cooperemur, ne segregemur!

§ 8. *Aureus locus ex aureo S. Chrysostomo.*

Adjungendum judico aureum monitum S. Chrysostomi hom. 6. in Samaritanam: Noli dignitatis nomina spectare, (no-„ li tibi blandiri, te esse è Societate JESU,) sed rei virtutem; nam „ neque paradisus in pretio habendus est, nisi mandatum DEI in „ eo servetur: neque vilia loca sunt ignominiosa, si in eis sit lex „ DEI regnantis; utrum melius? utrum potius? an paradisus? an „ sterquilinium? Veruntamen Adamo propter transgressionem „ paradisus nihil profuit; Job verò sterquilinium, propter pati-„ entiam minimè nocuit. Adamus in paradiso, propter inobedien-„ tiam, ignominiâ afficitur, Jobus autem, propter patientiam, in „ sterquilinio coronatur. Nusquam enim locorum dignitas com-„ paratur, nisi bona mens concurrat. Et paradiso sublimius est cœ-„ lum, sed cadit inde diabolus. Vides non locorum discrimen ef-„ ficere, ut superiores evadamus, sed ubique fidem, & patientiam, „ (& cooperationem,) & spem, promerentibus coronas acquire-„ re. (Possunt fieri pulcherrimæ digressiones ad Societatem JESU, & ejus Religiosos.) Itaque renovationi Votorum, licèt sit indicium & signum electionis, debet nihilominus addi cooperatio in observatione Votorum. Et hic fuit finis S. Ignatii, cùm præscripsit bis in anno Votorum renovationem.

§ 9. *Societas JESU hortus delitiarum, in quo quia pascitur JESUS, adest signum prædestinationis, si tamen hortulani accedat industria.*

Talem spero esse Societatem, ut conveniat illi elegans descriptio S. Basilii orat. de laudibus eremi: *Eremus, ait*, ego dico, Societas JESU, *est paradisus delitiarum, ubi tanquam redolententium species pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum; sic fragrantia spirant odoramenta virtutum; ibi siquidem rosæ charitatis, igneo rubore flammescunt, ibi lilia castitatis nitido candore candescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ, dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha perfectæ mortificationis, non solum carnis, sed quod & gloriosiùs est, propriæ voluntatis exundat, & thus assiduæ orationis indesinenter emanat. & igni divini amoris suaviter ardet.* Hic est spiritualis ille hortus, de quo dixit Sponsa Cant. c. 6. v. 2. ut *Dilectus sponsus*, ut amantissimus JESUS, *pascatur in illo, & colligat lilia.* Adverti-

vertitis dilectissimi fratres, pulcherrimum lilium est *castitas*; lilium candidissimum *paupertas*; lilium speciosissimum *obedientia*; mixta est *ignea rosa charitatis*, &c. adest myrrha mortificationis; non deest thus orationis! si cras contingat sponsum animarum nostrarum, dilectissimum JESUM in horto hujus Collegii, reperire hæc lilia, colligere hos flores, quis dubitat, pascetur inter nos; aderit nobis JESUS! ubi autem JESUS est, ibi est nota prædestinationis. Sed iterum mementote, ut hortus floreat, necessaria est industria & labor hortulani, qui hortum colat.

§. 10. *Epilogus.* Et nos sumus hortulani: itaque laboremus. Placet hortulanus suo Domino, cùm post labores illi offert fasciculum pulcherrimorum florum; laborastis vos hoc triduo, (fiat pulchra inductio,) cras Domino horti, animarum nostrarum, offeremus Vota nostra, quasi fasciculum florum: obtulimus jam myrrham mortificationis, addemus cras thus extraordinariæ devotionis; hoc faciamus, placebimus JESU, & erunt animæ nostræ custoditæ quasi in fasciculo viventium. Pusillus grex, minimæ Societatis JESU, noli timere, quia placuit Patri vestro, dare vobis regnum.

EXHORTATIO IV.

DE RENOVATIONE VOTORUM.

In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis,
Osææ 11. v. 4.

SYNOPSIS.

PUlchrum, jucundum, & pretiosum esse, pro JESU vinciri vinculis Votorum.

§. 1. *Quinam sint funiculi charitatis.*

§. 2. *Renovatio Votorum est triumphus, in quo Christus D. Viros sublimes ducit vinctos, sed ad gloriam.*

§. 3

§. 3. *Quinam sint viri illi excelsi, qui dicuntur Vincti IESV.*
§. 4. *Vincula Votorum non sunt ferrea, sed aurea: non ignominiosa, sed splendida.*
§. 5. *Ferrea sunt illis, qui timent: aurea illis, qui amant.*
§. 6. *Idem sentiendum est de vinculis Votorum.*
§. 7. *Ex historia de S. Babyla Martyre.*
§. 8. *Varia applicantur Renovationi Votorum.*
§. 9. *Christo Domino vincula injecit Charitas: eadem nos ligat vinculis Votorum.*
§. 10. *Ligatura hæc placet DEO.*

QUæstio primaria super hæc verba est, de quibus funiculis, de quibus vinculis charitatis loquatur Osæas. Prado in Ezech. ait: *Funiculi sunt dolores & afflictiones, quæ sunt quasi ligamina & vincula, sive catenæ, quibus DEVS multos trahit ad suum servitium*: Symmachus & alii per hos funes intelligunt *amorem & beneficia*. Unde Chaldæus vertit, *Sicut moris est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis.* LXX. sic vertunt: *Esto, sit homo peccato infectus & corruptus, tamen adhuc conabor ei mederi, ex charitate; sicut Medicus ægro v. g. contracto volens mederi, extendit membra ejus contracta, alligans ea vinculis, non ut eum affligat, & torqueat, sed ex charitate, ut sanet.* Denique tractus hic, & funiculi significant copiam, æquè ac suavitatem amoris, quo Deus homines ad se trahit. *Magnes enim amoris, est amor.* Non permittit tempus, his inhærere. Cùm multi SS. Patres per hos funiculos intelligant tria vota alicujus Religionis, ostendam brevi Exhortatione, quàm pulchrum, quàm jucundum, quàm pretiosum sit, illis vinculis vinciri. *§. 1. Quinam sint funiculi charitatis.*

Renovationem Votorum, veluti triumphum describit Isaias cap. 45. v. 14. cùm ait: *Viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt; post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur.* Scio Prophetam ad literam talia prædixisse, de glorioso Christi D. triumpho, quem egit in Resurrectione, & gloriosa Ascensione, funibus suæ fortitudinis & potentiæ, alligando ad currum gloriæ suæ potentissimos hostes: placet mihi nihilominus sublimis cogitatio S. Cyrilli, qui ait: *Hanc Isaiæ prophetiam adimpleri,* *§. 2. Renovatio Votorum est triumphus, in quo Christus D. Viros sublimes ducit vinctos catenis, sed ad gloriam.*

dum viri sublimes, Tigurina legit, *Viri magni & sancti sequuntur Christum, vincti manicis, id est, charitatis nexibus, & compedibus inexplebilis in DEVM pietatis.* Hugo Cardinalis ait, *Vincti tribulationibus ad Christum transeunt.* Gratulor Vobis, dilectissimi Patres & Fratres, si estis genuini Filii Societatis JESU, si vos regit & animat spiritus S. Ignatii; si fovetis excelsas cogitationes filiorum DEI, Viri estis sublimes & magni. Sed quis vobis injecit dura vincula paupertatis? quis vos pedibus Christi D. alligavit catenâ castitatis? quis vos conjunxit Cruci ferreis manicis, & compedibus obedientiæ? si charitas id fecit, si inexplebilis in Deum pietas; si ita ligati, ultrò transitis ad Christum; sic pergite? cras novo fervore hos compedes vobis injicite; renovato ardore his funibus alligate vos pedibus & Cruci Salvatoris; sic captivi estis Christi D. in gloriosissimo triumpho.

§. 3. *Quinam sint illi viri excelsi, qui dicuntur Vincti IESV.*

Confirmat meum desiderium sapientissimus Pictavorum Præsul S. Hilarius lib. 4. de Trinit. cùm postrema verba citati Isaiæ usurpat de iis Heroibus, qui in carceribus, vinculis colligati, facti sunt strenuissimi JESU sectatores, quales in sancta Societate desiderat S. Ignatius. *Sic enim*, legit, *Viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt servi, & post te sequentur alligati vinculis.* Tum: *Excelsi autem viri, qui ad eum transituri sunt, atque eum vincti sequentur, qui tandem isti sunt? non est in obscuro. Respice ad Evangelia. Petrus Dominum suum secuturus præcingitur,* (quod contigit, cùm vinculis fuit alligatus Cruci.) *Intuere Apostolos. Servus Christi Paulus in vinculis gloriatur, Vinctus Christi IESV.* Adverto, sermonem esse de vinculis tribulationis, de quibus S. Paulus ait: *Vinctus Christi IESV.* q. d. *Hæc vincula* (S. Chrysost.) *vehementer amo; hæc vincula cor meum excitant, & desiderium incutiunt agendi fortia, patiendi ardua;* & ita, pergit S. Chrysost. *postquam S. Paulus Christi factus est servus, non* tantùm *faciendo, sed patiendo honoratus est.* Eadem RR. Patres cogitate de vinculis trium votorum, quibus crastinâ die, novo fervore vos alligabitis Christo D. hæc cogitate de funiculo *paupertatis*, de funiculo *castitatis*, de compedibus *obedientiæ*. His funibus vincti, quos amor erga DEUM nobis injecit, ejus servi. Amate hæc vincula vehementer; excitent illa corda vestra, & de-

fide-

siderium in Societate Jesu, faciendi, & patiendi ardua. Eadem vincula & vos honorabunt; sic eritis Viri excelsi, & sublimes, & ferventes sectatores JESU! genuini filii S. Ignatii, qui gloriabundi cum S. Paulo dicere possunt: *Vincti sumus Christi IESV!*

Neque cogitate, hæc vincula votorum esse ferrea, sed potiùs aurea. Gen. 39. v. 20. Joseph falsò ad herum delatus, traditus est *in carcerem, ubi vincti Regis custodiebantur, & erat ibi clausus.* Addit de illo Regius Psaltes, ps. 104. v. 18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam illius.* Chaldæus legit: *In catenam ferream intravit anima ejus.* Non inhæreo notissimæ historiæ, quàm admirabili modo deinde innocens Joseph de carcere, & ex vinculis fuerit liberatus, ut sacer textus Gen. c. 49. v. 24. gloriabundus dixerit: *Dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis.* Ob Hebraicam voculam *Paz*, quæ significat *aurum optimum, & obryzum*, sive *lapidem pretiosum, & topazium*; aliqui Interpretes verba hæc, *Dissoluta sunt vincula illius*, ita legunt: *Deaurata sunt brachia ejus.* Vel, *topazius constitutus est super brachia ejus*: pro insigni ornamento, quali Judæi utebantur pro ornamento brachiorum, quæ ornamenta nos vocamus armillas. Insinuat sacer textus, Josephum, antea in carcere vinctum catenâ ferreâ, postmodùm auro, gemmis, purpurâ, armillis, fuisse ornatum, quando constitutus est Præpositus Ægypti; ut proinde bene de illo dixerit S. Ambrosius l. de Joseph. c. 5. *Beatum illum dico, cùm in carcerem fuit missus, & pro castitate subiit martyrium*; quo meruit deinde ita ornari, & exaltari. §. 4 *Vincula votorum non sunt ferrea, sed aurea, non ignominiosa, sed splendida.*

Hunc honorem, & divitias vinculorum, quibus pro Christo vincimur, agnovit S. Augustinus, ad illa verba psalmi 149. v. 8. *Ad alligandos Reges ejus in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*, ubi sic scribit: *Quare ergo vincula ferrea, & non aurea? ferrea sunt, quàm diu timent: ament, & aurea erunt; Incipit ergo à vinculis ferreis, finitur ad torquem auream. Dictum est enim de sapientia; & torquem auream circa tuam cervicem: non tibi imponeret torquem auream, nisi priùs in compedibus ferreis te alligasset.* §. 5. *Ferrea sunt illis, qui timent; aurea illis, qui amant.*

Pari ratione discurrere possumus de vinculis trium Votorum. Dum vovimus *paupertatem, castitatem*, & *obedientiam*, judicio hu- §. 6. *Idem statuendum de vinculis Votorum.*

jus mundi, secundùm sensum carnis & sensualitatis, ferrea vincula videmur nobis injecisse. Petit S. Ignatius à nobis in suis Regulis, ut paupertatem amemus veluti matrem, ut rebus omnibus simus spoliati, (hoc modo ex Regulis & Instituto per tria vota, fiat pulchra inductio,) vovimus nos hæc facturos: sed qualia vincula, quàm ferrea? quare anima nostra intravit in hanc catervam? quare ingressi sumus in hunc carcerem? sic mundus loquitur, sic sentit caro, sic judicat concupiscentia, & inordinata cupiditas: coram oculis Christi, *Vincula hæc sunt deaurata. Aurea catena, ex auro optimo, & obryzo*, & votum paupertatis. Topazius, sive gemma pretiosa est castitas. Armilla pretiosissima, torques aurea est votum obedientiæ. Vincula ferrea hæc sunt illis, qui timent; qui jugum votorum tolerant impatienter. Amemus hæc vincula, novo fervore cras eadem nobis iterum iterumque injiciamus, sic erunt aurea. O si oculis nobis cernere liceret, qualem crastinâ die triumphum S. Ignatius ducat in conspectum Christi Salvatoris. In quo triumpho tot Viri sublimes, tot Viri sancti, tot ardentes Religiosi Societatis JESU se sistent throno divinæ Majestatis, & coram SS. Virgine Maria, totâque Curiâ cœlesti, de novo vovebunt *Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam*, ut sint Servi JESU, ut sequantur JESUM, & post illum pergant, Vincti Christi JESU. O inclyti Heroës, sic pergite. Et, qualis triumphus Vos exspectat in cœlo, quando vincula ferrea mutabuntur in aurea, quando ex auro, ex topazio, &c. Rex gloriæ Vobis imponet coronam gloriæ.

§. 7. *Ex historia de S. Babyla Martyre.* Sanctus Babylas gloriosus Martyr, cùm vinctus ad mortis supplicium duceretur, ferreos illos nexus petiit simul cum cadavere sepeliri. Ita S. Chrysost. t. 5. contra Gentiles: *Sanctus igitur Babylas, morti se propinquum cùm videret, corpus suum unà cum ferreis catenis sepeliendum mandavit, planum faciens, quæ ignominiosa videntur, ea quoties propter Christum fiunt, honorifica esse ac splendida.* Et paucis interpositis: *Ipsa certaminum symbola jubet Babylas, unà cum cadavere suo inhumari; ostendens, sibi illa pergrata, & peramica esse, pro ea quidem charitate, quâ totus in Christum appensus erat.*

Ob-

§. 8. *Varia applicantur Renovationi Votorum.*

Observo in hac historia, quæ formulæ Votorum, quâ cras ex præscripto S. Ignatii utemur, valde conveniunt. S. Babylas sua vincula valde dilexit; ideo nos cras vota renovabimus, ut coram SS. Sacramento, coram SS. Virgine Maria, coram totâ Curiâ cœlesti palam faciamus, & nos valde diligere illa vincula, quæ olim in fine Novitiatus nobis injecimus. S. Babylas sua vincula dilexit usque ad mortem, à quibus, antequam moreretur, nunquam voluit liberari. Ut ostendamus, nos ejusdem esse mentis, ut pateat, nos non desiderare liberationem à vinculis votorum, non tantùm vovebimus paupertatem, sed paupertatem in Societate JESU, (ita de aliis duobus votis, addimus proinde, Et promitto, &c.) S. Babylas hunc amorem erga sua vincula potissimùm ostendit, quando vidit se propinquum morti. Et ex nobis, Dilectissimi Patres, quis scit, quantùm distemus ab hora mortis? Quis scit, an non Renovatio crastina, nobis sit futura ultima? Itaque cras ostendite, Vos amare vestra vincula votorum, quod faciemus, si fervore & præparatione possibili vota nostra renovemus. S. Babylas sua vincula non judicavit *ignominiosa*, sed *splendida*; hujus nos esse mentis ostendimus, dum juramus, malle nos vivere in humili Societate JESU, quàm inter honores hujus mundi. S. Babylas vincula sua sic dilexit, sic æstimavit, pro charitate, quâ totus in Christum flagrabat. Hæc charitas, hic amor erga DEUM, & JESUM Christum, & SS. Trinitatem, crastinâ die cuivis nostrûm suggeret ardentia illa verba S. Ignatii, *Ego, &c. impulsus tibi serviendi desiderio,* &c.

§. 9. *Christo D. Vincula injecit Charitas; eadem nos ligat vinculis Votorum.*

Postquam S. Bernardus varios protulisset affectus admirationis, quòd Christus D. Filius DEI, Rex gloriæ, &c. tot, & variis vinculis, tam gravibus catenis, permiserit se vinciri, & ligari, in captivitate, &c. tandē paucis, sed piis verbis sibi satisfacit; *sed propter misericordiam ligatus est*, & Christum D. ita alloquitur: *O quàm immitia fuerunt illa immanissimorum vincula, quibus Agnum mitissimum vinciebant! Video oculis mentis te Domine IESV, tam duris nexibus astrictum, tanquam latronem duci ad tribunalia Iudicum. Video, & perhorresco, & admiror, & admirando deficerem, nisi, quod liquidò cognosco, te priùs in corde charitatis nexibus fuisse constrictum.*

Non

Non secus miratur mundus, Viros religiosos sponte & ultrò, intrare carcerem Religionis; imò sponte & ultrò, illos vovere paupertatem, &c. & adeo filii hujus sæculi, præsertim hæretici, & carnis sectatores, ut asserant, jugum votorum esse intolerabile, non posse illa observari, &c. Sed si agnoscerent, quòd hoc faciamus propter illud desiderium, quod habemus, ut serviamus Omnipotenti illi DEO, qui ex infinita misericordia tam immensa in nos contulit beneficia; si intelligerent, nos priùs in corde esse constrictos nexibus charitatis, erga DEUM, & Christum D. cessaret admiratio. Ita renovabimus cras votum paupertatis, &c. sed ex amore JESU! ex amore DEI!

§. 10. *Ligatura hæc placet DEO.* In sacrificio, quod Abrahamus obtulit DEO, quando immolare voluit filium suum Isaac, adverterunt S. Patres nobilem circumstantiam, super v. 5. c. 22. Gen. *Cùmque alligasset Isaac filium suum*, nimirum hanc ligaturam, sive hæc vincula, ad quæ Isaac spontè & lubens extendit manus & brachia, adeo placuisse æterno Patri, ut deinde, cùm Moyses post adoratum vitulum, cœlestem iram & vindictam, à populo voluit avertere, juxta paraphrasim Chaldaicam, *reversus est in montem*, & *quæsivit misericordiam à facie Domini; tunc Dominus recordatus fuit inclinationis Isaac, qui ligatus fuerat à Patre suo, in monte Moriath super Altare. Et conversus est Dominus ab ira sua.* Simile holocaustum & nos cogitamus crastinâ die offerre DEO nostro; ut acceptabile fiat, cùm magna promptitudine alligabimus nos vinculis trium Votorum, & &c. fiat brevis, sed pulcher affectus.

EXHORT. V.

EXHORTATIO V.

DE RENOVATIONE VOTORUM,

ſive Triduana Recollectione, quæ illi præmittitur.

Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus, Oſeæ c 2. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit varias cauſas, & motiva, propter quæ S. Ignatius ſuis bis in anno præcepit Triduanam Recollectionem; cujus ſimul varia conglobantur encomia, & ſigna, ex quibus ſcire licet, quinam juxta mentem S. Ignatii ſe recolligant, ut oportet, & nobis conducit.

§. 1. Renovatio, ſive recollectio ſpiritus, comparatur cum ſpeculo: cum variis elogiis hujus Recollectionis.

§. 2. In hac recollectione deflendi ſunt commiſſi defectus.

§. 3. In eadem prævidenda, & cavenda ſunt pericula novi lapſus.

§. 4. Quænam potiſſimùm ſint renovanda. Scilicet, Intentio, devotio, ſpiritus.

§. 5. In ſolitudine B. Virgini collatæ, ſunt ingentes gratiæ.

§. 6. Sicut & Patriarchis in Vet. Teſtamento.

§. 7. Digreſſio ad Auditores.

§. 8. Quàm talis recollectio ſit neceſſaria.

§. 9. Conglobata encomia, & effectus, ſive fructus hujus recollectionis.

§. 10. Varia ſigna, ex quibus colligi poteſt, an talis recollectio peracta ſit cum fructu.

DE renovatione ſpiritus, quam ſuadente & jubente S. P. N. Ignatio, bis ſingulis annis præmittimus Renovationi Votorum, meo judicio diſcurrere debemus, prout ſancti Patres de ſolitudine cordis diſcurrere fuerunt ſoliti: *Ad* *perfe-*

§. 1. Renovatio, ſive Recollectio ſpiritus, comparatur cum

varius elogius hujus recollectionis.

perfectionem consequendam, (teste S. Greg. Naz.) *ingens in secessu subsidium positum est.* Idem ego assero, de homine Societatis, ut consequatur perfectionem, quam Institutum, Constitutiones, & Regulæ S. Ignatii præscribunt, ingens subsidium in renovatione spiritus, sive triduana recollectione ante renovationem votorum est positum. Quod pulchro simili potest declarari. Hoc ex speculo habemus commodum & emolumentum, ut nostri vultus exhibeat maculas; in hunc finem, ut illas possimus abstergere, & faciem polire, pristinoq; nitori & venustati possimus restituere; eâdem proportione in triduanâ recollectione, suffragante verâ pœnitentiâ, defectus nostros commissos agnoscimus & emendamus, sanctisque virtutibus adornamus. *O sancta solitudo*! O utilis recollectio! *Tu es speculum animarum*, (ait S. Petrus Dam. opusc. 11. c. 19.) *ut ibi se mens humana perspicaciter intuens, quod minus est, impleat, quod superfluum, reprimat, quod obliquum est, dirigat, quod deforme, componat.* Hæc recollectio, *est purgatorium sordidorum; illa, secreta mentium purificat, squalores diluit scelerum, & ad Angelicæ nitorem munditiæ, pervenire animas facit.* In tali recollectione, *velut in luce veritatis*, (sequuntur verba S. Bernardi,) *& in sereno mundi cordis, ultrò sibi patet pura conscientia; & liberè se infundit de DEO memoria, & illuminatur intellectus, & bono suo fruitur affectus, & liberè se ipsum deflet, humanæ fragilitatis defectus. O eremus*! (exclamat B. Petrus Dam. opusc. 11. c. 19.) *mors vitiorum, & procul dubio fomes & vita virtutum. Quicunque ad perfectionis culmen pervenerunt, tuum novêre præconium.* Dicam ego, triduana recollectio, renovatio spiritus, & votorum, quid est aliud, nisi mors defectuum. Omnia exercitia, & meditationes, quas S.P.N. præscribit in libello exercitiorum, pro via purgativa; de ultimo fine, de gravitate peccati, de morte, judicio, & inferno; quonam tendunt, nisi ut moriatur, hoc est, nisi ut mortificetur v. g. sensualitas, vel superbia, vel ira, &c. & similes passiones. Talia intendit S. Ignatius, per triduanam recollectionem, per renovationem spiritus, & per quandam solitudinem cordis.

§. 2. *In hac recollectione*

Cùm Jeremias Propheta totus tristis, ob gravissima peccata populi, contra quæ sine fructu videbat se clamare & minari, dixisset,

ſet, cap. 9. v. 1. *Plorabo die ac nocte*, q. d. cùm fruſtra agam, ut ſcelera- *deflendi ſunt commiſſi à fectus.*
tus populus agat pœnitentiam, & ut convertatur ad Dominum DEUM ſuum, hoc mihi ſupereſt ſolatii, ut amarè fleam; ſi fortè lachrymis duriſſima peccatorum corda emolliri, & DEUS iratus ad miſericordiam commoveri poſſit. *Plorabo itaque die ac nocte.* Sed quem locum elegit S. Propheta? an templum? an ſynagogam? an plateas Jeroſolymæ? an mœnia & turres civitatis? ſed talia loca, lachrymas & fletum, & compunctionem cordis non promovent. Itaque ait: *Quis dabit me in ſolitudinem?* q. d. adhuc ut defleam peccata, in denſa aliqua ſylva, inter ſaxa & montes, quæram aliquam ſpeluncam, ibi latebo & plorabo. (S. Greg. Naz.) *Solitudinem amplectitur, ut ab interna plaga levetur.* Jeremiam Prophetam imitatus fuit S. P. N. Ignatius, quia initio ſtatim ſuæ converſionis, relictâ paternâ domo, Manreſam receſſit, ubi in vicinia, in quodam antro, per multos menſes ploravit die ac nocte; ibi, in ſolitudine, per ardentes preces, per inflammata ſuſpiria, per triſtes gemitus, &c. à DEO obtinuit veram cordis compunctionem, & ab internis vulneribus animæ fuit curatus. Solitudo fuit illi mors vitiorum. Ad hunc eundem finem S. Ignatius deinde in Societate, bis in anno, inſtituit triduanam recollectionem, in qua viri ferventes, veluti in quâdam ſolitudine, commiſſos per medium annum defectus, ita deflent, ut porrò leventur à vulneribus & plagis animæ. Ad conſequendam veram contritionem, *ingens in ſeceſſu ſubſidium poſitum eſt.*

Variæ aliæ rationes moverunt S. Ignatium ad præſcribendum hanc recollectionem. Vita hominis religioſi in Societate v. g. alicujus Superioris, vel Concionatoris, vel Profeſſoris in ſcholis; alicujus Confeſſarii, & fratrum Coadjutorum; talis eſt, *ut inter occaſiones videndi, audiendi, & loquendi, innumeris periculis ſit expoſita*; quàm facilè eſt, ut inter tam varias occupationes, ſpiritus intepeſcat: unde ſapientiſſimus S. Ignatius advertit, omnibus neceſſariam eſſe frequentem ſpiritus recollectionem, & quandam ſolitudinem cordis; quæ in hoc eſt ſita, (S. Gregorius M.) *ut qui ſe recolligit, v. g. in quotidiana meditatione, in quotidianis examinibus conſcientiæ, vel unâ die in quovis menſe; ſed potiſſimùm in triduanâ recol-* §. 3. *In eadem præviendæ ſunt, & cavenda pericula novi lapſus.*

 lectio-

lectione, bis in anno, & semel in anno in octiduanis exercitiis, eò connititur, ut inanes cogitationes abjiciat, inutilia desideria revellat; & omnem amorem creaturarum deserat; & discat interiùs silere, & te mundum & illibatum à rebus visibilibus custodire. Talis recollectio, *efficit mentis tranquillitatem, dum curas & distractiones amandat, cor nostrum corroborat, dum à multis negotiis, in quibus erat divisum, recolligit, & uni, scilicet orationi, & amori die totum tribuit, & idoneum se reddet, ut vocem Domini audire valeat.* Ex his advertere possumus, an recollectionem triduanam ita peregerimus, prout S. Ignatius id requirit.

§. 4. *Quænam potissimùm sint renovanda, scilicet Intentio, Devotio, Spiritus*

Alia signa nobis insinuat S. Bernardus ser. 40. in Cant. dum inter alia documenta, ad consequendam veram perfectionem, & quandam familiaritatem cum Sponso & DEO, ait: *Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu.* Hæc tria præsertim in triduana recollectione, debent renovari; Intentio, Devotio, Spiritus. (Habes locum pro pulchra digressione, quâ v. g. intentione, quâ devotione, quo spiritu, fungamur nostris officiis.) Utinam omnes quotidie hæc tria observaremus!

§. 5. *In solitudine B. Virgini collata sunt ingentes gratiæ.*

Placet mihi id, quod observarunt S. Ambrosius, S. Bernardus, & Richardus à S. Laur. de B. Virgine: hic super verba Archangeli Gabrielis ad B. Virginem, *Dominus tecum*, ita ait: *Dominus cum illa, merito solitudinis, quam summè diligebat; unde ab Angelo sola inventa est in conclavi, quando ingressus est ad eam.* S. Bernardus ita exclamat: *O beatissima vita solitaria! vita contemplativa, quando in solitudine contemplabatur Virgo Maria, hoc est, cùm nihil intenderet, nisi purissimâ intentione DEO servire; cùm tota effervesceret in devotione, cùm ardenti spiritu raperetur ad amandum summum bonum; cùm ardentissimâ oratione peteret adventum Messiæ, dum talia contemplaretur, tunc venit, & in ea, & de ea carnem assumpsit.* S. Ambrosius ait: *Sola erat, quando supervenit in eam Spiritus S. & virtus Altissimi obumbravit eam. Sola erat, & operata est mundi salutem, & concepit Redemptorem universorum.* Sancti Patres volunt hoc insinuare, Deum amare solitudinem cordis, & in illa exhibere homini magnas gratias, quasi in familiarissimâ conversatione, quod nobis promisit per Prophetam Oseam, c. 2. v. 14. *Ecce, ego lactabo*

eam.

eam, hoc eſt, *recreabo in delitiis*; ſed addit: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* Ex quibus verbis *diſcimus*, teſte Oleaſtro in c. 28. Exodi, *quàm accommodus ſit ſolitudinis locus, ad divinas locutiones, & viſiones.*

Scrutemur Scripturas, ait Hugo de S. Victore, l.4. de arca, c. 4. *& inveniemus, vix unquam DEVM in multitudine locutum, ſed quotieſcunque hominibus innoteſcere voluit, non gentibus, nec populis, ſed vel ſingulis, vel admodum paucis, & à communi frequentiâ ſegregatis, vel per nocturna ſilentia, vel in campis, vel in ſolitudine, & in montibus ſe manifeſtavit.* Ideo de Moyſe quærit B. Laur. Juſtin. *Ubi divinam allocutionem primùm audire promeruit? Nunquid in Ægypto, aut in regalibus ædibus? Minimè, ſed in eremo, quò hominum deerat acceſſus; ſic enim legitur: Cùm autem Moyſes minaſſet gregem ad interiora deſerti, vidit, quòd arderet rubus, & non combureretur.* In ſolitudine illi propoſitum fuit admirabile myſterium Incarnationis. *Moyſes magnus legiſlator, didicit in ſolitudine viſionem magnam rubi ardentis; patrationem miraculorum accepit, populi liberator, & DEVS Pharaonis conſtitutus.* Ita *Abraham ſedit ſolus ſubter ilicem Mambre, quando tres vidit, & unum adoravit. Poſtmodùm gradiens ſolus, audivit ab illis myſteria; ſolus erat, cùm myſterium circumciſionis accepit à Domino. -- Ità Iacob ſolus vidit ſcalam cum Angelis deſcendentibus & aſcendentibus, & typum domus DEI. Solus cum Angelo luctatur, & meretur benedici.*

§. 6. *Sicut & Patriarchis in Vet. Teſtamento.*

RR. Patres, quis non advertit, eò tendere quotidianas noſtras meditationes, ut intelligamus arcana & abſcondita myſteria noſtræ fidei, & ut Dominus ſit nobiſcum: ut ſuperveniat in nos ſpiritus; ut virtus Altiſſimi nos obumbret; hoc intendimus, ut intentio noſtra ſit rariſſima; ut devotio noſtra ſit ardens, ut cum B. Virgine ſpiritus noſter exultet in DEO noſtro. Hoc optamus, ut Chriſtus D. nos lactet pretioſo ſuo ſanguine, ut ad cor nobis loquatur, de rubo ardente, de ſcala Paſſionis; verbo, ut nos illuminet in cognitione altiſſimorum myſteriorum. Laudo hæc deſideria, ſed cum B. Virgine debemus diligere ſolitudinem; cum Moyſe pergere debemus ad interiora deſerti; cum Jacobo ſoli debemus jacere ſub arbore Crucis; ſoli cum Chriſto D. debemus luctari, ut

§. 7. *Digreſſio ad Auditores.*

 nobis

nobis benedicat. Advertitis credo causas, ob quas S. Ignatius in Societate sua instituerit triduanam recollectionem; quare velit nos esse amatores & cultores solitudinis. Quæ, teste B. Petro Damiano, *Spiritualis exercitii mirabilis est officina, in qua certè humana anima Creatoris sui in se restaurat imaginem, & ad sua redit originis puritatem.* Hæc solitudo, *est schola cælestis doctrinæ, ac divinarum artium disciplina.* Illic enim DEus est totum, quod discitur; & via, per quam ad summæ veritatis notitiam pervenitur.

§. 8. *Quàm talis recollectio sit necessaria.*

Hinc, sive ex hac officina & schola, (inquit S. Ambrosius) *processerunt viri, Elias, Elisæus, Ioannes, - qui inopes atque egentes, - in solitudinibus errabant, inter alta & condensa montium, invia rupium, speluncarum horrida, fovearum vadosa, quorum conversatio erat in cælis.* Secede & tu, non ut corpore te conferas ad tales montes, &c. non! secede in cor tuum, recollige animam tuam, mente secede; B. Petrus Dam. opusc. 12. c. 20. *Noverit - Religiosus - vitio vagationis addictus, quia nisi à sæculo pedem retrahat, & ad serviendum DEO, in loco remotionis se perseveranter accingat, nec perfectionis culmen attingere, nec Ordinis sui dignè poterit munia custodire.* Ecce causas, ob quas S. Ignatius præscripsit triduanam recollectionem; Aperuit in hoc nobis quasi scholam & officinam cœlestis doctrinæ. Vult, ut sciant Religiosi Soc. JESU, præsertim inter occasiones videndi, &c. fieri non posse, ut perfectionem assequamur, & Regulas nostras observemus, nisi frequenter recolligamus spiritum, &c.

§. 9. *Conglobata encomia & effectus, sive fructus hujus recollectionis.*

Eximia triduanæ recollectionis encomia reperio apud B. Petrum Dam. sive Basilium M. *Solitudo*, ait ille: *Ego dico, triduana spiritus recollectio, & votorum renovatio, - fornax est, ubi supremi Regis vasa formantur, & ad perpetuum nitorem, malleo pœnitentiæ percussa, ac limâ salutiferæ correctionis erasa, perveniunt. In qua nimirum obsoletæ animæ rubigo consumitur, & scabie peccatorum scoriæ deponuntur.* Triduana recollectio, officina est, in qua *homo formatur lapis quadratus, construendis videlicet cælestis Ierusalem mœnibus aptus.* Triduana recollectio est via aurea, quæ Religiosum aberrantem à recta semita, reducit ad patriam. Recollectio triduana! ô vita

ô vita benedicta! viridarium animarum, vita sancta, vita Angelica; exedra gemmarum cœlestium, curia spiritualium Senatorum. Elegans est observatio B. Laurentii Justin. l. de vita sol. c. 2. de Elia, de quo ait: *Cùm vehiculo igneo esset transferendus de sæculo, non in urbibus, sed cum discipulo degebat in eremo; disce, qui solitudinem habitas, quanta in eadem exuberent beneficia; disce etiam, quàm facilè ex eremo transitur ad cœlum. Prorsus impossibile est, quempiam posse perire, qui eo, quo debet modo, solitudinis habitator existit.* Omnia hæc & similia encomia, totidem sunt motiva, propter quæ S. Ignatius instituit triduanam recollectionem; vult nos esse aurifabros, ut &c. Vult nos esse Architectos, ut &c. Ostendit nobis auream viam, &c. ostendit igneum currum, quo vehamur in cœlum; Discite, &c. (fiant pulchræ repetitiones.)

Imponam exhortationi finem, quamprimùm vobis retulero signa, quæ nobis proposuit S. Joannes Climacus gr. 27. ex quibus cognoscere poterimus, an cum fructu peregerimus triduanam recollectionem; vel ut sciamus, an ad crastinam renovationem bene, & juxta mentem S. Ignatii simus dispositi. Ita ait: Signa & ex-„ ercitationes, & argumenta eorum, qui solitudinem amant, hæc „ sunt: Mens nullis perturbationum fluctibus agitata, cogitatio-„ nes castæ, raptus in DEUM; suppliciorum æternorum præsens „ semper memoria; mortis instantis consideratio; inexplebile pre-„ candi studium; custodia sui inexpugnabilis; Veneris extinctio; „ appetitionum ignoratio; mundi mors; nullum cibi desiderium; „ rerum divinarum cognoscendarum aviditas; fons discretionis, „ lachrymarum facultas, loquacitatis exterminatio. „ B. Laurenrentius Just. hæc ponit signa: *Declinare noxia, pericula prævidere, delictorum evitare causas, æterna desiderare, Deoque inseparabiliter adhærere, ut in nobis transitoria & terrena mutentur in cœlestia, ut sæculi oblectamenta despiciamus; ut carnis abhorreamus lenocinia, ut facultatibus renuntiemus temporalibus, ut cœlestium amore flagremus.* Hoc est, ex mente Jeremiæ, Thren. 3. 28. *Sedere solitarium, & tacere, & levare se supra se.* B. Petrus Dam. *Se elevat super se, quia DEUM esuriens anima, à terrenis se rerum obtutibus erigit, & in divinæ contemplationis arce suspendit, atque se in altum, cœlestis desiderii pennis*

§. 10. *Varia signa, ex quibus colligi potest, an talis recollectio peracta sit cum fructu.*

nis librat. Talis recollectio, (B. Laur. Just.) *est tranquillitatis portus, à sæculi fragoribus alienus; delictorum fuga, gratiarum nutrix, cæli janua, orationis locus, compunctionis mater, meditationis incentivum, & contemplationis sanctæ auxilium singulare.* Gerson t. 2. serm. de Spir. S. *Acceptabilis plurimùm est oratio solitariorum; ubi dicente S. Hieronymo, nescio quid serenius emicat, & liberius mens evolat ad penetrandum cælestia.* Denique hæc est certa maxima SS. PP. nobis subinde, imò sæpè, nonnihil quiescendum esse, ut animo minimè turbido, cum DEO versemur. (Ex quibus omnibus brevis, sed elegans poterit fieri epilogus, S. Ignatium bene fecisse, quod &c.)

EXHORTATIO VI.

DE RECOLLECTIONE SPIRITUS ante Renovationem Votorum.

Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, ad Rom. 12. v. 11.

SYNOPSIS.

EX definitionibus, ex essentia, & ex effectis teporis spiritualis colligere possumus, quàm sit nobis necessaria recollectio spiritus. In quo hæc consistat. Item aliqua media, ad pellendam tepiditatem.

§. 8.

SI intelligamus definitiones, effectus & indicia illius teporis, sive tepiditatis, quæ subinde, & facilè Religiosos Viros vexare solet; facilè intelligemus causas, propter quas S. P. N. Ignatius, ante renovationem Votorum, bis in anno, suis filiis præceperit triduanam spiritus recollectionem. Cùm verò hic tepor species quædam sit acediæ, Auditores meos advertere cupio, coram Viris Religiosis non me acturum de illa audacia, cujus malitia ad culpam usque peccati mortalis attingit; sed quatenus illa manet intra terminos peccati venialis: quia, & quà talis, summoperè est nociva, ideoque fugienda. *§. 1. Prop. sitio.*

Ex mente Angelici Doctoris 2. 2. q. 35. art. 1. *Spiritualis tepor, est quædam aggravans tristitia, quæ ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat, quod agere deberet.* Ex qua tristitia oritur quidam torpor mentis, negligentis bonum. Ex mente S. Augustini, est *tædium animi, & interni boni.* Ideo S. Bonav. *Acediæ, sive teporis natura est, ut tædium boni generet, animi torporem causet, mentem gravet tristitia.* Alb. M. hanc voculam acediam derivat ab acedine, *quia per eam anima tædium habet de omni spirituali difficili.* Bellovacensis ait: *Negligentes cultum DEI fastidiunt, & divinum officium indevotissimè reddunt.* Dion. Carthus. *His pigris & acediosis tam molestum est virtuosos aggredi actus, ac immorari, & proficere in iisdem, ac si per spinosam sepem essent ituri. Pigredo immittit soporem, id est, mentis fastidium, ac torporem ad ea, quæ DEI sunt, & salutis. Corpori quoque somnolentiam ingerit, præcipuè in divinis.* Prov. 22. v. 13. *Dicit piger, leo est fortis, in medio platearum occidendus sum.* *§. 2. Tepor spiritualis variè describitur.*

Sed unde talis piger sibi persuadere potest, in plateis solutos discursare leones, qui transeunti viatori minantur necem? Respondet Dion. Carth. & verba illa in sensu morali ita exponit: *Vanas & leves* *§. 3. Piger imaginatur sibi omnia difficilia.*

leves acediosus quærit occasiones, & excusationes, quibus evadat, ne cogatur aggredi, & exercere bona opera. Negligentes enim, & in servitio DEI tepidi, semper abundant excusationibus; v. g. stomachus succumbit jejuniis, caput infirmum meditationibus, & orationi mentali faciendæ est inidoneum; complexionis imbecillitas, vigilias, aliasque mortificationes corporales non patitur. Omnis ferè mortificatio est fortis leo, qui tepidos terret. Ideo tepidus, ut S. Hier. advertit, rectè pigri vocabulo denotatur; qui vult regnare ,, cum Domino, & non pati pro eo; delectant præmia, cùm polli- ,, centur; deterrent certamina, cùm jubentur. Lyranus: *Bene vult piger obtinere bonum utile, vel honorabile, sed laborem, qui ad hoc exigitur, non vult sustinere*; & sic vult, sed non vult efficaciter. Habet voluntatem optativam, sed non imperativam. Vult finem, sed non media, &c.

§. 4. *Iterum describuntur tepidi, & quantum tepor illis noceat.*

Itaque tepidi, si quid operentur, lentè faciunt, & remissè; ,, sed & tepidè prosequuntur. ,, S. Bernardus illos ita describit ser. 6. de Asc. Sanè invenire est homines pusillanimes, & remissos, ,, deficientes sub onere, virgâ & calcaribus indigentes; quorum ,, brevis & rara compunctio, quorum obedientia sine devotione, ,, animalis cogitatio, tepida conversatio, sermo sine circumspe- ,, ctione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. Et ,, sic paulatim (S. Greg. M. l. 30. mor. c. 20.) in corde negligentium ,, prurientia desideria terrena, & punctiones pullulant vitiorum. ,, Si non vitiorum, saltem gravium defectuum, & imperfectionum. ,, Illis voculis in Scriptura, *Via pigri*, addit Glossa Hebraica, *Velut senticetum spinarum*. S. Ephrem de record. mortis: Negligentia ,, multorum malorum fit causa, - paulatim à spirituali consuetu- ,, dine, ac ratione vivendi abducens, & fidei ardorem deprædans, ,, efficiensque, ut voluptatibus tanquam dominis serviamus; non ,, enim sinit cogitatione complecti, quæ post hanc vitam erunt re- ,, tributiones, - & bonis & malis, secundùm opera eorum. ,, Bene ponderandæ sunt aliquæ voculæ, quòd nimirum 1. tepor spiritualis irrepat paulatim, 2. quòd à bona abducat consuetudine, est v. g. Religiosus, qui dum fervet, consuetudinem habet, manè è lecto surgendi ad primum sonum campanæ; dum tepet, perit hæc consuetu-

ſuetudo. (hoc modo poterit fieri pulchra inductio per alia ſpiritualia exercitiâ.) 3. Emphaſim habent illæ voculæ, quòd *tepor depradetur ardorem fidei*; idem dic de ardore charitatis, & omnium aliarum virtutum. 4. Advertendum eſt, quòd hic tepor inducat oblivionem noviſſimorum.

Paulò pòſt idem citatus S. Ephrem ſubdit: *Operare, pietatemque ſerva; nam pigritia pietatem evertit.* Meo judicio S. Ephrem de vita fervidi Religioſi loquitur, veluti de pulchra aliqua ſtructura, vel domo; ſed quam tepor ſpiritualis paulatim funditùs evertit. Ideo tepidi tandem eò perveniunt, ut in quodam defectuum profundo immerſi, vix quidquam de ſalute propria cogitent. *Evaduntque (*Bloſius*) immundi, tepidi, ſocordes, vagi, incompoſiti, ſine timore, ſine reverentia. Utinam hos mundus ſibi ſervaſſet, ſi ſordeſcere volebant; in loco ſordium manere, non ad loca puritatis tranſire debuerunt.* Quàm turpe enim eſt, quàm propudioſum, vivere v. g. in Societate JESU, & nullo erga DEUM, atque divina ſtudio, nullâ diligentiâ, nullâ ſtrenuitate fervere. Licèt tales libros ſpirituales percurrant, licèt pſallant, &c. ea tamen quæ legunt, quæ faciunt, *non eis ſapiunt*; nec gratiam vel augmentum perfectionis inde referunt. Et ita paulatim ab anima recedit Spiritus Sanctus, donec perfectè extinguatur lux & calor ejus. Hinc frigus! hinc denſæ invaleſcunt tenebræ! hinc torpor! Proinde, (iterum loquor cum S. Ephrem, (attende tibi ipſi ſolerter, ne quando te ipſum torpo-,, ri atque negligentiæ tradas; initium enim perditionis negligen-,, tia eſt; quæ quidem per modicas occaſiones irrepit, ſed poſtea ,, totum hominem obſidens, omne ſtudium religionis relaxare, ju-,, gumq; ejus excutere cogitur: ut ita paulatim repleantur iniquita-,, te, & vita illorum inferno appropinquet. §. 5. *Proſecutio utriuſque partis prioris paragraphi.*

Quæ omnia permoverunt S. Bernardum, ut exclamaverit ſer. 5. de Aſc. Exurgamus obſecro, quicunque ejuſmodi ſumus, ,, reſarciamus animas, ſpiritum recolligamus, abjicientes pernitio-,, ſam tepiditatem, & ſi non, quia periculoſa eſt, & DEO ſolet et-,, iam vomitum provocare, certè quia moleſtiſſima, plena miſeriæ ,, & doloris, & inferno planè proxima, umbra mortis purè cenſe-,, tur. Inter varia media pellendi tepiditatem, S. Ignatio placuit §. 6. *Adhortatio vehemens ad tepiditatem depellendam, per recollectionẽ ſpiritus.*

ſpiritus recollectio. Spiritum recollige, (prout in Soc. moris eſt;) & aggravans illa triſtitia, vertetur in lætitiam. Tædium animi commutabitur in fervorem, quo omnia opera tua perages devotiſſimè. Spiritum recollige! & nullæ in via perfectionis occurrent ſpinæ, ambulabis ſic per roſas: tria vota, paupertas, caſtitas, obedientia, videbuntur tibi tria pulcherrima lilia, inter quæ paſcitur cœleſtis Sponſus. Spiritum recollige, prout Ordinationes ſtatuunt; abſtrahe te ab omnibus occupationibus, quæ mentem, animumq; nimiùm diſtrahunt, ſede, tace, lege, ora, meditare noviſſima; conſidera finem, ad quem à DEO creatus es, &c. in his conſiſtit ſpiritus recollectio, quæ tenebras, in quibus jacuimus, pellit; quæ extinctum ignem extinguit, &c. (ex ſuperioribus poterit fieri pulchra repetitio.) Spiritum recollige, id eſt, age pœnitentiam, geme, deplora peccata tua; per generalem confeſſionem lava animam tuam in ſanguine Chriſti, ſic renovabitur anima tua, &c.

§. 7. *Recollectionis hujus eximii fructus: præſertim novus fervor.*

Recollectionis hujus eximii ſunt fructus. *Spiritus enim, quem in illa per DEI gratiam plerumque renovamus, quas replet animas, expulſo torporis & negligentiæ frigore, ad amorem divinum inflammat*; Exemplo nobis ſit S. Petrus, qui primitùs quidem ad vocem ancillæ expavit; poſtquam autem ab igneo ſpiritu fuit invaſus, toti ſynagogæ, & omnibus Judæis audacter ſe oppoſuit. S. Thomas de V. N. con. 1. de Pent. *Ingreſſi ſunt timidi, exierunt fortes. Ingreſſi ſunt tepidi, egreſſi ſunt ardentes.* Hoc eſt, ut S. Paulus ait, *ſpiritu ferventes*; quibus voculis immediatè ſubdit, *Domino ſervientes.* O quanto cum ſtudio, ſolicitudine & fervore obſequia terrenis exhibentur Principibus! nutus eorum quodammodo obſervantur. Quantò rationabiliùs eſt, ut non diſſimilem in DEI ſervitio ardorem, ſollicitudinemque exhibeamus. Michæas Propheta, acceptam divinæ Majeſtati oblationem facturus, apud ſe conſultabat, dicens cap. 6. v. 6. *Quid dignum offeram DEO? curvabo genu? nunquid offeram holocauſtomata, & vitulos anniculos? nunquid dabo primogenitum meum?* Sed tandem ait: *Utique indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te; utique ſollicitum ambulare cum DEO tuo.* DEUS utique nihil tam benigno reſpicit oculo, ac noſtram

nostram sollicitudinem, nostrumq; in divino officio fervorem. Unde Ecclesia ita nos vult orare: *Innocentiæ restitutor & amator, dirige ad te tuorum corda servorum, ut spiritus tui fervore concepto, & in fide inveniantur stabiles, & in opere efficaces.* Quæ doctrina, quamvis omnes concernat Christi-fideles, singulariter tamen talia inculcari debent Religiosis, de quorum obligatione ita ait Blosius cap.5. spir. Instit. *Æquum profectò foret, Religiosum adeo divini amoris fervore succensum, adeo intus & foris DEIformem esse, ut quisquis ad eum accederet, nihil unquam in eo, nisi DEUM, sive animum ferventissimum, in DEUM erectum, atque ad omnem DEI voluntatem paratissimum inveniret.*

§. 8. *Digressio ad Auditores.*

Reverendi Patres, charissimi Fratres, hoc per triduum puto nos cum Michea Propheta consultasse, quid cras velimus offerre DEO nostro, ut placeamus oculis ejus, quænam dona, & munera; puto nos cogitasse cum Davide, *Reddemus DEO Vota nostra*; de novo illa corroboravimus. Obsecro, faciamus id animo ferventissimo, &c. (fiat dictorum paulò antè pulchra repetitio.)

§. 9. *Quare certis temporibus plus proficiamus in spiritu, quàm aliàs.*

Curiosam quæstionem proponit Abulensis q. 4. in l. 3. Reg. c.7. quare Salomon fabricam templi pulcherrimam, sumptuosissimam, & laboriosissimam absolverit spatio septem annorum; ædificio verò regii palatii, quod templo longè fuit inferius, impenderit annos tredecim? duas affert rationes, quarum una concernit Regem, altera populum. Dicit enim: *Non fuit consummatum ædificium regiæ domus, in tam brevi tempore, sicut ædificium domus Domini, propter fervorem Regis, quia circa ædificationem templi DEI erat valde fervidus; eò quòd ibi non parabatur habitatio homini, sed DEO:* altera causa, concernit devotionem populi, & illorum, qui erant ministri operis; *nam desiderabant Israëlitæ facere templum Domino, ideo laborabant nimis fervidè in opere templi, & sic faciliter consummatum est.* Agnoscamus quæso causam, quare subinde uno mense in structura ædificii nostri spiritualis plus proficiamus, quàm aliàs medio, &c. (fiat p. applicatio.)

§. 10. *Fervor spiritualis indies est renovandus.*

Alii quoque SS. Patres pulchrè exponunt, in quo consistat renovatio & recollectio spiritus; Hugo Card. in c.18. Eccles. ait: *Nescit mens per torporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoa-*

inchoare. Itaque in recollectione eò tendere debemus, ut nova concipiamus desideria, serviendi Domino DEO. Cùm quidam venisset Mediolanum ad S. Carolum Borromæum, ut illi serviret, non ex motivo lucri, vel ambitionis, sed ideo, ut disceret DEO servire, in ordine ad statum Ecclesiasticum, S. Præsul ei dixit: Qui „ continuum in via DEI vult facere progressum, ei opus est semper „ incipere; id est, conandum est illi, ut DEO semper illo cum fervo- „ re inserviat, acsi quolibet die vitæ melioris faceret initium, & „ quilibet dies primus esset conversionis; debet etiam actualiter „ ambulare in præsentia DEI, & ipsum solum, omnium operum „ suorum constituere viam. „ Si fortassis ex me quæratis, RR. Patres, quomodo cras Deo debeatis offerre vota vestra? Respondeo illo fervore, quo primâ vice illa obtulistis. Quis ex nobis non meminit, quo spiritu, quibus intentionibus, &c. se disposuerit ad illum diem spiritualis desponsationis: cogitate crastinum esse primum diem, &c.

§ II. *Et quidem ex consideratione, DEI nobis ubique præsentis.*

Non sine mysterio dixit S. Th. de V. N. *Qui proficere vult, debet ambulare in præsentiâ DEI.* Cùm enim S. Basilius in reg. brev. interrog. 37. quæsivisset: *Qui piger est ad mandatum*, (qui tepidus est, cujus frigida est charitas,) *quomodo is ita poterit excitari, ut gnavus sit?* Respondet, *nempe si ei persuasum sit, ubiq; Dominum DEUM adesse, & omnia cernere*; & veras esse illas comminationes, quæ adversum pigros propositæ sunt. *Quomodo enim*, (ait S. Bern. ser. 2. sup. ps. 90.) negligens poterit fieri, qui intuentem se DEUM nun- „ quàm desinit intueri? Qui sic eum videt super se intuentem, ut „ omnia interiora ejus, & exteriora omni horâ considerare non „ cesset, omnesque non solùm actus, sed & ipsos subtilissimos mo- „ tus animæ perscrutetur atque dijudicet. „ Postquam Dion. Carth. in c. 6. Proverb. dixisset: Pigri in divinis, in præsenti & in futuro „ sustinent detrimentum, quia idipsum boni quod agunt, faciunt „ cum labore & tædio, sine consolatione & gustu; propter quod & „ parum, aut nihil merentur; ferventes verò & agiles serviunt DEO, „ cum gaudio, & delectabile est eis exercere divina, (possunt fieri pulchræ inductiones, per diurnas occupationes viæ contemplativæ & activæ,) *ideoque in præmio crescunt, & sunt DEO chari & com-*

complacentes. Pigritia ex charitatis defectu, & inconsideratione divinæ Majestatis, ac novissimorum procedit. Nota illas voculas ad intentum hujus paragraphi, *ex inconsideratione divinæ Majestatis.*

Denique ait Bellovacensis cit. cogitationem dandæ mercedis & præmii, efficax esse remedium, ad excutiendum teporem. *Fructus alliciens, scilicet spirituale præmium, & æternum præmium, quod modico tempore, & non multo labore potest acquiri; nam quasi pro nihilo lucrari potest homo plus, quàm valeant omnes divitiæ, & omnia regna mundi, scilicet gratiam & gloriam. De qua Psalmista ait: Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Cogitandum est nobis, quod Judicum c.18. v.19. dixerunt viri, qui exploraverant terram promissionis: *Surgite: ascendamus; vidimus enim terram valde opulentam, & uberem; nolite negligere, nolite cessare: eamus & possideamus eam; nullus erit labor.* S. Aug. in ps. 93. *Attendis te habere laborem; sed attende, qualem ille requiem pollicetur. Si illam posses cogitare, videres te nihil laborare ad compensationem.* Et ep. 143. *Omne opus leve fieri solet, cùm ejus præmium cogitatur, & spes præmii solatium est laboris.* Itaque, &c.

§. 12. *Et ex consideratione futuræ gloriæ.*

EXHORTATIO VII.

DE RENOVATIONE VOTORUM, sive Triduanâ Recollectione circa Festa Natalitia.

Elongavi fugiens, & mansi in solitudine; exspectabam eum, qui salvum me fecit, Ps. 54. v. 8.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit aliquas causas, propter quas S. Ignatius circa ferias Natalitias præcipit triduanam recollectionem, ante Renovationem Votorum.

§. 1.

§. 1. *Propositio.*

ADducam in hac Exhortatione aliquot magni ponderis causas, quæ S. P. N. Ignatium moverunt, ut in sancta sua Societate instituerit Renovationem Votorum, quæ nihil aliud est, quàm quædam animi recollectio & sollicitudo, in qua se homo ab omnibus terrenis separat, ut per aliquot dies cum solo DEO suo agat de negotio suæ salutis.

§. 2. *Recollectio spiritus cooperatur nostræ saluti.*

Prima itaque causa est hæc. Hæc recollectio, hæc solitudo, hæc renovatio spiritus cooperatur nostræ saluti, & facit, ut ultimum finem, ad quem à DEO creati sumus, assequamur. Videtur hæc fuisse mens Regii Psaltis, cùm ps. 54. v. 8. dixit: *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Quare hoc fecit? subdit statim responsionem; Ita - *exspectabam eum, qui salvum me fecit.* Ubi B. Laur. Justin. ait, de vita solit. in prologo: *Est itaque fuga eorum commendabilis, dum declinant noxia, pericula prævident, delictorum evitant causas, æterna desiderant, Deoq; inseparabiliter adhærere concupiscunt.* Hoc certum est, cuivis homini præstitutum esse à DEO determinatum tempus, v. g. 20. vel 30. annos, ut hoc tempore, in hoc mundo, sive in hac vita operetur negotium suæ salutis, ut moriens assequatur vitam æternam. Ob quam causam Christus D. dixit Matth. 12. v. 28. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit illam.*

Ex

Ex mente SS. PP. per hanc pretiosam margaritam denotatur unica salus animæ nostræ; sed ubi invenitur? Regius Psaltes & S.P.N. Ignatius, ductor & dux noster, nos ducunt ad solitudinem, volunt ut fugiamus, &c. Fortassis S.P.N. præ oculis habuit, quod dixit & scripsit S. Bernardus: *O solitudo! negotiorum cœlestium apotheca: in te transitoria, & terrena mutantur in cœlestia & æterna.* Ideoque in hac recollectione tractatur negotium omnium negotiorum, quod in salute animæ nostræ consistit. Ipse Christus D. hoc negotium nobis commendavit, cùm dixit: *Negotiamini usque dum venio,* ut scilicet vos salvem. B. Laur. Just. de Solitariis: *Solitudinis secessus quærunt, quatenus margaritam pretiosam, cœlestemque valeant meliùs custodire thesaurum.*

§. 3. Quid denotetur per pretiosam margaritã, cujus Christus D. meminit Matt. 12.

Notabile est, quod legitur in vita S. Arsenii, cùm satur mundi & aulæ, in quâ vivebat in magnis dignitatibus constitutus, ad ad DEUM suspiraret, *Domine, dirige me ad salutem,* vox collapsa de cœlo, illi dixit: *Arseni, fuge homines, & salvaberis.* Cùm jam mundum deseruisset, & monasterium ingrediens, iterum oraret, *Domine, dirige me ad salutem.* Iterum audivit vocem de cœlo dicentem: *Arseni fuge, tace, quiesce; hæc enim sunt radices non peccandi, & ita salvaberis.* O fili S. Ignatii! fili sanctæ Societatis JESU! ideóne venisti ad Societatem, ut te DEUS dirigat ad salutem! cogita, non aliquam vocem de cœlo, sed parentem tuum S. Ignatium clamare, fili! certis temporibus fuge; recipe te ad aliquam solitudinem! recollige te, & salvaberis. In hac recollectione, solus &c. considera, per quæ peccata deviaveris à recto tramite; redi per contritionem, &c. & salvaberis. (Hoc modo fiat pulchra allocutio per præcipua puncta recollectionis, sive triplicis viæ ad perfectionem, & salvaberis!)

§. 4. De cœlesti voce, quæ dixit Arsenio, Fuge homines, & salvaberis.

Eleganter nobis hoc proponit elegans parabola de pastore Lucæ 15. v. 3. qui cùm haberet centum oves, ubi advertit unam perditam, tanto exarsit desiderio illam recipiendi, ut reliquerit nonaginta novem, & abierit, illam perditam oviculam quæsiturus: subtile dubium movet ille Interpres, qui quærit, an ille Pastor in hoc prudenter egerit, &c. & subtiliter monet, ne miremur, ne Pastorem carpamus, ut advertamus, ubi illas 99. reliquerit; nimirum

§. 5. Quo sensu Pastor bonus deseruerit 99. oves, ut unicam reduceret.

rum in deserto, in loco solitario, in quo illæ oves, per quas electi denotantur, sunt in tuto, Alb. M. *Desertum est, ubicunque mundi frequentia non est, apud illos, qui dicere possunt cum S. Paulo ad Philip. 3. Nostra conversatio in cælis est*; unde Matth. 18. ubi eadem parabola adducitur, legimus: Nonne relinquit 99. in montibus. S. Anselmus legit, hoc est, *in cælestibus*; in quibus qui vivit, Angelicam potiùs, quàm humanam ducit vitam. Sed! ô ovicula perdita! quare deviasti à via? non advertis pericula, inter quæ versaris? non advertis te stare in præcipitio, ut ruas in graviora scelera? & ex illis in barathrum? quid agendum tibi judicas? ut redeas? ut salveris? sequere JESUM! sequere S. Ignatium! hi te vocant ad solitudinem, &c. (pulchrè) sic venies ad desertum, in quo cum reliquis electis infallibiliter salvaberis.

§. 6. *Quò Elias fugerit, fugiens Jezabelem.*

Pulcherrimam historiam reperio l. 3. Reg. 19. Elias Propheta fugit ob graves persecutiones & minas Jezabelis. Sacer textus ait v. 3. *Timuit Elias, & surgens abiit, quocunque eum ferebat voluntas.* Miror tantum Prophetam adeo timuisse; cùm excelsus & generosus animus, bene agens, minantes inimicos parum timere soleat. Sed quò fugit? *Perrexit in desertum.* Super quæ verba glossa quædam ait: *Omnia in figura.* Per Jezabelem figuratur concupiscentia carnis; sive, Jezabel est amor proprius. Jezabel est sensualitas, &c. Hæ Jezabeles non tantùm in mundo dominari gestiunt, ut omnes habeant sub pedibus. In domibus religiosis quærunt dominium; Personis DEO sacratis minantur ruinam. Viri magnanimi, & qui multis annis v.g. in Societate DEO servierunt, habent adhuc causas timendi. Quis modus effugii? Elias nos docet, non esse remedium securius solitudine; & quòd si tuti esse velimus, debeamus fugere ad montem, &c. hoc est, ad spiritus recollectionem evidens. quod paucis verbis videtur voluisse insinuare senex Eremita, qui juniori, sollicito de sua salute, dixit: *Fuge homines, tace, & salvus eris.* Applico ego hæc illis exercitiis, quæ à S. P. N. & ab Ordinationibus nostris, nobis præscribuntur pro triduana recollectione, sive spiritus innovatione. In via purgativa, dole, propone, &c. salvus eris. Ita de reliquis. Sed priùs evolabis, sicut passer volat, qui eripitur de laqueo venantium.

Jeza-

Jezabelem timetis Viri Religiosi? vel diabolum cum principibus tenebrarum, qui dies noctesque vigilant; qui vos impugnant, ut spolient vos gemmâ illâ pretiosâ æternæ salutis. Facite, quod præcipit S. Ignatius. Statis temporibus fugite ad solitudinem, &c. ut cum B. Petro Damiano, vel S. Basilio dicere possitis: *O cella, sacræ militiæ tabernaculum! procinctus triumphatoris exercitus, castra DEI, turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis; Tu campus divini prælii, spiritualis arena certaminis, Angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium, tu munitio fortium, tu præsidium cedere nescientium pugnatorum. O eremus! ubi quasi turres Sion, & quasi propugnacula Ierusalem eriguntur adversus Assyrios, & contra faciem Damasci.* Paulò pòst subdunt: *Vnum pro certo scio, ô vita benedicta,* (ecce, quid sit recollectio, &c. vita benedicta) *quod de te indubitanter affirmo, quia quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem habitator est tuus, sed ejus inhabitator est, DEVS!* ut quod initio dixi, cum illo solo per aliquot dies tractemus negotium nostræ salutis. §. 7. *Apostrophe ad Auditores.*

Elegantem causam triduanæ recollectionis insinuat Ansbertus, cùm agit de muliere Apocalyptica, quæ ut salvaret filiolum, cui insidiabatur draco, (Apoc. 12. v. 6.) *fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à DEO.* Ubi pulchrè cit. Ansbertus: *Solitudo, ad quam mulier fugiens, locum à DEO præparatum invenit, est quies mentis, quæ inordinatos motus desideriorum à secreto cordis ejiciens, solatium in DEO invenit. Sancti etenim viri, quia alibi draconis insidias evadere non possunt, se ipsum desertum quietis faciunt; ut habeant, quò salubriter fugiant.* Ecce causam, quæ movit S. Ignatium, ut instituerit tertianam recollectionem, (fiat pulchra repetitio, & applicatio. § 8. *Solitudo est locus paratus à DEO.*

Causam aliam suggessit S. Ignatio S. Augustinus, dum fortassis legit, illum dixisse de Anachoretis, quòd *desertissimas terras incoluerint.* Et addit: *Perfruentes colloquio DEI, cui puris mentibus inhæserunt.* Quod Sponsus promisit Sponsæ, Oseæ 2. *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* En pulcherrimam causam, ob quam S. Ignatius circa festa Natalitia præceperit triduanam solitudinem. Optat, ut ad cor nobis loquatur JESUlus! § 9. *Solitudo, sive recollectio spirituum triduana circa ferias natalitias nos ducit ad alloquium DEI.*

lus! de puritate, de paupertate, &c. & ut vicissim nos loquamur ad cor JESULI, ideo nos priùs ducit ad solitudinem.

§. 10. *Prosecutio.* Ubi eleganter Gillibertus Abbas ser. 20. in Cant. *Illi habentur digni hâc latâ visione,* (agit ipse de lætissimo aspectu JESULI, loquor ego de ejusdem alloquio, ut loquatur nobis, & nos illi, & dico, digni sunt hoc alloquio,) *qui te quâdam pœnitentiæ lege concluserint, & disciplinæ coarctaverint custodiâ; quorum renuit anima consolari. Vis nôsse, quàm bona sit conclusio? hortus conclusus, fons signatus; surge, propera amica mea, & veni. Vides, quomodo illam invitat, & amicam vocat, quæ se ipsam concludere novit.* Ecce causam triduanæ recollectionis, his festis Natalitiis (fiat pulchra repetitio & applicatio.)

§ 11. *Testimonia S. Gregorii M. & S. Bernardi.* Finio exhortationem eleganti dicto S. Greg. M. qui de iis, qui ita se recolligunt, ait: *Ædificant solitudines, id est, de corde suo terrena desideria expellunt, & se ipsos à tumultu mundi, quantum possunt, elongant, ut soli sint, & idonei, loqui cum DEO.* Scilicet de negotio salutis. Videtur ita sensisse S. Bernardus, cùm dixit: ***Vtinam nullus homo mecum esset exterius, ut familiariùs loqui possim cum DEO interiùs: ipse enim & secretum quærit, & solitarium locum diligit. Fugiam ergo hominum solatia & colloquia, ut in secreto cordis mei DEUM habitatorem habere possim.*** Ecce causas, &c. ut supra. Digredere ad SS. Sacramentum Altaris, quod hoc triduo exponitur, &c.

PRO FESTO PENTECOSTES,

DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

EXHORTATIONES QUATUOR.

EXHORT. I.

EXHORTATIO I.

DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

Cùm venerit Spiritus ille Paraclitus, &c.
Joan. 16. v. 26.

SYNOPSIS.

PEr dona, *Sapientiæ, Intellectus & Consilii*, Spiritus S. in homine, cognitâ animæ dignitate, operatur ingens desiderium, ut salvet animam suam.

§. 1. Propositio.
§. 2. Vt animas nostras, ut par est, æstimemus, indigemus donis Spiritus S.
§. 3. Anima custodienda est instar pretiosæ gemmæ.
§. 4. Quàm parum multi æstiment salutem animæ.
§. 5. Cæcitatis hujus causa.
§. 6. Quomodo filius prodigus fuerit conversus.
§. 7. Propositio æternæ Veritatis est, Quid prodest homini, &c. ut assentiamur, indigemus donis Spiritus S.
§. 8. Quantum animæ humanæ sit pretium.
§. 9. Ob tantum pretium homo comparatur speculo, in quo relucet imago DEI.
§. 10. Prosecutio.
§. 11. Infertur necessitas, ut regamur à Spiritu S.

AGam hâc Exhortatione de tribus perfectissimis Spiritus S. donis, quæ sunt *Sapientia, Intellectus* & *Consilium*, quatenus operatio illorum in homine est, ut salutem animæ præ omnibus aliis æstimet, appretietur, & magni faciat. Summa Sapientia, Intellectus valde proficuus, Consilium maximè salutare est, incumbere negotio tanti momenti, saluti animæ suæ, à qua felix pendet æternitas. *Veni sancte Spiritus! in hac nos instrue sapientia; in hoc nostrum illumina intellectum, ad hoc nos move amplectendum consilium, ut salvemus animas nostras.* §. 1. Propositio.

§. 2
Ut animas nostras, ut par est, æstimemus, indigemus donis Spiritus S.

Ab hoc sancto Spiritu illuminatus Regius Psaltes David dixit ps.118.v.109. *Anima mea in manibus meis semper,* q. d. animam meam porto in manibus meis, ad eum modum, quo rem aliquam valde pretiosam, nobisque unicè charam, cum magna cura & sollicitudine in manibus portare solemus, ne è manibus lapsa frangatur. Ad hanc curam & sollicitudinem nos hortatur S. Leo ser. 7. de Nat. ubi ait: *Expergiscere ô homo, & dignitatem tuæ cognosce naturæ.* Quæ cognitio, quæ sapientia, qui intellectus cùm deesset Sponsæ, Sponsus ad illam ait, Cant.1.v.7. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos.* q. d. Anima, quæ sui pretium, valorem, nobilitatem & dignitatem non agnoscit, eò tandem delabitur, ut sensualitati, & brutalibus appetitibus suis in prædam cedat. Super quæ Sponsi verba ita ait Origenes hom. 2. in Cant. *Nisi cognoveris te ipsam, & noveris, pulchritudinis tuæ causas inde descendere, quòd ad imaginem DEI facta es: quod nisi feceris, jubeo te exire, & in ultimis gregum vestigiis collocari, & hædos pascere, illos scilicet, qui præ pravitate à sinistris statuti sunt.* Repeto illas voculas, *Nisi cognoveris*; & addo, ut cognoscamus, necesse est, ut Spiritus S. sapientiæ suæ radiis intellectum nostrum illuminet, persuadeatq; nobis hoc consilium, ut salutem unicæ animæ magni æstimemus, omnibusque aliis negotiis multùm præferamus.

§. 3.
Anima custodienda est instar pretiosæ gemmæ.

Cùm Christus D. Salvator noster Lucæ 15. docere nos voluit modum, quo quis animam suam quærere debet, pulchrè ait v. 8. *Aut quæ mulier habens drachmas decem, &c.* ubi Hugo Card. *Per drachmam significatur qualibet anima, DEI imagine insignita.* Et Interlinearis, *Drachma est nummus certæ quantitatis, habens imaginem Regis.* Vener. Beda addit modum, quo hæc drachma perditur. *Mulier drachmam perdidit, quando homo, qui ad imaginem DEI conditus fuerat, peccando à similitudine sui Conditoris recessit.* Sed quomodò tam nobilis gemma, inter sordes perdita, rursum reperta fuit? Sapiens mulier *accendit lucernam*, scio aliquos Interpretes hîc uti versu 105. ex ps. 118. Davidis, *Lucerna pedibus meis Verbum Domini.* Ego in præsenti materia dico, lucerna hæc est Spiritus Sanctus: quia qui animæ nobilitatem, & quantam DEUS illius habeat

æstima-

æstimationem; pulchritudinem item, & finem, ad quem à DEO creata est, intelligere cupit, necessum illi est, ut Spiritus S. illi tribuat sapientiam, ut intellectum irradiet, ut voluntatem moveat, & inflammet.

Hic variorum SS. Patrum querelæ habent locum, v. g. illa S. Bernardi, ser. 51. in parvis: *Anima affectionibus obligata, & illita terrenis, suam ipsius faciem considerare non potest; infixa est in limo profundi, & se ipsam non videt, sed putat formam suam esse luteam illam, quam portat imaginem.* Et illa S. Chrysostomi hom. 8. in ep. 1. ad Corinth. *Homines animæ perditionem non plangunt, nec cogitant. Lugent homines pro famulis mortuis, pro detrimento pecuniæ, &c. animum autem quotidie perdentes, de ea ne cogitamus quidem.* Eleganter S. Thomas de Pent. *O anima, si videres te ipsam! ô si cognosceres tuam excellentiam & pulchritudinem! non ita te dejiceres ad amorem vilium terrenorum, quàm pudendum est, generosam creaturam luto voluptatum fœdari, & sponsam cœlestis Regis vilissimo æthiopi copulari.* Unde tanta cœcitas? unde tanta mentis rationalis fascinatio? §. 4. *Quàm pa- rum multi æstiment ta- lutem ani- mæ.*

Liber 1. Machab. c. 1. v. 23. videtur causam insinuare, ubi de Antiocho spoliante templum Hierosolymitanum, ait: *Accepit altare aureum, & candelabrum luminis*; idem in templo mysterio mentis & animæ rationalis carens, facit Antiochus infernalis: *Accipit altare aureum*, id est, fervorem spiritus, *unde ascendit fumus aromatum orationis & virtutum. Deinde extinguit candelabrum luminis*, id est, gratiam considerationis, & illius sapientiæ, quæ est aurea lampas, sive Spiritus sanctus. §. 5. *Cæcitatis illius causa.*

Ob similem cæcitatem filius prodigus ad tam miserabilem devenit statum, Luc. 15. v. 6. ut nudus & famelicus in villa, *cuperet implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Tandem tamen, in se reversus, dixit: quanti mercenarii in domo Patris mei, &c.* nimirum natalium suorum nobilitatem, ex una parte: ex altera verò, ministerii illius, cui se, necessitate cogente addixerat, vilitatem, generi & origini suæ indecoram, probè considerans, generosè se resolvens, ait: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Textus Arabicus pro illis verbis, *in se reversus*, ait, *Cogitabat* §. 6. *Quomodo filius prodi- gus fuerit conversus.*

tabat autem in semetipso; id est, ex mente S. Aug. *Ab iis, quæ forinsecus alliciunt, & seducunt, in conscientiæ suæ interiora intentionem reduxit.* Certum namque est, quòd quantò quis circa nobilitatem & excellentiam animæ suæ majus lumen, clarioremq; notitiam, dirigente ita Spiritu S. per donum sapientiæ, intellectus, & consilii, acquisierit, tantò magis se à natalibus suis degenerasse erubescit, tantòque puriorem, magisque immaculatam, animam suam conservabit. S. Bernardinus Senen. t.1. ser. 51. a. 2. *Quò anima meliùs cognoscit suam originem, eò ampliùs erubescit vitam habere degenerem. Veni ô S. Spiritus,* (habes locum pro pulchra apostrophe ad Spiritum S.)

§. 7. *Propositio aeterna veritatis est: quid prodest homini, &c. ut assentiamur, est opus lumine Spiritus S.*

Hanc summam sapientiam nobis inculcavit Christus D. ipsa sapientia Patris, Matth. 16. v. 26. ubi ait: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua.* Super quæ verba B. Laur. Just. ait in festo S. Th. *Si pro una tantùm anima, quod est in mundo, appendas, aurum, argentum, & cætera metalla, sardium, topazium, carbunculum, margaritas omnes, prædia, palatia, supellectilem, ipsum mundum; nihil in ejus comparatione dedisti*; Sed quâ ratione idipsum credibile nobis fiet, cùm experientia doceat, quòd tam multi longè magis æstiment divitias, quàm animas suas. Respondet B. Laur. Justin. *Si id ex te addiscere nequis,* (addere mihi liceat; implora gratiam Spiritus S. ut tibi largiatur donum sapientiæ, &c.) & disce ab eo, qui creavit cœlum, terram, maria, & cuncta, quæ „ in iis sunt, qui noscit singula, quanti sint, quoniam singulis im- „ partitus est, quidquid habent decoris, quidquid virtutis, quid- „ quid æstimationis & pretii; iste docebit, quanti sit anima homi- „ nis; illum ipse magni pendit, qui opus suum agnoscit; pro erudi- „ tione ejus, universi fecit hanc machinam, ipsiusque eam subjecit „ imperio, ut non inhæreat illi, - sed ut eruditus per illam, ascende- „ ret ad notitiam ejus, qui fecit omnia.

§ 8. *Quantum anima humanæ sit pretium.*

Magni ponderis est ratio S. Bernardi c. 4. in medit. Totus „ iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest, non „ enim pro toto mundo DEUS animam suam dare voluit, quam „ pro anima humana dedit. Sublimius ergo est animæ pretium, „ quæ

quæ non nisi Christi sanguine redimi potuit. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam?„ Elevat discursum S. Bernardinus t.2. ser.31. a.2. Si est tanta cœli empyrei magnitudo & pulchritudo, quantum excedet anima, pro qua factum est habitaculum illud?„ Hugo Card. *Quanti enim pretii est anima, cujus redemptio est ipse DEI Filius.* B. Laur. Justin. sæpiùs citatus: Nihil animâ rationali pretiosiùs, nihilq; possidendum est charius, quia DEI est ornata imagine, Christi redempta sanguine, atque sanctorum Angelorum fœlicitate ditanda: hanc quisquis semel amiserit, ulteriùs recuperare non valet, etiam ex ipsa omnium Sanctorum intercessione.„ Et S. Ephrem: Non est nobis certamen de pecuniis, quarum jacturam licèt quis fecerit; alias rursus sibi comparare poterit. De anima nobis periculum, quam si perdiderimus, non ampliùs recuperare poterimus; juxta quod a Christo D. dictum est: Quid prodest homini, &c. B. Laur. Just. *At anima, si semel amittatur, & adversum se sententiam damnationis accipiat, ulteriùs recuperari non valet, nec prece, nec pretio, neque alicujus suffragio, etiamsi omnis electorum pro eo intercederet societas.* Nihilominus rursum habent locum querelæ SS. Patrum (prout superiùs, &c. nisi supra nos descendat gratia Spiritus S. &c.)

Ob sublimem & excellentem animæ humanæ dignitatem, S. Leo hominem vocat *pulcherrimum speculum*, cùm ait: *Si creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem DEI conditum, ut invitator sui esset auctoris; & hanc esse naturalem generis sui dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo divinæ benignitatis forma resplendeat.* Ad hoc autem, ut speculum imaginem ejus, qui in eo se contemplatur, exprimat, necessum est, ut tersum sit, mundum & luminosum. *Id fiet*, inprimis, *si immortalem animam habentes, sordes concupiscentiæ, quas induerunt, abjiciant, & eò usque se elevent, donec omne, quod alienum animæ adhæserit, exuant, eamque ita (ut nata est) præstent, ut in ea Patris Verbum, rationem (ad cujus similitudinem ab initio conditi sunt,) speculari possint.*

§. 9. *Ob tantum pretium animæ hominis comparatur speculo, in quo relucet imago DEI.*

§. 10. *Proſecutio.* Et progreditur dicens: Cùm omnem peccati affuſi macu-,, lam extorſerit, & nihil niſi exemplar, quod ad imaginem DEI,, conditum eſt, purum ſervaverit, meritò jam tum in eo, utpote in,, ſplendorem redacto, quaſi in ſpeculo contemplatur imaginem,, DEI.,, Clarè S. Ambroſius: In imagine DEI ambulamus,,, quando cogitationes bonæ, quæ à DEO nobis inſitæ ſunt, in no-,, bis permanent, & ad opera bona nos perducunt; imago namque,, DEI excludit à corde noſtro cuncta flagitia, quæ Diabolus niti-,, tur in corde noſtro ſeminare, atque depingere. Innuitur hoc,, verbo, Chriſtum D. habere ſuos colores, quibus in nobis depin-,, git imaginem cœleſtem; alios verò habere diabolum, quibus i-,, magines vitiorum depinguntur.

§. 11. *Infertur neceſſitas, ut regamur à Spiritu S.* Ego ex hoc pulcherrimo diſcurſu, ſive elogio hominis deduco, quàm neceſſaria nobis ſint dona Spiritus S. ad hoc, ut pulchritudo hujus imaginis & ſpeculi in nobis conſervetur, (quod per pulchras repetitiones & inductiones poterit oſtendi, cum affectuoſa obſecratione, ut Spiritus S. nobis largiatur dona Sapientiæ, Intellectus & Conſilii,) quibus inſtructi, illuminati, & confortati, ad nihil anhelemus, niſi ad ſalvandum animas. Summa ſapientia eſt, aſſentiri huic æternæ Veritatis & increatæ Sapientiæ propoſitioni, *Quid prodeſt homini, &c. Veni S. Spiritus*, &c.

EXHORTATIO II.

DE DONO SPIRITUS S. QUOD PIETAS dicitur; quatenus illa in anima generat fervorem Orationis.

Cùm venerit Spiritus ille Paraclitus, &c.
Joan. 16. v. 26.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Titulus illam proponit. §. 1.

PIetas, quatenus est donum Spiritus S. latè se extendit. Agam hac exhortatione de illa, quæ consistit in studio orandi; ad quod Spiritus S. nos excitat, & exstimulat. Subjungo tractatum hunc de hac pietate, sive de oratione, quia hæc mentem illuminat, & ad intelligentiam divinorum mysteriorum disponit, utilisque est ad obtinendum à Spiritu S. donum sapientiæ, intellectus & consilii, de quibus nuper egi. §. 1. *Propositio.*

Sapientiæ cap. 7. v. 7. ait Sapiens: *Invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ*: quibus verbis modum insinuat, quo ipse ad acquirendam sapientiam, ad illustrandam mentem, nec non ad illuminandum intellectum, usus est, capaxq; factus est intelligentiæ divinorum mysteriorum. Dicit enim: *Invocavi*, scilicet *DEUM*, per ferventem orationem; moxque subjungit, *& venit in me spiritus sapientiæ.* Nam ut B. Laur. Justin. ait de orat. c. 2. *Orationis virtus hominem illuminat. Nam & oratione meliùs solvuntur dubia, quàm inquisitione aliâ, citiùsque panduntur secreta precibus, quàm studio.* Quod probat exemplo Danielis, utpote qui sine ullo studio sublimem sibi rerum incomprehensibilium acquisivit scientiam. *Oranti Danieli aperiuntur mysteria, fiunt revelationes, & quod sæculi sapientibus erat clausum, illi per orationem efficitur manifestum.* §. 2. *Spiritus sapientiæ est donum Spiritus S. impetrandum per preces.*

S. Bonaventura, qui per antonomasiam Doctor Seraphicus appel- §. 3. *Testimonium S. Bonav.*

appellatur, Doctori Angelico D. Thomæ aliquando ostendit librum, in quo præ aliis cunctis studendo ingenium exercebat, id est, Crucifixum, quem continuò meditabatur, dixitque fructum ejus esse, *Illustrationem supremæ sapientiæ,* & affert præter cit. testimonium Sapientis, ver.5.cap.1. Jacobi: *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à DEO,* (idem dici potest de omnibus donis Spiritus S.) *qui dat omnibus affluenter, & dabitur ei; postulet autem in fide, nihil dubitans.* In qua quæso Universitate studuerunt Theresiæ, Catharinæ Senensis, Rosæ, Magdalenæ de Pazis, &c. quæ quæstiones difficillimas de altissimis mysteriis, adeò sapienter exposuerunt, ut doctissimi SS. Theologiæ Professores rapti fuerint in admirationem? Christus Crucifixus, *Oratio, Meditatio, Contemplatio,* fuerunt illis libri, ex quibus hauserunt illustrationem supremæ sapientiæ: prout etiam Doctor Angelicus D. Thomas Reginaldo dixit: *Plus oratione, quàm studio didici.* S. Chrysostomo teste, *Lux mentis & animæ est cum studio fusa oratio; lux inextincta, & perennis.* Hæc lux in oratione clarificat intellectum, ut in mysteriorum reconditissimorum intelligentiam, aciem suam defigere possit. Pulchrè Bellovacensis in Spec. p.10. l.3. dist. 34. *Anima colloquendo cum DEO divinitùs illustratur, & docetur in schola sub magisterio summi Doctoris: Item anima in oratione illustrata, & elevata divinis splendoribus, in amorem DEI ampliùs inflammatur.* O eximios fructus pietatis, sive orationis, ad quam nos excitat Spiritus S.!

§. 4. *Oratio, sive Pietas, instar clavis aperit thesauros sapientiæ.*

Unde fit, quòd anima, amore divino accensa, capacior efficiatur & aptior, ad cœlestium mysteriorum cognitionem & amorem, juxta illud Ecclesiastici: *Diligite illum,* (cap.2. v.10.) *& illuminabuntur corda vestra.* Quæ verba ita exponit Lyranus: *Diligite, ferventiùs amando, & illuminabuntur corda vestra clariùs cognoscendo; nam amor facit penetrare intima amati.* Hic autem amor DEI per orationem ferventem in cordibus nostris accenditur, juxta illud psalmi 38. v. 14. *In meditatione mea exardescet ignis.* Et hic amoris ignis in anima accensus, clavis est, quâ ærarium thesaurorum scientiæ & sapientiæ divinæ experitur; S. Bonav. *Res ista, hoc est, illa cognitio, illa illustratio mentis non scholam quærit, sed cor; non*

Magiſtrum, ſed Sponſum; addo ego, non alium inſtructorem, quàm Spiritum S.

§ 5. *Unde David & alii hauſerint tantam ſapientiam.*

Ubinam quæſo, in qua ſchola, in qua Univerſitate, ſub quo magiſtro ſtuduit ſapientiſſimus Rex David? undenam hauſit ſapientiam, de qua gloriatur, *ſuper ſenex intellexi?* undenam illa ſapientia, propter quam l. 2. Reg. c. 23. v. 8. dicitur, *ſedens in cathedra ſapientiſſimus*. Conſtat, quòd à primis annis paſtor ovium fuerit; à gregibus venit ad caſtra Saulis, poſt victoriam contra Goliath in ejuſdem aula miles fuit; deinde propter varias perſecutiones, per varias regiones fuit peregrinatus; ad regium thronum tandem evectus, fortiſſima geſſit prælia; quando tandem literis dedit operam? quando frequentavit ſcholam? Ceſſabit dubium, ſi audiatis dicentem: *Totâ die meditatio mea eſt. In matutinis meditabar in te. Septies in die laudem dixi tibi. Ego verò orationem meam ad te Domine.* Quid igitur mirum, quòd deinde dicere potuerit: *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.*

§. 6. *Unde Seraph. S. Franciſc? S. Phil. Nerius, & alii.*

Ubi per DEUM immortalem ſtuduit Seraphicus ſanctus Franciſcus? Ita de illo refert Bellovacenſis: *Septies de die orans, manibus ac brachiis in modum crucis protenſis, toto corpore elevabatur à terra, & fulgente quâdam nubeculâ circumdatus, ut illuſtrationis & elevationis mirabilis in mente radios exciperet.* Ubi ſtuduit S. Philippus Nerius? Vita ait: *Frequenter viſus eſt ſtare, oculis tam mentis, quàm corporis in Crucifixum defixis, & ita ex illo libro cum Seraphico S. Bonaventura, cum S. Thoma, &c. legendo, ſtudendo, meditando, ſapientiſſimus evaſit. Quotieſcunque verò imaginem Crucifixi ita fuit contemplatus, à fletu, lachrymis & ſuſpiriis vir ſanctus ſe continere non potuit.*

§ 7. *Teſtimonium S. Bernardi.*

Id, quod ſe expertum fuiſſe, faſſus fuit S. Bernardus, dicens de int. domo, cap. ult. *DEUM cognoſcere, plenitudo eſt ſcientiæ; ad hujus ſcientiæ plenitudinem opus eſt potiùs intimâ compunctione, quàm profundâ inveſtigatione: ſuſpiriis, quàm argumentis; crebris lamentationibus, quàm copioſis argumentationibus; lachrymis, quàm ſententiis; oratione, quàm lectione; gratiâ lachrymarum, quàm ſcientiâ litterarum.* Pulchriùs non poteſt deſcribi ſchola orationis, in qua hauritur ſapientia, cujus Doctor eſt *Spiritus ſanctus*. Quem hîc ad ſapientiam diſpo-

disponit; illi necessariò tribuit spiritum & ardorem orandi. Hæc pietas, sive oratio, ut dictum est, est *Clavis sapientiæ. Ille vos docebit omnia*, ait Christus D. sed, ut S. Paulus ait, *simul postulat, &c.* hoc est, facit, ut nos per ardentes preces, gemitus & lachrymas postulemus donum sapientiæ.

§. 8. *Salutare monitum Thomæ à Kempis.*

De S. Paulo ait S. Augustinus: *Oratione meliùs solvuntur dubia, quàm inquisitione. Paulus priùs excæcatus à DEO, postmodùm illuminatus fuit orando, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Audiendus est Thomas à Kempis opusc. 9. §. 20. Quando „ desideras aliquod obscurum intelligere, & de dubiis certificari, „ primùm à Domino pete sensum & intellectum illius revelari ad „ profectum tuum, & pro gloria ejus. Contigit aliquando, cui- „ dam in tali forma oranti, cùm se iterum contulisset ad lectio- „ nem, statim aperiri ignorantiam ejus, qui consolatus in verbis „ Domini, didicit habere recursum frequentiorem ad DEUM, „ omnia scientem.

§. 9. *Pietas conservat fervorem spiritus in vitâ religiosa.*

Alia hujus pietatis, quæ in oratione consistit, operatio & effectus est, quòd in vigore conservet fervorem spiritus in vita religiosa, vel quocunque statu. Ideo Seraphicus S. Franc. suis asseclis hanc inculcavit maximam: *Orationis gratia viro religioso firmiter est desideranda, sine qua nihil in DEI servitio prosperabitur, nec aliquid ab ipso consequetur.* Horribile est, quod Th. Cantipr. refert de quodam Religioso, de quo ait: *Vidi hominem humilem, fervidum charitate, egenis beneficum, sobrium, &c. potiùs Angelum, quàm hominem. Hunc postea vidimus gradatim recedentem à via justitiæ, ut nullum virtutis vestigium remaneret, sed omni labe pollutum, nullam prorsus luxuriam, nullum facinus abhorrentem!* unde quæso hoc præcipitium? hæc relaxatio? tanta ruina? Qui historiam refert, ait, *Quia alas virtutis, orationibus insistendo, non protexit. Negligendo orationem, abiit in præcipitium.*

§. 10. *Quod patet experientiâ.*

Pulchrè magnus quidam Asceta dicere fuit solitus: *Ite, pulsate ad portas alicujus monasterii, & interrogate, an inter illos Religiosos vigeat oratio, & an eadem continua & fervens existat; & si id verum esse inveneritis, sanctos illos esse, & tales permansuros esse, dicite.* Si orationis, si pietatis nulla habeatur ratio, si exulet ex illa domo

spiri-

ſpiritus devotionis, miſera quoque erit talium Religioſorum conditio.

Neceſſitatem orationis pulchra ſimilia nobis proponunt. Fit ſubinde, ut elegans hortus, amœnus herbis, floribus, arbuſculis, ſubitò vertatur in agrum refertum loliis & ſentibus, ſpinis horridum: quod fit facillimè, ſi horto ſubtrahatur aqua, & neceſſarius humor. Ob quam cauſam fortaſſis Sponſus, dum Cant. 4. v. 12. vocavit *hortum*, & quidem *concluſum*, ſimul eandem appellavit *fontem ſignatum*. Simul conjungendo hortum & fontem, cujus aquis ille irrigatur. Ideoque ad rem noſtram, in hoc conſiſtit hoc ſimile: quemadmodum flores in horto deſtituti aquâ exſiccantur, ita religioſus quivis ſtatus, quantumvis ſit ſanctus, ſine fonte orationis deficit, ad interitum vadit, & in ſpinas ſylveſcit. D. Chryſoſt. t. 1. hom. 67. *Non minus quàm arbores aquis, nos indigemus precibus; nam neque illæ poſſunt eſſe fructuoſa, niſi humorem radicibus ebibant; neque nos pretioſiſſimas pietatis fruges fundere, niſi precibus irrigemur.* §. 11. Probatur pietatis neceſſitas per ſimilia.

Pergit S. Chryſoſt. in eadem homilia: *Sive quiſque virginalem pudicitiam amaverit, ſive nuptiarum temperantiam colat, ſive iracundiam continere, vitamq́ue manſuetè traducere; ſive invidentiâ vacare nitatur, precatione duce, & hujuſmodi vita viam præmuniente, expeditum habebit, & facilem pietatis curſum.* §. 12. Teſtim. S. Chryſoſt.

Aliud ſimile addit S. Bonaventura: Eſt autem oratio ſicut „ lucerna viam demonſtrans, in cujus figura, mulier illa Evangeli- „ ca, id eſt, anima devota, accendit lucernam, & invenit drach- „ mam, ut dicitur apud Lucam. Lucerna eſt orationis inſtantia, „ gratia verò, eſt drachma divina, quæ cùm perdita fuerit, inveni- „ tur cum oratione devota; & ſicut lucerna dirigit greſſus, ſic ora- „ tio dirigit omne opus bonum. §. 13. Aliud ſimile.

Similitudo ſigilli placuit S. Nilo in paræn. 11. *Omne, quod agis, oratione obſignato; ſi enim cor noſtrum hoc orationis ſigillo obſignatum fuerit, nullum erit periculum, ut dona gratiæ, merita & virtutes, quas in ſe recludit, eripiantur.* Et ideo pariter monet S. Nilus, *ſigillo muniamur orationis.* Quod Sponſus petiit à Sponſa: *Pone me ut ſignaculum ſupra cor tuum.* (Vide Interpretes ſupra hunc verſum.) §. 14. Aliud.

Deni-

§. 15. Pietatis, sive orationis conglobati fructus. Denique effectus hujus doni Spiritus S. sive pietatis & orationis, per pulcherrimas conglobationes, ita describit B. Laur. Justin. de perfect. grad. c. 12. Placat DEUM, lætificat Angelos, redolet Sanctos, penetrat cœlos, postulata reportat, terret dæmones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem. „ Unde S. Chrysost. dixit hom. 47. Quando aliquem cerno, qui non precari assiduè, in magnis numeret detrimentis, omnium illum virtutum acerrimum cultorem, DEIque templum esse conjicio. „ Idem ego audacter assero, de inhabitante in nobis Spiritu sancto.) Fiat brevis, sed nervosus epilogus, cum brevi exhortationis repetitione.)

EXHORTATIO III.

DE DONO SPIRITUS S. QUOD DICITUR TIMOR DOMINI.

Requiescet super eum Spiritus Domini, Isaiæ 11. v. 2.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit varios effectus & fructus hujus doni, cum conglobatione eximiorum ejusdem encomiorum ex sanctis Patribus. Ita ut omnia variè attribuantur Spiritui sancto.

§. 1. Quomodo donum timoris inter alia ponatur ultimo loco.

§. 2. Quàm impiè vivat peccator ob defectum timoris Domini.

§. 3. Timor est frenum, quo homo retrahitur à malo.

§. 4. Quod similitudine exponitur.

§. 5. Quomodo timor DEI nos crucifigat.

§. 6. Varia encomia hujus timoris.

§. 7. Timor Domini promovet negotium salutis.

§. 8. Prosecutio.

§. 9. Elegans simile.

§. 10. Vir timens DEUM, non facilè movetur.

§. 11. Quantum nobis DEUS inculcet sui timorem.

§. 12. Timor Domini est fons vitæ.

§. 13.

§. 13. *Vbi non est timor, ibi est mors.*

§. 14. *Timor Domini est Ostiarius cordis.*

Septem dona Spiritus S. de quibus aliàs egi, cap. 11. enumerat Propheta Isaias, & ultimo loco ponit timorem. Cit. cap. v. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Verùm, cùm varii SS. Patres dicere soleant, timorem DEI esse spiritualis in anima ædificii fundamentum, & clarissima sint verba sacri textus: *Initium sapientiæ timor Domini*, quare inter hæc dona ultimus illi attribuitur locus? respondet Petrus Cel. l. de pan. c. 14. Quasi custos super „ innumerabiles gazas, sic timor in ultimo charismatum ponitur, „ ad conservandas innumerabiles gratias, quibus ditatur anima. „ Quia enim nunquam tuta est humana fragilitas; quantò magis „ in virtutibus crescimus, tantò magis timere debemus, ne de sub- „ limibus corruamus. „ S. Hier. in reg. monach. D. August. in solil. c. 29. ait: Vidimus multos ex patribus nostris (quod utique „ sine magno tremore non recolo, sine multò timore non confi- „ teor,) ascendisse primitùs quodammodo usque ad cœlos, & in- „ ter sidera nidum suum collocasse; postmodum autem cecidisse „ usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. §. 1. *Quomodo donum timoris inter alia ponatur ultimo loco.*

Scelestissimorum hominum vitam ita describit Regius Psaltes ps. 13. v. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est DEUS.* Audisné vocem alicujus Athæi, non absimilis Pharaoni, qui paria verba proferre fuit ausus, *Nescio Dominum.* Sed, ideo *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum; omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Ps. 35. v. 1. *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, quoniam dolosè egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad dolum. Verba oris ejus iniquitas & dolus: noluit intelligere, ut bene ageret: iniquitatem meditatus est in cubili suo*; hoc est, excogitato consilio, sciens, volens, talia dicit impius, non ex ignorantia, vel fragili- §. 2 *Quàm impiè vivat peccator, ob defectum timoris Domini.*

tate. Tantæ verò malitiæ causam hanc assignat ipse David, eod. vers. *Non est timor DEI ante oculos eorum. Et ubi timor non est,* (S. Isidorus) *ibi perditio est morum. Ubi timor non est, ibi est dissolutio vitæ: ubi timor non est, ibi scelerum abundantia est.*

§. 3. *Timor est frænum, quo homo retrahitur à malo.* Econtra bene dixit S. Th. de Villa N. Non sufficit ad vitam credere, sed oportet servare mandata; hoc fit per timorem DEI; nam per timorem DEI declinat omnis à malo. Hic reprimit prava desideria, & malos appetitus, & coërcet manum de pravis operibus, & retrahit hominem ab iniquitate. „ Hanc mandatorum DEI observantiam, videtur respexisse David ps. 18. v. 8. ubi effectus hujus sancti timoris, quem Spiritus S. in nobis generat, ita describit: *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Sed ex qua radice pullulant tam salutares fructus? *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi. Venite filii,* (ait idem David,) *audite me, timorem Domini docebo vos. Et declinabitis à malo, & facietis bonum.* Ps. 111. v. 1. *Beatus vir, qui timet Dominum.*

§. 4. *Quod similitudine exponitur.* Elegans est simile sancti Joannis Chrysostomi in ps. 127. Nullum est malum, quod non extinguat DEI metus: quemadmodum ignis, quodcunque ferrum cœperit contortum, vel rubigine confectum, clarum reddit ac pulchrum, ferruginem abstergens, & quod in eo erat perversum, & inflictum, perfectissimè corrigit, ita DEI timor, vel exiguo tempore facit hæc omnia. „ Applica hæc p. igni Spiritus S. per donum timoris.) Et S. Bern. de div. aff. an. *Timor Domini expellit peccatum, sive, quod jam admissum est, sive quod tentat intrare, expellit illud pœnitendo, hoc resistendo.* D. Greg. M. hom. 34. in Evang. *Prava mens, si non priùs evertitur per timorem, ab assuetis vitiis non mundatur. Veni S. Spiritus,* &c. (est locus pro pathetico affectu, quomodo prava mens à Spiritu S. debeat everti, antequam convertatur.) Celeberrima fuit conversio boni latronis in cruce; causam ipse expressit, cùm socio dixit: *Neque tu times DEUM, qui in eadem damnatione es.* S. Gregorius: Hinc est, quòd uterque latro, & eandem, & suæ morti similem mortem Redemptoris vidit; sed eum alter superbiendo,

contu-

contumeliis lacessere non timuit, quam timendo alter honora-,, vit.,, Contremiscite, & nolite peccare.

Pulchrè S. Basilius: *Sicut cruci affixus movere nec manus potest, nec pedes, sic qui timore Domini configitur, extra illius nutum nequaquam movetur.* Super quæ verba P. Corn. à Lapide hanc nobis reliquit consequentiam: *Ergo, timor DEI est crux vitiorum.* Ut bene glorietur David: *A judiciis enim tuis timui, feci judicium & justitiam.* D. Aug. ser. 213. de temp. *Qui perfectè DEUM timet, diligenter se à peccatis custodit.* Item: *Timor cautum facit hominem, & solicitum, ne peccet,* &c. *Veni ô sancte Spiritus*, &c. ut supra. §. 5. *Quomodo timor DEI nos crucifigat.*

Hoc donum spiritus, sive timorem DEI, sancti Patres nobilissimis condecorarunt encomiis. B. Laur. Justin. postea quam dixit, *Beatus vir, qui Dominum timet*, subjungit: Quicunque desi-,, derat sapientiâ & scientiâ repleri, & qui salutari spiritu munitus, anhelat ad culmen pertingere virtutum, non aliunde incipiat,,, quàm à timore Domini.,, Iterum: Odit vitia, cor sedulâ vigi-,, lantiâ observat, ab ingressu ejus noxias cogitationes repellens,,, clavâ terribili, videlicet memoriâ æternæ pœnæ.,, Et S. August. de matre sua S. Monica ait: Erat timor castus in corde ejus, tan-,, quam fascia pectoralis, quæ cogitationes restringeret; in ore tan-,, quam frænum, quo linguam reprimeret; in opere tanquam sti-,, mulus, ne pigritiâ torperet; in cunctis tanquam regula, ne mo-,, dum excederet.- Qui timet DEUM, faciet bona. Hic timor red-,, dit hominem pronum ad bene agendum. S. Bern. Qui timorem,, Domini semper habet præ oculis, viæ ejus pulchræ, & omnes se-,, mitæ ejus pacificæ. §. 6. *Varia encomia hujus timoris.*

Summa cura nostra esse debet, ut æternam quæramus salutem, vel prout Christus D. loquitur, ante omnia quæramus *regnum* DEI. Hoc negotium promovet timor Domini. B. Laur. Justin. Hic timor est robur animæ, lumen intelligentiæ, & salutis spes.,, Hoc testatur Isaias, dicens: A timore tuo Domine concepi-,, mus, & peperimus spiritum salutis. Alibi etiam dicit Domi-,, nus: Corona sapientiæ timor Domini, replens pace, & salutis,, bono. §. 7. *Timor Domini promovet negotium salutis.*

§ 8. *Prosecutio.* Iterum eleganter B. Laur. Justin. Hujusmodi timoris eru-„ ditione correcti, ô quàm salutaria concipimus consilia, & desi-„ deria, sanctos cogitatus, affectus pios, vota castissima, ex quibus „ proveniunt laudabilia opera virtutum, germina morum, fra-„ grantissimos flores spiritus, & uberes fructus, de quibus Aposto-„ lus, fructus autem spiritus est charitas, gaudium, &c. Vides,„ quàm fœcundus sit hujus sancti timoris Domini conceptus,„ quàmque fructuosus exitus, per quem anima placens efficitur,„ Domino, commendabilis proximo, utilis sibi.„ Cuivis constat, quàm simus proclives ad malum; *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Sed ecce auxilium, quod nobis subministrat timor Domini*; inquit Hugo Card. *Effectus timoris Domini est, quia cohibet manum à malo opere.* Proverb. 16. cap. *In timore Domini declinatur à malo. Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt illi.*

§ 9. *Elegans simile.* Alium fructum timoris Domini, ita nobis exponit S. Bonav. in diæta sal. c. 1. Timor Domini abjicit temporalia, vel terrena,„ quæ sunt sæpe peccandi materia; sicut enim videmus, quòd nau-„ tæ videntes naufragium imminere, merces quæ sunt in navi,„ projiciunt in mare, ut evadant periculum naufragii: sic timor,„ Domini bona temporalia facit abjicere, ut possit ab æterno,„ naufragio liberari, & propterea dicebat Job: Semper quasi tu-„ mentes super me fluctus, timui DEUM, & pondus ejus ferre non,„ potui.

§. 10. *Vir timens DEUM, non facilè movetur.* Iterum pulchrè B. Laur. Justin. *Tutissima res est, nil timere præter DEUM.* Et D. Chrysost. hom. 53. in Joannem: *Quemadmodum quercus altiùs demissis radicibus nullius venti viribus sternitur, ita animam divino timore confixam, nullus tentationum ventus evellit; clavis enim affixam esse, ampliùs est, quàm radicatam esse*; idcirco inquit Propheta: *Confige timore tuo carnes meas*; ita & tu, configere quasi clavo quodam, & adhæreas. Et S. Hier. *Protegit enim Dominus iter eorum, viam timoratorum custodit. Si invocaveris sapientiam, & intelligentiæ dederis vocem tuam, & si quæsieris eum quasi pecuniam*, (adverte modum, quo Spiritum S. debemus quærere,) *& quasi thesauros investigaveris eam, tunc intelliges timorem Domini,*

&

& scientiam DEI reperies. Iste est timor, qui animas Sanctorum, integras & pudicas, purasque conservat, de quo dicitur: Timor Domini sanctus, permanet in saeculum saeculi, ad quem nos divina eloquia cohortantur: Timete Dominum, & date gloriam.

Iste est timor, de quo clementissimus DEus noster, omnibus indifferenter per Psalmistam significat, ut suae divinae Majestatis concipiamus timorem, ps. 32. v. 8. *Timeat Dominum omnis terra; ab ipso commoventur omnes inhabitantes orbem. Non timeamus alterum pro illo,* (monet S. Aug. ibi.) *ab ipso commoventur omnes, &c. Fera saevit, DEUM time: serpens insidiatur, Deum time: homo te odit, Deum time: Diabolus te impugnat, Deum time: tota enim creatura sub illo est, quem juberis timere. Nullus alius, nisi solus Deus timendus est, quidquid enim aliud est, vel in hoc, vel in altero mundo, totum Deo subjectum est, & ab eo dependet, nos sancto ejus correptos esse timore, ut propterea quoad nos ad eum alliceret, elegerit sibi hunc titulum, ut Deus nuncupetur.* Quod observavit S. Antonius de Padua, dum ait: DEus dicitur Hebraicè! Latinè Timor. Ille est ex DEO, qui „ Deum timet, & qui Deum timet, verba DEI audit. Unde Domi-„ nus Jerem. 18. Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies „ verba mea. Ille surgit, qui timore correptus, dolet fecisse, quod „ fecit, & in domum figuli descendit; cùm se lutum esse cognoscit, „ timens, ne tanquam vas figuli, confringat illum Dominus, & sic „ ibi audit verba Domini, quia est ex DEO, qui timet Deum „, ait S. Hieronymus. § 11. *Quantum DEUS nobis incusserit sui timorem.*

Quanti hunc timorem aestimare debeamus, indicat nobis Sapiens, cùm ait Prov. 24. v. 27. *Timor Domini fons vitae.* Ecce, appellatur *fons vitae. Haec enim est mens eorum, qui timent Dominum,* (pergit S. Hier.) *ut declinantes à ruina mortis, pervenire mereantur ad eum qui dicit, Ego sum via, veritas, & vita.* Dictum est autem suprà, Lex *Sapientiae, fons vitae,* ut declinet à ruina mortis; & nunc dicitur, *Timor Domini, fons vitae, ut declinet à ruina mortis.* Ex quo patet, quia nulla est prior lex Sapientis, quâ mortem vitare, & vitam acquirere debeat aeternam, quàm habere timorem Domini; unde & alibi dictum est: *Initium sapientiae timor Domini.* § 12. *Timor Domini est fons vitae.*

§ 13. *Ubi non est timor, ibi est mors.* E contra nos docet S. Chrysostomus, quâ ratione vera vita à nobis recedat, hom. 6. in ep. 2. ad Corinth. inquiens: *Age, an non mortuam animam esse dicemus, quam invadit diabolus, feriens, lancinans, mordens, calcibus impetens,* (prout crudelissimus est tyrannus) *nec tamen ea horum quidpiam sentit, sed mortua jacet. Ille quidem insultat, hac autem immobilis manet, nec instar corporis, anima orbati, ulla sensu afficitur.* Tandem addit causam spiritualis hujus mortis. *Nam cùm DEI timor non adest, talem eam esse, necesse est, ac quovis cadavere miseriorem. Neque enim in saniem, & pulverem, & cinerem, corporis in modum anima dilabitur, sed in ea, qua his fœtidiora sunt, in ebrietatem, in iram, in avaritiem, in flagitiosos amores, ac praposteras cupiditates.* Advertite ex hoc discursu RR. PP. & Auditores, quæ sint Regulæ, secundùm quas judicare debemus, an Spiritus S. inhabitet animas nostras, per donum Timoris Domini. (poterunt fieri pulchræ inductiones.) Concludo exhortationem cum Justino Martyre: *Cùm anima discessit à corpore, mortuum corpus, & malè olet, & immundum est: sic timore DEI ab animâ sejuncto, mortuus est animus, & tetrum odorem efflat, & immundus est.* Adhuc clariùs Clemens Alexandrinus: *Timor Domini vivificat.* Ergo sine timore non est vita.

§. 14. *Timor Domini est Ostiarius cordis.* Apposita est similitudo S. Bonav. Timor est, sicut bonus „ ostiarius, qui diligenter custodit ostium cordis, ne intret inimi- „ cus, id est, diabolus. Et sicut ostiarius portat baculum, vel gla- „ dium, ad timorem intrantium; sic timor DEI, ne permittamus „ diabolum ad cor intrare, portat clavem pœnæ æternæ, gladium „ ex utraque parte acutum, scilicet æquitatem divinæ Justitiæ, „ quæ condemnabit improbos, &c. „ Liceat mihi dicere, ipsum Spiritum S. esse *hunc Ostiarium*, &c.

EXHORT. IV.

EXHORTATIO IV.

DE CORDIS MUNDITIE ET PURITATE, quæ necessaria est dispositio, ut Spiritus S. super nos effundat dona sua.

Cor mundum crea in me DEUS, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me, Ps. 50. v. 12.

SYNOPSIS.

OStendit, cordis munditiem esse necessariam dispositionem, ad recipiendum dona Spiritus S. præsertim sapientiam.

ATtributum, proprietas, perfectio, verba essentia Spiritus S. est, quòd sit Spiritus *purissimus, hostis omnis impuritatis*, quæ animam hominis maculare potest. *Talis est, non tantùm in se, quoad substantiam, essentialiter, & ad intra*, ut loquuntur Theologi, *sed ad extra ejusdem operatio & effectus est, hominem quoad corpus & animam, reddere puram & immaculatam.* Ex quo principio alia sequitur maxima; *quòd hæc mundities, quæ in castitate* §. 1. Propositio.

stitate

stitate potissimùm consistit, sit necessaria dispositio, vel præparatio, ut Spiritus sanctus sua dona nobis infundat. Quod regium Psaltem movit, ut in sua conversione tam ardenter oraverit ps. 50. v. 12. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum sanctum ne auferas à me*; cùm hæc duo à se invicem separari non possint, quod hâc exhortatione fusiùs demonstrabo.

§. 2. *Puritas cordis ad se rapit Deum, Christũ D. & Spiritum S.*

De hac cordis puritate, & castitate, eleganter dixit S. Greg. Nyss. in l. de Virg. *Tanta ejus est vis, ut Deum ipsum suâ vi ad humanæ vitæ communionem ducat, & hominum cum Deo familiaritatis vinculum sit. Adeo, ut ipse Christus D. Rex cœli & terræ, concupiscat decorem animæ puræ & castæ*; S. Augustinus: *Pulchra est pudicitia, & Deo amabilis, unde ad omne bonum diligitur, imò tam excessiva est animæ talis pulchritudo, ut Deum in sponsalitium rapiat.* (Applica hæc pulchrè Spiritui S.)

§. 3. *Lampas animæ est Spiritus S.*

Hæc puritas, (inquit B. Laur. Just.) cordis est quædam lampas, jugiter lucens in mente, ut nihil in ea turpe vel indecorum residere permittat; conscientiæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, causa totius honesti.„ Talis lampas est Spiritus, &c.

§. 4. *Anima pura est speculum. quod illuminat Spiritus S.*

Encomium, quo S. Basilius de Virg. hanc puritatem extollit, ita habet: Cùm fidelis anima puritatem suam ab omni sordidæ cogitationis labe puram, immaculatamq; conservat & custodit, ad id provehitur, ut similitudinem incorruptibilis Dei, in se veluti in speculo mundissimo, ipso jam gratiis suis suavissimi radii in morem, illi influente speciem & laudem suam consequatur.„ Ubi Sixtus III. Et putas parvum esse bonum, Dei similitudinem habere, & tantæ Majestatis simile aliquid habere?„ S. Ambr. ser. 8. in ps. 118. *In eo ad imaginem Dei es, si sis castus, & immaculata in te figura præfulgeat.* S. Cypr. *Imago Dei est talis anima, quia per illam, & in ea, Deus meliùs, quàm in mundo ipso agnoscitur.* Pari omninò ratione de anima justi, & Spiritu sancto debemus discurrere, cùm illa puritatem cordis custodit, Spiritus S. pulcherrimis radiis suæ lucis, & gratiæ venustate ita exornat, ut dici possit *mundissimum speculum*, &c. (applica dicta Spiritui S.)

In

In anima pura ſuaviſſimè quieſcit Spiritus ſanctus. Aponius l. 4. in Cant. Sicut diabolus cruentâ iracundiâ & execrando „ cœno libidinis ſaginatur, ita Chriſtus DEI Filius, miſericordiæ, „ manſuetudinis, caſtitatis- & puritatis- liliis paſcitur. „ Veriſſimè hoc aſſeritur de Spiritu S. Anima pura eſt illi veluti floridus lectulus. Et ſicuti columba Noë, non ſupra putridum aliquod cadaver, inſtar corvi, ſed ſuper floridam oleam quievit, ita Spiritus S. fugit animas ſordidas, amat floridas. Cum cœleſti Sponſo *paſcitur inter lilia*. §. 5. *Spiritus S. eſt mundiſſima columba.*

Chriſtus D. inter alios pronuntiavit *beatos illos, qui ſunt mundo corde*; addit cauſam, *quoniam ipſi DEUM videbunt*. Sicut autem oculus corporalis, quantò mundior eſt & purior, tantò ad lucem conſpiciendam eſt aptior; ita oculus animæ, qui eſt intellectus, ut ſublimem illam lucem contempletur, debet purificari. Quid enim proderit, (inquit S. Th. de Villa N.) inſpiciendis cœleſtibus „ oculum intendere, ſi ſanguine rubet, aut ſi pulvere plenus eſt? O „ anima, purifica oculum, & videbis: abjice ſordes, & omnia per- „ ſpicies. Acies polluta, lucem puram videre non poteſt, & ſenti- „ na carnis obſcœnæ, atram nebulam ſemper exhalat. „ Colligite ex his, qualis debeat eſſe anima, quæ illuminari deſiderat à Spiritu S. &c. Mentionem ſpeculi iterum facit Theophylactus: Sicut ſpeculum, ſi fuerit mundum, accipit imagines, ita & ani- „ ma pura faciem DEI. „ Addo ego, radios & lucem Spiritus ſancti. §. 6. *Ad contemplationem requiritur oculus purus.*

Ob quam cauſam, purè & caſtè viventes, ſunt & vocantur *templum Spiritus ſancti*. Quo ſenſu S. Lucia puriſſima Virgo, glorioſa in cœlis, de cœlo B. Agathæ ad ſepulchrum ejus oranti, dixit: *Iucundum DEO, de tua virginitate habitaculum præparaſti*. Ubi notanda eſt dictio, *Iucundum*; quale enim gaudium Creator habere poteſt in creatura adeo vili, qualis eſt homo, de quo dicitur, *quòd ſit putredo & vermis*. Et tamen Altiſſimus per Sapientem Prov. 8. v. 31. audet dicere: *Delitiæ meæ ſunt, eſſe cum filiis hominum*. Ubi Ven. Beda: *Chriſtus ſummè deſiderat in animis noſtris quieſcere, iisque, quaſi templo & ſacrario ſuo habitare*; quod mundities cordis conſecrat, & jucundiſſimum illud efficit habitaculum. S. Ambr. l. 3. §. 7. *Cor purum eſt templũ, & ſacrarium Spiritus S.*

l.3.ep.25. *Quid loquar? quanta hujus puritatis sit gloria, ut esset etiam* (in Beatissima Virgine) *corporale DEI templum, in quo corporaliter habitavit plenitudo Divinitatis. Virgo genuit mundo salutem.* Pulchrè addit S. Bernardus ser.4.de Ass. *Quæ vel Angelica puritas dignitati illi audeat comparari, quæ fuit sacrarium Spiritus S. fieri & habitaculum filii DEI.*

§.8. *Prosecutio*

Ad rem meam ego modò ex dictis infero, quinam ex nobis digni sint, ut sint sacrarium Spiritus S. nimirum, qui per cordis puritatem ita se disponunt, ut purissimus ille spiritus jucundè in illis quiescere possit.

§.9. *Dicta amplius declarantur ex Tertulliano.*

Audiendus Tertullianus, dicens l. de cultu fœm. c. 1. *Nam cùm omnes simus templum DEI, illato in nos, & consecrato Spiritu S. ejus templi æditua, & antistes,* - puritas cordis est, *quæ nihil immundum & profanum inferri sinat, ne DEUS ille, qui inhabitat, inquinatam sedem, offensus derelinquat.* Hæc puritas eò tendere debet, ut de tali Sacrario, vel Ecclesia, *eradicet omne sacrilegium* cujuscunque sceleris, quo Deus offenditur, & Spiritus sanctus contristatur. Unde S. Cyprianus discipulos suos ita fuit adhortatus de bono pud. c. 1. Quamvis ad multa vos negotia, ad divinæ monitionis præ-„ cepta semper, ut scitis, exhortor; tamen ut præcipuè pudicitiæ-„ & - puritatis - claustra teneatis, admoneo, scientes, templum vos „ esse Domini, membra Christi, habitationem Spiritus S. electos „ ad spem, consecratos ad fidem, destinatos ad salutem, filios DEI, „ fratres Christi, consortes Spiritus sancti; nihil jam carni deben-„ tes, quasi renatos ex aqua, & puritate. „ Addit S. Ignatius M. *Mundi corde - sunt velut altare DEI, in quo quotidie offertur, Hostia vivens, sancta, beneplacens DEO,* qualis est cor mundum. S. Isidorus Pel. lib.3.ep.25. *Pulcherrima victima est, piam mentem, & carnem castam habere.* S. Ephrem: *Quemadmodum incensum oblectat odoratum, sic & in corde mundo lætatur Spiritus S. & in omni homine demoratur.* Monet nos hic locus, de quo incenso his feriis debeamus esse solliciti, ut Spiritus S. super nos veniat, & in nobis lætetur. Petrus Bles. ep. 35. *Serva cor tuum omni custodiâ, ut possideas vas tuum in sanctificatione; thesaurus namq; gratiæ Spiritus sancti - incomparabilis est.*

Hanc

Hanc curam nobis inculcat S. Paulus ad Thessal. c. 5. v. 19. *Spiritum nolite extinguere.* D. Chrysost. hom. 11. ib. *Hoc est, gratiam, ita mos est ei vocare, & gratiam spiritus; eam autem extinguit vita immunda.* Ob quam causam S. Luciæ dicenti, *Castè viventes sunt templum Spiritus S.* Tyrannus ausus fuit minari, *Iubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus S. deserat*: ignorans, animam ad scelus invitam, violari nullo modo posse; neque expelli ex tali corde Spiritum sanctum, quem scelus extinguit, & expellit, si voluntas & consensus accedat. §. 10. *Quomodo extinguatur Spiritus S.*

Quæ hactenus in communi dicta sunt, ad recipienda dona Spiritus S. necessariam dispositionem esse cordis puritatem; primo loco, de primo dono, quod Sapientia dicitur, verissima sunt; neque enim in animam malevolam introire potest sapientia. S. Th. Primus color in pictura sapientiæ, quâ reformat imaginem „ Dei in anima, per peccatum deformata, est candor puritatis. „ Cum luxuria & impuritate stare non potest sapientia, quæ men- „ tibus pudicis se se maximè accommodat; idem facit Spiritus „ S. hic animam disponit ad receptionem divinarum revelatio- „ num, & mysteriorum; sicut econtra luxuria hebetat intelle- „ ctum. Quæ enim convenientia (S. Th. de V. N.) sapientiæ „ ad illecebram? - Puritas cordis - ad contuenda cœlestia, ocu- „ lum mundat, intellectum clarificat, mentem elevat, affectionem „ purificat. § 11. *Puritas cordis potissimum requiritur ad receptionem doni sapientiæ.*

S. Greg. Nyssenus, ut explicet, qualiter animus carnalis, & impurus, ad sapientiam capiendam sit inidoneus, similitudinem adhibet animalium immundorum, qui in terram continuò conversi, ad cœlum conspiciendum nunquam eriguntur in altum. Ut porcorum oculi naturâ in terram conversi, rerum cœlestium aspectum non habent, sic animus corporis luxu perditus, cùm ad ea, quæ sunt pecudum, inclinatus sit, non cœlum ampliùs cernere potest. Ipse protoparens noster Adamus, quantis in prima creatione sapientiæ & scientiæ divinæ fuit locupletatus thesauris? sed *cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quis unquam sapientior Salomone fuit? tamen, quando sensualitatem sibi dominari permisit, Eze-

chiel illi objecit cap. 47. v. 22. *Dedisti maculam in gloria tua, stultitiam tuam.*

Bene dixit S. Joan. Damasc. l. 6. de spir. serm. c. 18. *Ad fontem veræ sapientiæ pervenire nemo potest, quàm diu radix vitiorum illi insederit.* S. Aug. *Assuescat juvenis ad castitatem, ut sit dignus sapientiâ DEI.* Hæc enim sapientia liquido comparatur fonti, Eccli. 1. v. 5. *Fons sapientiæ, Verbum DEI in excelsis*; ac proinde impossibile est, ut quis in hoc fonte speculetur, si impuræ vitæ sordibus fiat turbidus. S. Thom de V. N. aliam adducit similitudinem, priori non dissimilem: *Atras nubes radius solaris non penetrat; inter densissimas nebulas, claritas Solis non renitet; virginitas argento splendidior, crystallo clarior, vitro purior, vas mundum, divinis impressionibus aptum est.* Eadem sentire nos oportet de Spiritu S. Fons est, Sol est, lux est, &c. Ideo castissima & pudicissima Virgo bene dixit ad tyrannum: *Habeo sapientiam, sicut DEI mei donum, qui est sapientia & vita. Illis, qui mundo sunt corde, DEUS sua pandit arcana, his secreta sui cordis communicat, his abscondita mysteria revelat, hos visitant Angeli, hos perficiunt, hos exornant thesauris cœlestibus.* Multò magis hæc præstat Spiritus sanctus. His infundit donum Sapientiæ, &c. (Ita perge de reliquis ejus donis.)

DE PATIENTIA,

ET POTISSIMUM ILLA, QUÆ DICITUR PRACTICA; sive, cujus exercitium quotidie nobis est necessarium.

EXHORTATIONES QUATUOR.

EXHORT. I.

EXHORTATIO I.

DE VIRTUTE PATIENTIÆ.

Patientia vobis necessaria est, ad Hebr. 10. v. 36.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXponitur virtutis hujus essentia, præsertim per varia ejusdem elogia. Miscentur varii patientiæ actus & fructus.

EXercitium cujusvis virtutis, præsertim Patientiæ, de qua dicturus sum, quòd in actibus voluntatis, aliarumque potentiarum, & facultatum, potissimùm consistit, necessariò supponit cognitionem intellectus, hoc est, ut sciamus, quænam sit virtutis illius essentia, quæ excellentia, quæ utilitas; vel, ut Philosophi loquuntur, *Circa quanam objecta virtus illa versetur; quosnam habeat actus, & effectus. In quas cognitiones, rei, de qua agitur, definitio vel descriptio nos deducere solet.* Ex multis Patientiæ definitionibus, quas reperio apud SS. Patres, selegi pauculas, quas *§. 1. Propositio.*

in prima parte hujus exhortationis vobis proponam; in altera, insignia aliqua ejusdem virtutis elogia.

§. 2. *Ob varias causas patientia nobis est necessaria.*

Bene nos monet Thomas de Kempis l. 1: c. 22. *Dispone, & ordina omnia secundùm tuum velle, & videri, & non invenies, nisi semper aliquid pati; aut sponte, aut invitè, & ideo necesse est, ubique tenere patientiam. Quando labitur dies, quâ non occurrat, vel corporis læsio,* (inquit S. Bonav.) *vel temporalis penuria, vel detrimentum honoris, vel aliqua ab aliis offensio, vel rei alicujus subtractio, vel tranquillæ mentis quæcunque perturbatio. Ideò necesse est, ubique te tenere patientiam.* S. Cyprianus de bono patientiæ: *Oportet in hac fragilitate, atque infirmitate corporeâ luctari semper & congredi, quæ luctatio & congressio non nisi patientiæ viribus potest sustineri. Nec alia laborantibus possunt magis subvenire, quàm Patientiæ salatio.* S. Bern. *In hoc mundo tot emergunt casus, adversitates, infirmitates, desolationes, & molestiæ, quod homo velit, nolit, habet sustinire; sicut navis in medio mari, undiq; procellosis fluctibus agitatur atque concutitur.* Dionysius Carth. *Tribulatio magna est, ex quo nascitur homo.* Consequentia est certa; ergo homini patientia est necessaria.

§. 3. *Quid sit Patientia.*

Audiamus jam, quid sit patientia. S. Th. ait: *Patientia est virtus, quâ bonum rationis conservatur contra tristitiam, - contra quamcunque adversitatem, - ne ei succumbat.* In particulari magis S. Cyprianus cit. *Patientia est, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, passionum impetus frangit, timoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, - quæ in omnibus, & erga omnes, fovet individuam charitatem.* Facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias & contumelias mites; docet delinquentibus citò ignoscere; persecutiones tolerare, pacem & humilitatem in omnibus conservare.

§. 4. *Duo similia.*

Qui patiens est, (Prov. 14. v. 29.) *multa gubernatur patientia.* Patientia est gubernaculum vitæ nostræ. Sicut autem gubernator in fine navis existens, undique considerat pericula, ne incidat in ea, ac impingat in saxum, vel terram, vel sabulum, & declinando vitat ventum contrarium; sic homo patiens debet esse undique circumspectus, pericula declinando, ne navis animæ frangatur per impa-

impatientiam. Patientia eſt quaſi anchora mentis, firmans eam, & tenens immobilem in tempeſtate adverſitatis. Patientia ſimilis eſt cuidam piſci, qui dicitur *Echinus*, de quo legitur in hiſtoria, quòd ſi adhæſerit navi, reddit eam immobilem. Idem in homine præſtat patientia.

§. 5. *Patientia debet eſſe longanimis.*

Cùm S. Paulus ad Galatas 5. v. 22. enumerat fructus Spiritus S. non ſine myſterio ait: *Pax, patientia, &c.* quod S. Anſelmus videtur obſervaſſe, dum ait: Quia multa ſunt in converſatione humana, quæ pacem turbare poſſunt, neceſſariò ſubditur patientia, per quam injuriæ & adverſitates æquo animo ſuſtineantur, ut fræna pax queat obſervari. Patientiæ enim eſt, mala æquanimiter tolerare, & contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore moveri; & quia non ad horam, ſed quamdiu voluerit Dominus, obſervanda eſt hæc patientia, ſubnectitur & longanimitas, per quam omnia perſeveranter uſque ad finem ſuſtineantur. „ Breviter, ſed pulchrè S. Maximus: Hæc noſtræ Chriſtianitatis ſumma eſt, ut amantibus viciſſitudinem, lædentibus patientiam rependamus.

§. 6. *Chriſtus D. patientiæ ſpeculum.*

Dum Tertullianus Chriſtum D. veluti Patientiæ ſpeculum nobis proponit, ſimul eleganter exponit, quid ſit patientia. Ecce Chriſtum D. cùm traditur, cùm adducitur ut pecus ad victimam, non magis aperuit os, quàm agnus ſub tondentis poteſtate; ille, cui legiones Angelorum, ſi voluiſſet, uno dicto de cœlis adfuiſſent, ne unius quidem diſcipuli gladium ultorem probavit; Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt; ſed ſanitatis reſtitutione, ſatisfecit per patientiam, miſericordiæ matrem. Sed nunquid morti ſubeundæ etiam contumeliis opus fuit? ſed ſaginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat. Deſpuitur, verberatur, deridetur, - ut homo, latente Divinitate; - ſed nihil de hominis impatientiâ imitari voluit. O Judæi, hinc vel maximè DEUM agnoſcere debuiſſetis; patientiam enim hujuſmodi nemo hominum perpetraret. „ Talis ac tanta fuit patientia Chriſti.

§. 7. *Pia adhortatio ad patientiam, ex*

Pia & elegans eſt peroratio Ludovici Bloſii, quâ nos hortatur, ut imitemur patientem Chriſtum. *Attendamus oro diligentiùs, qualiter Dominus noſter IESVS Chriſtus cum iniquis deputatus fuit,*

considera- tione Passionis Christi. *fuit, & nec unam quidem sanguinis guttulam in corpore suo servavit, nec quidquam in ipso non lacerum atque discerptum extitit. Perpendamus præterea, quisnam ipse sit, quodque omnem acerbissimam passionem suam ex amore purissimo sustinuit, pro illis etiam peccatis, quæ illius tortores in ipsum commiserant. Consideremus insuper, quàm amanter, verà cum fidelitate ad hostes suos, qui mortem ipsi inferebant, conversus sit, brachia sua ad illos suscipiendum extendens; caput ad osculandum inclinans, cor* (quo in ipso habitare possent,) *aperiens, multaque alia dilectionis signa præferens. Attentè inquam ista consideremus, & ex eis roboremur, & inflammemur ad patientiam servandam in rebus adversis.* Tertull. *DEVS ipse nobis est patientiæ exemplum.*

§. 8. Aliud insigne patientiæ speculū fuit Iosephus. S. Zeno pro exemplo patientiæ nobis proponit in Josepho, de quo ait ser. de pat. Joseph! patiens invenitur, cùm in pascuis ,, à fratribus capitur; patiens cùm in puteum dimittitur; patiens ,, cùm venditur, patiens in carcere, patientior in regno; patientis- ,, simus cùm fratres agnoscit; & tamen blandè illos alloquitur, &c. ,, Cœlestis profectò fuit ista patientia, quam à suo statu, non ærum- ,, na, non felicitas, non affectus potuit commovere.

Eleganter Gillibertus Abbas ser. 32. in Cant. Per patientiam ,, mens pia, inter provocationes & injurias illæsa consistit. Patien- ,, tia quid aliud est, nisi velut quidam futuræ impassibilitatis odor; ,, illic mala nulla inferuntur, hîc verò patientiæ beneficio, velut ,, unguento quodam mitigatorio, etiam quæ illæsa sunt, non sen- ,, tiuntur.

§. 9. Patientia est virtus quæstuosa. Varia elogia Patientiæ simul exponunt, in quo essentia & exercitium, sive praxis hujus virtutis consistat. Ita Belluacensis ait in spec. mor. l. 1. dist. 88. *Patientia est mercatrix prudentissima, quæ mirabiliter & copiosè, magnis meritis animam locupletat; nec mirum, quia multam & magnam in mundo invenit materiam, spirituales divitias acquirendi.* Per omnes adversitates, tribulationes, desolationes, injurias, & contumelias. Item fames, sitis, æstus, frigora, infirmitates, & mors, sunt nobis materia merendi, & merita cumulandi. Hugo Card. *Vir fortis - in sinu patientiæ colligit contumelias, quasi lapides pretiosos, quibus ornabitur corona sua, de quâ sanctâ*

canit

canit Ecclesia: Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. De S. Paulo ait S. Chrysost. hom. de laud. ejus: *Livoribus, quos ei verbera sæpe inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis.* Quid verò est corona, nisi probatio patientiæ, quæ ex tribulationibus conflatur, & à DEO coronis adornatur. Item, Patientia res viles in pretiosas convertit, quia verba dura, & verbera, & vilipensiones, & opprobria, convertit in pretiosa merita, quibus homines spiritualiter ditantur. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, scilicet, coronam æternam, flagellando me. Lud. Blosius: *Nihil unquam, quantumvis parvum, pro DEI honore patimur, quin longè nobis sit utilius, quàm si totius mundi dominio potiremur. Quamlibet enim exiguum sit, quod patimur, pro illo tamen non minus* DEUS *retribuet nobis, quàm se ipsum.*

Libro de Pat. Tertullianus eandem calamo suo ad vivum depinxit, longè meliùs, quàm à pictore id præstari possit; en verba ipsius: Age jam, si effigiem habitumq; ejus comprehendamus. „ Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut „ iræ rugositate contractâ, remissa æquè in lætum modum supercilia; oculis humilitate, non infelicitate dejectis. Os taciturnitate „ signatum. Color, qualis securis, & innoxiis; amictus circa pectora candidus, & corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur. Hæc est figura corporis exterior, interior patientiæ „ genius, sive effigies in hoc consistit, ut rectificet partem rationalem, temperet irascibilem, modificet concupiscibilem, & deinde „ exteriorem consummat operationem. Unde in Proverbiis dicitur: Qui patiens est, multa gubernatur sapientia. Et doctrina viri, per patientiam dignoscitur. „ Unde S. Greg. super verba S. Lucæ cap. 21. v. 19. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Pulchrè quærit l. 5. mor. c. 13. *Quid est animas possidere, nisi perfectè in omnibus vivere, cunctisque mentis motibus, quasi ex arce veritatis dominari; quod ubique valde animam consolatur, & reficit.* Bene dixit S. Laur. Justin. *Magnum pacis est bonum; est namque pax securitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vehiculum amoris, consortium charitatis;* sed post coadunata talia elogia, subdit:

§. 10. *Effigies Patientiæ exterior & interior.*

Ad pacem per patientiam pervenitur; tantòque magis pace fruetur homo, quantò erit patientior. Finis patientiæ pax est. Ita Ecclesiasticus postquam dixit: *Vsque in tempus sustinebit patiens,* subjungit, *& postea redditio jucunditatis*; juxta illud Climaci: *Pro ratione patientiæ tuæ, sublevabitur onus afflictionis tuæ, & consolationem obtinebis.*

§. 11. *Patientia est origo consolationis.* Et Lud. Blosius in sacello animæ c. 11. v. 4. Prorsus ei, qui se ,, perfectè DEO resignavit, afflictio dulcis est, quia in DEO, per quem ,, illa ipsi evenit, conditur, & divina fit, & DEIformis. Cùm talis ,, nihil quærat, nihil diligat, nec quicquam illi sapiat, nisi DEUS; ita ,, hunc in amaris atque contrariis capit, sicut in summa dulcedine: ,, neque enim fieri potest, ut aliquis pro DEI gloria quicquam susti- ,, neat, quin in eo saporem quendam Divinitatis percipiat. ,, Ecce insignem fructum patientiæ! quem expertus fuit Regius Psaltes ps. 93. v. 19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificarunt animam meam.* Ita patientia amara facit dulcia, aspera suavia, gravia levia. Patientes enim ad modum piscium marinorum, inundationes maris quasi lac sugunt. Refert Blosius in conclavi animæ cap. 10. S. Mechtildi à cœlesti Sponso dictum fuisse: Cùm quis injuriâ aliquâ afficitur, non impatien- ,, ter conqueratur, hominibus multa inde loquendo; sed statim ,, mihi præsentet suum gravamen, ut ego dulcedinem consolatio- ,, nis meæ illi infundam, eamq; ad patientiam animem. ,, Mirabile est, quòd Gentilis Seneca hoc agnoverit, dicens l. 3. de ira, c. 16. *Qui meliùs scit pati, majorem tenebit pacem.* Et S. Th. super citata verba: *In patientia possidebitis animas vestras,* ait: *Possessio importat quietum dominium, & ideo per patientiam dicitur homo animam suam possidere, in quantum radicitùs evellit passiones adversitatum, quibus anima inquietatur.*

§. 12. *Descriptio patientiæ ex Cassiano.* Cum gustu, ut puto, audietis discursum Cassiani, in quo de natura patientiæ, & aliis ejus quantitatibus ita loquitur, collat. 18. cap. 13. Non esset laudabilis, nec admiranda patientia, si nullis ,, inimicorum jaculis impetita, tranquillitatis propositum retine- ,, ret; sed in eo est præclara, atque gloriosior, quòd irruentibus in se ,, tentationum procellis, immobilis perseverat. Nam in quo vexa- ,,

ri,

ri, frangique adversitatibus creditur; in eo potiùs roboratur, & in „ eo magis acuitur, in quo putatur obtundi. A passionibus enim „ & sustinentiâ Patientiam dici, nullus ignorat; ideoque constat, „ patientem neminem pronuntiari posse, nisi eum, qui universa, „ quæ sibi fuerint irrogata, absque indignatione toleraverit. „ De viro patiente putat S. Augustinus protulisse Davidem v. 1. psalmi 96. *Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ*; ita enim commentatur: *Insula undique circumstrepentibus fluctibus tundi potest, frangi non potest; magisque ipsa frangit fluctus venientes, quàm frangatur ab illis; ita vir patiens, &c. & ideo lætatur & exultat.* Hugo Card. ita de hac similitudine discurrit: Bonos insulis comparari „ contingit, quia positi in salo tribulationis, resistunt ventis adver- „ sitatum; quia inter fluctus confluentes calamitatum, stant immo- „ ti. Hujusmodi ergo homines jubet David lætari, & exultare; „ hoc est, iis affectibus vult plenos, qui proprii sunt Beatorum, de „ quibus dicitur, *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Idem accidit viro patienti, etsi adhuc in hoc mundo sit constitutus.

De firmitate patientiæ ita ait S. Zeno, ser. de Pat. Non illam „ loco vis ulla detorquet, non labor, non fames, non nuditas, non „ persecutio, non metus, non periculum, non mors, non tormenta „ morte ipsâ graviora; non potestas, non ambitio, non infelicitas, „ semper immobilis manet; altâ quâdam ac divinâ temperantiâ li- „ brata, universas permotiones animorum, placidâ moderatione „ compescens, & ut omnia divinent, se primò vincit. „ In hac victoria meo judicio, consistit essentia & perfectio patientiæ. S. Chrysost. hom. 85. in Matth. *Illa fulgentissima victoria est, quâ inferentem injurias patiendo superasti. DEVS eas tibi vires concessit, non ut consertione manuum, sed ut patientiâ vincas.* Belluacensis l. 1. distinct. 88. *Patiens non gladium, non manum, non baculum, imò nec festucam levat contra adversarios suos, sed potiùs amat, compatitur eis, & orat. Vnde verè dicitur: Nobile vincendi genus est patientia. Vincit, qui patitur; si vis vincere, disce pati. Et vince te ipsum, hoc est, animi tui impetum.* S. Ambr. l. 1. de off. cap. 21. *Si prævenerit, & præoccupaverit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum*

§. 15. Patientia firmitas & constantia.

tuum; locus tuus patientia est; locus tuus sedatio indignationis est. Lactantius: *Qui insurgentes ira motus - ratione comprimit, hic planè imperat sibi, & hic regere se potest, quæ sustentatio sui, Patientia nominatur.* Cassianus coll.24. c. 25. *Invicta virtutis est, gloriosissimè de impatientia triumphare.*

§. 14. *Conglobata descriptiones patientiæ.*

Finio exhortationem, & dico: Patientia est *virtus, contumeliarum & omnis adversitatis æquanimiter mala portans.* Vel, *Patientia est æquanimis malorum illatorum tolerantia.* Vel, *Vera patientia est, aliena mala æquanimiter tolerare, & contra eum, qui mala irrogat, nullo animi dolore moveri.* Vel, *Patientia est rerum arduarum ac difficilium voluntaria & diuturna perpessio.* Vel, *Patientia, injurias accipit, & gratias agit.* Patientia autem est triplex, videlicet *cordis, oris, & operis.* In corde quidem debet haberi patientia, ut homo propter DEUM voluntariè patiatur, in ore, &c.

EXHORTATIO II.

DE PATIENTIA PRACTICA.

Patientia vobis necessaria est, ad Hebr. 10. v. 26.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

QUid sit Patientia practica, & ejusdem varia objecta, aliæque circumstantiæ.

§. 1. *Vita hominis religiosa est laboriosa.*
§. 2. *Quid sit patientia practica.*
§. 3. *V. G. circa somnum, horam surgendi, horam orationis, & omnes diurnas occupationes.*
§. 4. *Præsertim in portandis aliorum oneribus.*
§. 5. *Integrum illorum alphabetum.*
§. 6. *Patientia nobis offert septem pulcherrimas gemmas pro corona æterna gloriæ.*
§. 7. *Patientia est immota rupes.*
§. 8. *Patientia est surda & muta.*
§. 9. *Patientia muta est gloriosa & victrix.*

§. 10.

Reverendi Patres! Vitam in statu religioso vivimus laboriosam. *Militia, sive labor, est vita hominis super terram,* Job 1. v. 1. & multò magis Viri Religiosi. Quod mirum nobis videri non debet; si enim Christus JESUS, cujus Socios nos esse, profitemur, ab instanti conceptionis, vitam tot laboribus, & doloribus exercitam exorsus est, non finiendam, nisi inter labores & dolores; & *ita intravit in gloriam suam*, Luc. 24. v. 26. cur nos aliam volumus quærere viam; cùm nulla nos eò ducat, nisi semita sanctæ Crucis, sive sancta Patientia! Patientiam practicam propono in hac exhortatione. §. 1. *Vita hominis religiosi est laboriosa.*

Arbitror autem, me illam meliùs, aptiùs, & ad praxin congruentiùs proponere non posse, quàm suadendo cuivis, quod ipsa DEI Mater, Beatissima Virgo Maria, alicui Virgini, quam valde amabat, suasit: Ut singulis diebus, imò, si fieri posset, singulis momentis, materiam aliquid pro DEO patiendi, quæritaret, seque ad eam pacificè excipiendam, quam DEUS immitteret, præpararet. Sed nolo ego à Vobis hoc petere, ut id quæratis; hoc suadeo, hoc Patientia practica à nobis requirit, ut quod ultrò occurrit, patienter feramus. In quo inter Viros Religiosos hæc quoque occurrit differentia; hi velis, remisque, ut ajunt, vel mali umbram, & quodvis incommodum effugere conantur; isti ad illa se offerunt, & cùm eveniunt, agunt DEO gratias, & ambabus ulnis amplectuntur. In quo eximia fuit illa Virgo ex Ordine S. Dominici, quæ vermes ex ulcerosi corporis partibus egressos, in easdem foveas, tanquam cœlo demissas gemmas, reposuit. Sed relinquo tales heroës: videamus, quos patientiæ flosculos per diem & noctem decerpere possimus, ut illos cœlesti Sponso offeramus. §. 2. *Quid sit Patientia practica.*

Quæ circa somnum, & nocturnam corporis quietem, exercendæ patientiæ materia nobis occurrat, ipsa experientia docet. §. 3. *V. g. circa somnum, horam sur-*

 Quàm

gendi, horâ orationis, & omnes diurnas occupationes. Quàm facilè occurrit, ob varia quæ deesse possunt, in cubando incommoditas! quoties nos vexat aëris intemperies; quoties molesti nobis sunt tam varii morbi; quoties somnum turbant molestæ curæ, timores, & inquietæ phantasiæ! quoties nos turbant molestissimi animalculorum morsus? Omnia hæc ferre patienter, memoriâque recolere coronam Christi spineam; duros & aculeatos flagellorum, quibus laceratus fuit ictus; lectum crucis acerbissimum, atque ab omni querimoniâ prohibere linguam, Deoq; velut duo minuta patientiæ, pacato animo offerre; hæc sine dubio in Patientiæ gymnasio & stadio laudem merentur. In hora surgendi, ad primum campanæ pulsum, inter vestiendum, & in tota, quæ subsequitur orationis hora, latissimus patet campus, in quo Vir religiosus, si vult, mille patientiæ spinosos flosculos potest colligere. Finitâ oratione, vix ullum per totum diem occurrit opus, vel occupatio, quæ patiendi materiam non suppeditet.

§. 4. *Præsertim in portandis aliorum oneribus.* Ad quotidianæ Patientiæ fontem nos ducit S. Paulus, cùm ait: *Alter alterius onera portate*, ad Galat. 2. v. 6. *Onera* dixit, quia non unam tolerantiæ materiam nobis invicem præbemus, sed plurimam. Ut pulchrè & jocosè unus ex eremicolis, dum videret alium portantem humeris cadaver mortui ad sepulturam, dixerit illi: Mortuum portas? vivos porta; quia in hoc postremo majus elucet charitatis & patientiæ argumentum.

§ 5. *Integrum illorum alphabethum.* P. Petrus Pennequin in sua Isagoge ad amorem divinum, elegantissimum proposuit Alphabethum, quod nævos proximi complectitur, quibus tolerandis exercetur charitas, quam S. Paulus primo loco vocat *patientem & benignam*; Occurret tibi aliquis, „ cum quo negotium tibi sit, Arrogantis, vel Austerii ingenii, vel „ Altercator; hunc impone humeris, amplectere ulnis, porta pati-„ enter. Charitas erga superbos est patiens. Cùm tu quoque sub-„ inde sis arrogans, vel Austerus, vel Altercator; alii quoque te de-„ bent portare. Alter alterius onera portate in charitate & patien-„ tia! Deprehendes alium Bilinguem, vel Blateronem; Erit alius, „ qui tibi videbitur nimis Curiosus, nimis Criticus; Deses alter, & „ Dicax, & tuo judicio, duplici corde. Porta omnium horum one-„ ra patienter, cùm tu quoque, &c. ut superiùs. Videbitur tibi alius, „

Effrons,

Effrons; alius Fictus, & Fallax. Alius Garrulus, & graviter olen-,, tis oris; Judicabis alium Hypocritam, Hebetem; alium Impu-,, dentem, Importunum, Iracundum, Ingratum, Imperiosum & In-,, corrigibilem. Ecce objecta practicæ patientiæ. Sunt alii Liti-,, giosi & Leves; alii Morosi, Murmuratores, Mendaces, Morda-,, ces. Ille in officiis suis est Negligens, ille Nugator, iste Obtre-,, ctator, iste Obliviosus; porta omnes, cùm tu quoque, &c. Non,, desunt, qui sint Pertinacis, Pervicacis, & procacis ingenii; non,, desunt Queruli, non Rixosi, & Ridiculi, non Suspiciosi, non Stul-,, tiloqui. Videntur tibi alii nimis Verbosi, Vaniloqui, Vindictæ,, appetentes. Omnes sunt objecta patientiæ practicæ; omnes no-,, bis imponunt onera, quæ debemus portare patienter; Alii judi-,, cant te Vindictæ appetentem, Vaniloquum, Verbosum, &c. te,, quoque & alii debent portare, si in gymnasio patientiæ velint pro-,, ficere, & coronari. Æquè molesti in aliqua communitate sunt,, Turbulenti, & Indiscreti, quibus tolerandis si studium adhibue-,, ris, gemmas colliges, coronæ felicitatis æternæ inserendas.

Dum gemmarum facio mentionem, occurrit mihi, quod S. Brigittæ dixit B. Agnes Martyr, l.4. c.124. Veni filia, & impone,, tibi coronam factam ex septem lapidibus pretiosis; primus est,, Jaspis, quem tibi offert, quisquis contumeliam contra dicit, quòd,, sis insipiens, inepta, &c. ferto contumeliam patienter; patientia,, illam mutat in Jaspidem. Secundus lapis est Saphyrus, quem ti-,, bi offert, qui in faciem faventia loquitur verba, à tergo tibi detra-,, hit; ferto hanc detractionem, quæcunque illa sit, patienter, & per,, patientiam converte in Saphyrum. Tertius est Smaragdus, viri-,, dis, & pulcherrimi coloris; quem in sinum tuum conjicit, qui ait,, te aliqua protulisse verba, quæ ne in mentem quidem venerunt.,, Quartus est Margarita, quam pro pulcherrima corona tibi of-,, fert, qui te vituperat, & coram aliis confundit: obviæ sunt hæ mar-,, garitæ, dummodo per patientiam colligeremus. Quintus est to-,, pazius; offertur nobis ab illis, qui aculeatis verbis nos pungunt;,, rutilat hæc gemma pulcherrimè, cùm iisdem benedicimus. Sex-,, tus est adamas; sive damnum quodcunque à proximo nobis illa-,, tum; eò pulchrior gemma, quò majori patientiâ toleramus.,, Non

§. 6. *Patientia nobis offert septem pulchërrimas gemmas pro corona æternæ gloriæ.*

desunt

desunt septem alii, qui nobis offerunt rutilantes carbunculos, quicunque in re aliqua nobis creant molestiam. Quæritis ex me, quid sit patientia practica? Respondeo, pretiosissima est Virtus. Est Jaspis! est Saphyrus! est Smaragdus! est margarita! est topazius! est adamas! est carbunculus! ex his gemmis patientia nobis præparat coronam æternæ gloriæ.

§. 7. *Patientia est immota rupes.* Felix est ille, qui inter hæc objecta patientiæ, constans est & immobilis. Unde S. Gregorio Nazianzeno, obambulanti juxta littus maris, hæc cogitatio aliquando occurrit: Vitam hominis similem esse Oceano, ventis & tempestatibus agitato; ideoq; meritò nobis imitandam esse constantiam, & immobilitatem scopuli, vel rupis, quæ tantum abest, ut murmurantibus fluctibus cedat, quin potiùs illorum alluvione mundetur. Murmurant venti, rupes stat immobilis. Ita faciendum nobis est, dum ventorum, verborumq; adversi flatus nos petunt; excipiendi sunt sine commotione, sine turbatione, sine iracundia; vera patientia est rupes!

§. 8. *Patientia est surda & muta.* Maxima patientiæ quotidianæ seges metitur, ex verbis, quæ ab aliis parum consideratè contra nos proferuntur, præsertim cùm felle aspersa videntur, v. g. cùm sunt pungentia, aculeata, & amarulenta. Ad hæc verè & prácticè patiens ait cum Davide ex psalmo 37. v. 13. *Ego autem tanquam surdus non audio, & sicut mutus non aperio os meum.* Vultis scire, qualis sit patientia practica? Surda est! muta est! Talis fuit patientia S. Paulæ Romanæ, de qua ait S. Hier. *Quòd cùm vituperantis linguæ verba audiret, illa statim animum ad Christum Crucifixum, tanquam ad Patientiæ asylum transtulisse, & silentio obfirmasse, ita ut nec verbo ullam quæreret defensionem, vel patrocinium.* Idem S. Hieron. arbitratur illos miseros, qui cùm pulcherrimam patientiæ ansam ex intemperantia linguæ, à qua vapulant, possint arripere: ipsimet in verba malè digesta prorumpunt, nec sequuntur exemplum Davidis dicentis: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis.*

§. 9. *Patientia muta est gloriosa & victrix.* Gloriosa est in hoc Patientia, quæ licèt ob taciturnitatem, coram hominibus videatur esse victa & oppressa, apud DEUM tamen suo silentio est victrix. Propterea monet nos S. Gregorius Nazian-

Nazianzenus: *Ne, tanquam pro nobis stet Veritas, conemur multum loquendo & disputando censeri superiores; meliùs & gloriosiùs hîc esse vinci, quàm vincere.* Addit B. Ægidius, meliùs esse silendo, victos apparere coram hominibus, & hoc modo per patientiam, mutam & surdam, victoriæ coronam in DEI judicio reportare. Ita vicit, ita triumphavit muta patientia Christi Domini; Instanter à Judæis accusatur coram Pilato, Christus D. constanter & patienter siluit; stetit inter hos fluctus ut immota rupes; & hoc silentium tantæ fuit ad persuadendum efficaciæ, ut inde innocentiæ testimonium acceperit Præses. O egregiam patientiam! sæpe etiam apud homines victricem; apud DEUM semper fructuosam, & plerumque altissimæ pacis bono compensatam.

Cùm tunditur silex, erumpunt scintillæ; ita plerumque ad sonum, ictumque verbi contumeliosi, vel aculeati, accenduntur scintillæ vindictæ, & impatientiæ, & iracundiæ, nisi victrix patientia ori statim injiciat frænum silentii, & intus in corde componat motos fluctus; quod dum fit, ingens meritorum cumulus exaggeratur. Verbum subinde unicum est instar carbonis ex ore alterius prosiliens, cui si alterum addideris, & ventus animi commoti accesserit, excitetur ignis, necesse est; unde S. Jacobus Apostolus ait: *Linguam modicum quidem membrum esse, sed ad instar ignis exigui vento agitati, magnam silvam accendere; nisi subitò adsit victrix patientia*, ut initio statim primas scintillas extinguat. §. 10. *Similitudo.*

O si imitaremur quendam Arlottum Florentinum, cui cùm quidam varia convitia ingereret, ille dixit: *Si tu lingua tuæ Dominus non es, ego DEO dante aurium mearum conabor esse Dominus, ut quasi non audiam.* Consequenter fuit Dominus suæ linguæ, & ipsiusmet cordis. Quæritis fortassis, quodnam sit subjectum practicæ patientiæ? Respondeo, auribus, linguæ, cordi debet inhærere. Tales Dominos nos facit patientia: Celebre est dictum Tiberii Imperatoris, cui cùm referrentur voces contumeliosæ, quæ de ipso per vulgus spargebantur, hoc unum respondit: *In libera civitate linguas etiam liberas esse oportere*, volens ostendere, nihil se aliorum dictis commoveri. Cùm ad nos quoque referuntur obtrectatorum voces, cur non quivis hoc modo discurrit, DEUS homini isti, meo ob- §. 11. *Elegans Patientiæ exemplum, & celebre dictum Tiberii Imperatoris.*

obtrectatori, calumniatori, detractori, liberam linguam donavit, ut bene, ut malè illâ uti possit; si malè utitur, ejus est, qui donavit, mali usus rationem reposcere. Mihi verò idem DEUS libertatem linguæ dedit, ut illâ possim silere, vel etiam pro verbis malis, reponere bona; pro maledictione, benedictionem, pro contumeliarum spinis possum ego offerre rosas; pro felle, mel; hoc est, rosea & mellea verba. Hanc mihi DEUS dedit libertatem, ut inter verborum jacula illud exequar, quod DEO gratiùs esse judicavero: obtrectatoribus interim relictâ libertate, ut bene vel malè de me loquantur: ego pro libertate mea silebo; ego illis benedicam. O genium! ô imaginem! ô speculum! practicæ & victricis patientiæ! cujus præmium hîc est admirabilis quædam animi serenitas & tranquillitas, ibi æterna gloria!

§. 12. *Imitari debemus Christum D.* Quia Christiani sumus, Christum D. continuò debemus habere præ oculis, inter contumelias & convitia nunc tacentem, raro modestè respondentem; imò malevolis suis etiam beneficia conferentem, ut ad ejus similitudinem per patientiam & charitatem nos effingere conemur, juxta monitum S. Petri: *Christo pro vobis passo, & vos eâdem cogitatione armamini.*

§. 13. *Ut per Patientiam DEO offeramus hostiam vivam, placentem.* Vel, ut cum S. Paulo Apostolo finiam, ex cap. 12. v. 1. 2. ad Rom. *Obsecro itaq; vos fratres, per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem; rationabile obsequium vestrum.* q. d. inquit S. Anselmus: *Offerte DEO corpora vestra, non hostiam mortuam; sed vivam; hostia quippe immolatur, & viva est; quando ab hac vita homo non desinit, & tamen se à carnalibus desideriis occidit: Hostia enim vivens, DEO placens; est corpus pro Domino afflictum;* affligitur autem præsertim per patientiam, S. Augustino teste, qui de se ait: *Me excrucio, & do de me pœnas, ut DEO victima sim; quia victima excoriatur, priusquam offeratur.*

§. 14. *Propositio exhortationis futuræ.* Hoc corpus, de quo loquor, & quod à morbis variis impetitur, & quod quia corruptibile est, innumeras miserias circumfert: capacissimum & latissimum est objectum Patientiæ practicæ; sed quia simul latam & amplam mihi præbet discurrendi materiam, potissimùm de morbis, in proximam differo exhortationem.

EXHORTATIO III.

DE PATIENTIA PRACTICA.

Patientia vobis necessaria est, ad Hebr. 10. v. 26.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

LApis Lydius veræ patientiæ, est congeries morborum.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *Quæstio. Quid DEO gloriosius? an cùm homo multùm agit, vel, cùm multùm patitur.*
§. 3. *Respondetur in favorem patientiæ.*
§. 4. *Contrahitur prior quæstio ad morbos.*
§. 5. *Infirmus patiens est DEO gratissimus: teste ipsomet Christo D.*
§. 6. *Prosecutio.*
§. 7. ***Patientia, tempore morbi, quàm quæstuosa, sive, meritoria.***
§. 8. *Testimonium Ioannis Davilæ.*
§. 9. *An morbos debeamus petere & optare.*
§. 10. *B. Ioachimi Senensis actus heroicus.*
§. 11. *Pulchra historia de S. Francisco Borgia, & Bustamantio.*
§. 12. *An possimus petere à morbis liberari.*
§. 14. *Alia responsio ad propositam quæstionem, ex revelat. facta Cath. Sen.*
§. 15. ***Pulchrum dictum Stephani Anachoretæ.***
§. 16. ***Alia Exhortatio.***

LApis Lydius veræ & practicæ patientiæ, est congeries morborum, à quibus multi Viri religiosi vexantur & affliguntur. Qualis verò in illis debeat esse patientia nostra, hâc exhortatione, prout promisi, vobis proponam: priùs tamen huic respondebo Quæstioni. — §. 1. *Prop. sitio.*

An homo pius DEUM magis glorificet, multa agendo, vel multa patiendo. Aliis modis eadem quæstio sic potest proponi: v. g. 1. *quâ viâ homo citiùs evadat ad altiorem gradum divini amoris, an agendo, vel* — §. 2. *Quæstio: Quid DEO gloriosius, an cùm homo multùm*

agit, vel multùm patitur.

vel patiendo. Vel 2. *An majori amore opus sit ad agendum, quàm patiendum.* Vel 3. *An majoris amoris indicium sit, multa pro amico agere, an multum pati.* Si non fallor, victrix *Patientia* reportabit triumphum.

§. 3. *Respondetur, in favorem Patientiæ.*

Ante omnia, conjiciamus oculos in JESUM Christum, perfectissimi amoris exemplar; eminent in illo agere, & pati; & vitæ ejus telam admirabili conspiratione universam pertexunt. Si tamen rectè animum advertimus, totius humani generis redemptionem, quam maximè spectabant DEI consilia, Passioni potiùs, quàm ejus actioni attribui videbimus. Eligitur S. Paulus, velut fax divini amoris, luce suâ & calore, orbem universum pervagatura; sed prædicit Christus D. *Ostendam illi, quantum eum oporteat pro nomine meo pati*; & ingens ejus in tolerandis malis patientia, in admirationem sui contuentium rapiet oculos. Accedit testimonium S. Petri Apostoli, *Communicantes Christi passionibus gaudete, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis DEI, & qui est spiritus ejus, super vos requiescet.* q. d. Patientia in adversis, & in quacunque afflictione, infallibile indicium est, inhabitantis in nobis Spiritus S. qui nihil aliud est, quàm divinus amor, & charitas, quæ ut aurum igne, ita hæc rebus adversis maximè probatur, & radios pulcherrimos exerit.

§. 4. *Contrahitur prior quæstio ad morbos.*

Ut propositam aggrediar materiam, quæstionem hanc magis contraho, & quæro; an DEUM magis glorificemus, agere bene præscripta nobis opera, & occupationes, v. g. orare, studere, concionari, laborare, &c. vel jacere in luto, & pati morbos? afferam quædam, quæ poterunt discutere mœrorem & tristitiam illorum, qui dum per occasionem morbi arcentur à communibus orandi exercitiis, putant se nihil magni præstare pro gloria DEI Studere debent tales Patientiæ, & multùm præstabunt.

§. 5. *Infirmus patiens est DEO gratissimus. Testantur ipse Christus D.*

Ideo, cùm Theodorus quidam rogaret Pachomium, ut precibus febrim, quâ laborabat, depelleret, renuit ille; & ad patientiam, ac voluntatis cum divino beneplacito conformationem ægrotum adhortans, tandem subjunxit: *Bona quidem est abstinentia, & in oratione perseverantia, &c. majus tamen præmium infirmus, cùm patiens est & longanimis, adipiscitur.* Ita Christus D. S. Gertrudem,

ob

ob insomnia, & exhaustas corporis vires, parum aptam ad orandum, consolatus fuit his verbis: *In infinitum mihi gratiùs est, dum quis infirmus post consumptas vires* (præsertim in morbis) *illum virium defectum*, (illos dolores) *patienter sustinet*, *mihique offert; quàm dum sanus aliquis solidam noctem orationi incumbit.* Ita huic quæstioni, Quæ hominis occupatio in hac vita sit DEO gratior, homini utilior, licèt molestior: bene ille respondit; *Pati ob amorem DEI.*

§. 6. *Prosecutio.*

Redeo adhuc semel ad S. Gertrudem, quæ dum propter morbum lecto affixa, ex Christo D. quæreret, *An non magis ad ejus faceret laudem & gloriam, si lectulo exiliens assisteret in choro concinendis hymnis cum aliis Sanctimonialibus*; respondit illi Christus D. *Minimè: quia majorem cupio voluptatem, dum sponsam ad beneplacitum meum infirmitate corporis velut devinctam retineo, quàm cum illa suæ propensioni deserviens, aliorum oculos, animosque actionum suarum pulchritudine in se convertit.*

§. 7. *Patientia tempore morbi, quàm quæstuosa.*

Solatio plenum est, quod refertur de P. Balthasare Alvarez, qui cùm unum ex nostris Patribus lectulo affixum inviseret, & eo nomine plurimùm angi videret, quòd orationibus, & confessionibus audiendis, & habendis concionibus, aliisque charitatis officiis erga proximum vacare non posset, talia illi quasi ex DEO hausta, asseveranter dixit: *DEUM pluris facere hominem, qui voluntatis divinæ legibus acquiescens, patienter morbum tolerat ad mensem integrum, quàm si idem ille annum totum variis erga proximum exercitiis, & laboriosis muneribus diligenter impenderet.* Idem Pater in alloquio alicujus Sanctimonialis Carmelitanæ, in extasin raptus, (radiavit enim facies instar Seraphini,) sed mox sibi redditus, dixit: *DEUM illi Moniali magnam in cœlo apparasse gloriam, quâ paulò pòst potiretur; & octo mensibus, quos cum morbo conflictando peregerat, plus accumulasse meriti, quàm nonnullæ aliæ bene sanæ pluribus annis congregassent*; ita patientia in morbis amori conjuncta, & in hac vita cæteris virtutibus quæstuosior est; & in altera apud Judicem, ad coronam & præmium, illustrior ac fructuosior.

§. 8 *Testim. viri Ioannis Avila.*

Ità vir piissimus & celeberrimus in Hispania, Joannes Davila parte 2. ep. 54. Sacerdoti ægroto per literas suasit, ne inspiceret, vel con-

considararet, quid agere posset, si sanus esset; sed quomodo in illa sua ægritudine per patientiam plurimùm placere possit DEO; in quo bonorum nostrorum summa consistit. S. Greg. M. *Majoris est meriti adversa* (& morbos) *patienter tolerare, quàm bonis operibus insudare.*

§. 9. *An morbos debemus petere & optare.* Oriuntur hinc aliquot quæstiunculæ, v. g. 1. an perfectus DEI amor nos inclinet, ad morbos optandos, & adeo deposcendos? Respondeo, nos duplici modo posse considerare aliquem morbum, 1. quatenus est sanitatis privatio; & ut sic non est ratio, cur petamus, cùm destruat bonum sanitatis, & corporis animique functiones non parum impediat, & nobis & aliis varia afferat incommoda. Sufficiat hoc, cùm Christus D. ejusque Mater, omni morbo caruerint, id indicio est, in morbis nihil per se boni delitescere. Cùm verò morbus aliquis, 2. considerari possit ut palæstra virtutis; ut v. g. carni ferocienti, aut per vitia pabulabundæ, frænum injiciatur; ut homini, cum detrimento salutis, negotiorum multitudine occupato, detur aliqua vacandi sibi occasio, ut virtutum plurimarum suppeditetur materies, ut præcedentium peccatorum debitis fiat satis; morbus etiam deposci potest. Quæ omnia Angelicus Doctor his verbis complexus est, *Quòd DEUS permittat morbos, propter remedium salutis, ut scilicet homo per hoc à peccatis arceatur, in virtutibus proficiat, & per patientiam coronetur.*

§. 10. *B. Joachimi Senensis heroicus actus.* Viri sancti, qui morbos à DEO petere solent, id faciunt, ut si DEO ita placeat, multum patiantur, quod sciunt DEO esse gratissimum. Admiratione dignum est facinus B. Joachimi Senensis, ex Ordine Servitarum: Consolabatur hic ægrotum in nosocomio, epilepsiâ laborantem, qui mali acerbitate abreptus, *O Pater*, inquit, *facilè est, cùm sani sumus alios ad patientiam adhortari; si paribus mecum doloribus agitaveris, aliter loquereris.* Hic insolito charitatis æstu concitatus Joachimus: *Quid ais*, inquit, *mi frater, ego te hoc tuo morbo tam beatum existimo, ut DEUM ex intimo corde deprecer, ut te liberet, illumq; in me transferat*; dictum, factum. Nam & æger continuò sanus lectulo exiliit, & Vir sanctus se epilepsiâ tactum sensit; quam ad mortem usque magno animo DEO gratias agens, pertulit; hoc charitatis suæ præmio donatus, ut die Veneris sancto,

cùm

cùm in Evangelio loqueretur de Christo D. *Et inclinato capite tradidit spiritum;* ipse etiam animam efflaverit.

Jucundum est, quod sequitur. P. Bustamantius rogaverat S. P. Borgiam, id sibi à DEO impetraret, quod potissimùm pro se Franciscus flagitabat. Annuit hic, & ut votis Bustamantii annueret DEUS, prostratus rogat & obtinet. *Ecce tibi, dolor capitis ardentissimus Bustamantium occupat, vehementerq́ exagitat.* Hæc scilicet erant Borgiæ vota, ad has cruces totis medullis aspirabat, cœlumque, ut sibi illæ concederentur, crebris precibus pulsabat; sed non erat ea mens Bustamantii, qui continuò temeritatis culpam agnovit, Franciscumque rogavit, ut quem evocaverat dolorem, expelleret. Subrisit Pater, hominemq; solatus, iteratò DEO supplicans, malum omne est amolitus. Advertitis credo, primæ quæstioni satisfactum esse, posse bono fine mortes postulari, non tamen ad similes petitiones præcipiti impetu convolandum: Non omnibus pares sunt ad ferendum humeri, satis tibi sit voluntatis tuæ in manus Domini humilis & robusta consignatio, quâ quidquid DEO placuerit, patienter feras. Sufficit nobis, animus ad DEI nutum factus atque compositus, paratus confestim sequi, quò cœlestis Imperator jusserit. Si DEUS morbos immittat, ferto patienter; si verò sanitatem, corporisque vires tibi largiatur, grato animo accepta, & labora pro DEI gloria, propriâ & animarum salute strenuè.

§ 11. *Pulchra historia de S. F. Borgia, & Bustamantio.*

Altera quæstio est hæc: An bene faciat, qui petit instanter à DEO, ut à morbo liberetur. Quæstioni satisfecit Vir sanctus, S. Franciscus Salesius. Quidam gravi capitis dolore laborans, instanter à DEO petivit liberationem. Mox dubitare cœpit, an id fecisset secundùm leges perfectionis, consuluitq; literis S. Franciscum Salesium; qui respondit: *Supplicatio, quam fecisti, non est ex prohibitis; sed tamen mi DEUS! ad tale aliquid postulandum, animum meum inducere non possem.* Innuens, divinum amorem aliquid perfectius exigere: quod ipse morbi sui tempore constanter observavit, hæc ore sæpiùs ingeminans: *Novit DEUS, quid mihi utilius sit: Dominus est, quod in oculis suis placitum est, faciat: O DEUS! ô tua! non mea fiat voluntas! Ita Pater! ita volo, ut tu vis! Ita Domine, ita firmiter apud me constitui, ut lex & voluntas tua, impressa, insculptaque regnet in medio*

§ 12. *An possimus petere à morbo liberari.*

cordis

cordis mei. In hoc quoque æger imitetur eundem S. Franciſcum Saleſium,& non errabit. Dum ex morbo decumberet,rogareturque,an hoc vel illud expeteret, an venæ ſectionem, an ſcarificationem, nihil aliud reſpondit, quàm: *Facite de me, quod lubet, quandoquidem me DEVS in veſtrâ, Medicorumque conſtituit poteſtate.* Quod Regulis S. P. Ignatii planè eſt conforme. De quo Vita perhibet, quòd etiam in ultimis magni jejunii diebus, ad Medici præſcriptum, carnem in cibum admiſerit, ſumpſeritque medicinas complexioni ſuæ contrarias; tam cæcè Vir ſanctus Medico fuit obediens.

§. 13. *Heroicum dictum Mariæ Principiſſæ Parmenſis.* Pulcherrimum dictum Mariæ Principiſſæ Parmenſis refert P. Rho in hiſtoria virtutum: dum enim illi præſentaretur effigies Crucifixi, ut ab eo aliquod in acerbiſſimis doloribus ſuis poſtularet lenimen, reſpondit: *Ergone ab hoc DEO, pro meis ſceleribus tam immaniter habito, ullam à ſupremis hiſce doloribus vacationem audeam poſtulare? Non faciam: hic enim morientis Salvatoris habitus, Patientiæ me admonet, atque imitationis.*

§. 14. *Alia reſponſio ad propoſitam quæſtionem ex revel. facta S. Cath. Sen.* Reſpondeo iterum quæſtioni propoſitæ, id quod aliquando Chriſtus D. dixit S. Catharinæ Senenſi, teſte Bloſio in conclavi animæ, c. 10. Dixit Dominus ad S. Cath. *Volo te noſſe, quòd omnes pœnæ, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate conſiſtunt, quia ſi voluntas eſſet ordinata, & concors cum voluntate mea, careret quodammodo pœnâ. Quamvis enim, qui hâc ſanctâ ordinatâque voluntate præditus eſt, ſentiat laborem, & dolorem; quidquid tamen amore mei ſponte patitur, quaſi ſine pœna portat, libentiſſimè enim illud ſuſtinet; conſiderans & ſciens, meam eſſe voluntatem, atque promiſſionem, ut patiatur.*

§ 15. *Pulchrum dictum Stephani Anachoretæ.* Hujus mentis videtur fuiſſe Stephanus Anachoreta, quem cùm chyrurgus variis ſectionibus membrorum immaniter torqueret, & ideo circumſtantes fratres amarè flerent, ipſe dixit: *O filii, quidquid DEVS facit, ad bonum finem facit. Patiamur: & luctemur, dum in ſtadio ſumus; meliùs eſt, breviculo dolore corripi, quàm ſuppliciis æternis involvi.*

§. 16. *Adhortatio.* Finio,& rogo ægros,ut ſive liberationem à morbis petere velint, ſive non, (utrumque laudabiliter peti poteſt, ſe ſolentur, & ad patien-

patientiam animent,) revelatione factâ à Christo D. S. Gertrudi, in qua illi dixit: *Quibusdam utiliùs est, diversis gravaminibus in præsenti vitâ vexari, quàm magnam dulcedinem & consolationem accipere. Afflictionibus, morbis, &c. magis promovetur illorum salus, & exornantur animæ eorum secundùm beneplacitum cordis mei. Quod quamvis eos in hoc exilio lateat, tantò tamen dulcius id experientur in vita æterna: quantò hîc fideliùs laboraverint, & tribulationes quasque pro honore, vel amore nominis mei patienter perferendo.* Ita omnes cupio esse animatos, &c.

EXHORTATIO IV.

DE PATIENTIA.

Patientia vobis necessaria est, ad Hebr. 10. v. 26.

SYNOPSIS.

QVomodo S. Ignatius, & eximii è Societate JESU Viri, nos docuerint patientiam.

§. 1. Ignatius ardenter desideravit pati pro Christo.
§. 2. Quanti æstimaverit tribulationes.
§. 3. Propositio.
§. 4. P. Thomas Sanchez auream nobis proposuit praxin patiendi.
§. 5. Item, P. Ludovicus de Ponte.
§. 6. Et Alphonsus Rodriquez.
§. 7. Item P. Alvarez, & alii.
§. 8. Piissimum dictum Margaritæ Reginæ Hispaniæ.
§. 9. Eximii fructus tribulationum, v. g. æterna gloria.
§. 10. Tribulatus est Filius DEI.
§. 11. Testimonium Iobi.
§. 12. Exemplum & testimonium Christi. D.

CUidam graviter ferenti adversa, si te DEus faciat multa pati, inquiebat, *est, velle te magnum Sanctum facere; si verò tu cupias magnus fieri Sanctus, roga eum, ut magnam tibi patiendi materiam* *§. 1. S. Ignatius ardenter desideravit, pati multa pro Christo.*

riam prabeat; neque enim lignum aptius excitando foco amoris DEI, quàm lignum sanctæ Crucis est, quo usus Christus ad sacrificium charitatis immensæ. (Daniel Bartolus l.4. de Vita S. Ignatii.) Quod Vir sanctissimus alteri suasit, adeo dedit executioni, ut Petrus Ribad. l.5. Vitæ, c.10. de illo dixerit: *Tanti æstimabat S. Ignatius persecutiones, & vincula, quibus pro Christo sæpius fuerat constrictus, ut diceret, si quæ creata sunt à DEO omnia, alterâ in parte stateræ collocarentur: in altera carcer, catenæ, probra; vix illa omnia, præ istis, momentum ullum apud se habitura. Neque verò creatam ullam naturam posse lætitiam talem in anima procurare, quæ æquare possit gaudium illud Spiritus sancti, quod DEUS infundit mentibus eorum, qui multa magnaque pro ejus amore pertulerunt.*

§. 2. Quanti S. Ignatius æstimaverit tribulationes.

Unde familiariter à Socio interrogatus, *Ecquam duceret omnium expeditissimam simul & brevissimam viam, quâ ad optimæ vitæ conditionem evaderetur? quâ adversis,* inquit, *rebus exercemur, Christique causâ adversa patimur; & stude tu hanc ab eo gratiam inire, quam ubi acceperis, non sanè solam habebis, sed multis aliis comitatam.* Quæ omnia locutus fuit expertus; siquidem DEO ita volente, factus est quasi omnium peripsema, & in carceribus probatus, in calumniis, opprobriis, tribulationibus, & ærumnis quibuscunque; sæpe raptatus ad tribunalia, sæpe plagis ob DEI causam contusus, verborum injuriis proscissus. Quot sanctificavit carceres, quot sannas devoravit? quot iniquissimis criminationibus fuit objectus? sæpe expulsus, & se propriâ exturbatus, ut noxius, ut nefarius hypocrita, ut sator turbarum, & religionis eversor. Nihil dicam de fame, siti, &c. Hæc tribulationum semita S. Ignatio fuit semita ad altissimam perfectionem, &c. Ita ligno Crucis excitavit flammam amoris, quo flagravit erga DEUM, & Christum D.

§. 3. Propositio.

Verùm meus mea non est, vobis minari vincula, carceres, opprobria, &c. Minutiora proferam, in quibus opto nos imitari eximiam patientiam in rebus practicis, quæ quotidie nobis occurrunt; & quare cum gaudio similia adversa forti animo perferre debeamus.

§. 4. P. Thomas Sanchez.

Eximius filius & imitator S. Ignatii fuit P. Thomas Sanchez, qui praxin, de quâ ago, ita de se ipso nobis proposuit in suis schedis.

post

post mortem repertis: *Vita mea quotidiana & universa, similis esse debet negotiationi spirituali, nec non mercatori cupido, & ad omne lucrum intento; ac primò omnium circa charitatem, mea commoda alienis posthabebo. Dein negotiatio mea versabitur in omni studio patientiæ exercendæ. Benignè feram, si contingat mihi, necessaria deesse, & ex oblivione, ea mihi minimè suppeditari. Hoc unum maximè curabo, ut ei omni accuratissimè serviam, qui me majori molestiâ, & vexatione affecerit. Quando ex cubiculo egrediar, me ad hoc comparabo, atque etiam optabo, ut aliquid adversi mihi inferatur. Quòd si quem aliquid petiturus accedam, DEVM precabor, ut id mihi denegetur, &c. Vt ita patiendi materia mihi non desit.* (Ex his poterunt fieri pulchræ digressiones ad illa, quæ in vita communi Societatis adversa nobis, & sensualitati contraria, accidere possunt; verbo, ad omnem de die & nocte patiendi materiam in Societate, quoad officia, quoad personas, cum quibus habitamus; quoad victum, vestitum, &c.) *auream nobis proposuit praxin patiendi.*

Eximius filius & imitator S. Ignatii fuit Ludovicus de Ponte; § 5. hujus nocturno tempore sæpiùs fuerunt audita suspiria, & colloquia cum Crucifixo: *Cede mihi, Domine, ista Vulnera, ista inquam, Dominè Vulnera! O qualia Vulnera! sive, hanc da mihi gratiam, ut pro te patiar:* exauditus fuit ipsa die Parasceves, cùm sentire cœpit gravissimos podagræ dolores, qui in reliquam vitam totam, cum magnâ gratiarum actione illi adhæserunt. Ut ad patiendum esset promptior, capitum, seu fontium nomina, ex quibus patiendi quidpiam occasio possit oriri, in scedula ita notavit: 1. Necessitates corporis, fames, sitis, morbi, tristitia, fatigationes. 2. Injuriæ à creaturis irrationabilibus, caloris, frigoris, siccitatis, humiditatis, pulicum, muscarum, &c. 3. Necessitates spiritus, desolationes, passiones, &c. 4. Tentationes dæmonis. 5. Conditiones hominum, colericæ, phlegmaticæ, melancholicæ, &c. 6. Calamitates Ecclesiæ, regnorum, &c. Et subdit: *Omnia hæc pati debes cum resignatione in divinam providentiam.* *Item P. Ludovicus de Ponte.*

Cùm in his & similibus adversis tale aliquid accidisset piissimo fratri Alphonso Rodriquez, ita precari fuit solitus: *Gratias tibi ago, laudo te, ac benedico DEVS meus, ob hæc abs te missa honoraria, quibus mihi datur, ut tui amore aliquid patiar.* § 6. *Et Alphonsus de Castro.*

§. 7. *Item: P. Balthasar Alvarez. & alii.*

P. Balthasar Alvarez, vir notissimæ sanctitatis, praxin, de qua ago, ita proposuit: 1. *Ferre cum gaudio, quia DEVS ita vult, temporum injurias, frigora, calores, tempestates, &c.* 2. *Ferre molestias & incommoditates corporis, undecunque proveniant.* 3. *Ferre aliorum mores, nostris contrarios.* 4. *Ferre innocenter ignominias, contemptus, injurias, &c.* 5. *Tolerare patienter afflictiones spiritus, ut sunt ariditates, scrupuli, &c.* In similibus objectis B. Henricus Suso dicere fuit solitus: *Fili, si in ferventi oratione, in meditatione, in sacrificio Missæ, in S. Synaxi-lactatus es uberibus Christi, & mannâ cælesti pastus; cogita te in hoc, in hoc, &c. potari felle, à DEO & hominibus, nonnihil ablactandus.* S. Saturninus Martyr inter tormenta has protulit voces: *Breviter patior! libenter patior! gratias ago, nec agere sufficio. Christe, da sufferentiam; tibi laus, tibi decus & gloria!* S. Theresia, *Afflictiones meas, cum omnibus mundi thesauris, nolim commutare.* Et ad Sorores suas: *Vestrum esse credite, quæ plus pati potest, plura DEI nomine patiatur, hancque omnium fore beatissimam. Quæcunque autem hoc patiendi desiderium in se non sentiet, illa se veram Carmelitanam esse non existimet,* (applica Religioso Societatis,) *cùm non tam recreationes, quàm patiendi materiam desiderare debeamus.* B. Liduina Virgo, plurimis gravissimisque vexata morbis & doloribus, cum ingenti gaudio dixit: *Domine, quàm gratum mihi est, & jucundum, quòd mihi non parcas, nec manum tuam à me tollas! quod enim in me, tua hoc pacto voluntas sanctissima, atque divinum beneplacitum compleatur, gaudeo vehementer.*

§. 8. *Piissimum dictū Margaritæ Reginæ Hisp.*

Libenter, ut puto, audistis, quod de Serenissima Margarita Austriaca, Philippi III. Hisp. Regis Conjuge, refertur. Gravibus morbi molestiis affligebatur, cùm de gynecæo quædam pia Virgo, miserta Reginæ, sacram Christi de Cruce pendentis effigiem ei proposuit, suggerens: *Vt ab eo mali remissionem flagitet;* ad quam Margarita: *Apage filia, neque enim decet, Christum in Cruce pendere, confectum plagis & ærumnis, me autem liberari velle minoribus malis;* ac mox ad Christum oculos convertens, *Auge*, ait, *Domine dolores meos, & da patientiam.* Ecce praxin patientiæ, quam nobis suasit S. Ignatius; ecce praxin, quæ nobis indies est necessaria: & si usu illam acquiramus, causa magni solatii. Ut S. Ignatius dicere fuerit

ausus:

ausus: *Universum mel, quod colligi solet ex floribus delitiarum hujus mundi, tantam non habere dulcedinem, quantam habet Domini IESU fel & acetum,* id est, *pati cum Christo, & pro Christo.* Causæ sunt claræ.

Pati libenter adversa, est signum æternæ salutis. Breviter Ecclesiasticus c. 31. v. 10. *Qui probatus est,* (scilicet in igne tribulationis,) *& perfectus inventus est, erit illi gloria æterna.* Hoc, & contrarium, de æterna damnatione eleganter exposuit S. Basilius hom. 10. *Quando,* v. g. *verborum contumeliâ tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an DEO per patientiam adhæreas, an potiùs per iram, ad inimici partes declines. In area sumus, qui ad ventum contumeliæ & persecutionis firmus manet, triticum se probat, in horrea Dominica congregandum, qui illo impellitur, & huc illucque abripitur, se paleam demonstrat, æternis ignibus concremandam.* (Religiosis hæc applica, saltem quoad ignes purgatorii.) §. 9. *Eximius fructus tribulationum, v. g. æterna gloria.*

Super versum 12. cap. 3. Proverbiorum: *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi in filio complacet sibi;* hoc simili usus fuit Idiota l. 2. contempl. c. 21. *Qui ambulare non vult vias duras tribulationum, non est filius DEI, sed servus. Scribitur namque, quòd servus non manet in domo in æternum, filius autem manet; nam servus offendens Dominum, non flagellatur, sed ejicitur domo, & odio habet Dominum suum, illumque quantum potest, fugit. Filius autem patrem offendens, flagellatur à patre, sed à domo non expellitur; nec habet patrem suum odio, nec ab eo fugit, & idcircò dicitur, quòd filius manet in domo in æternum.* Idem sentiendum est de electis, & reprobis, (fiat pulchra applicatio.) §. 10. *Tribulatus est filius DEI.*

Ideo Job tot calamitatibus obrutus, acutè dixit c. 30. v. 12. *Ad dexteram Orientis calamitates meæ surrexerunt.* Quærunt Interpretes, cur Job dixerit, *suarum calamitatum turbines, potiùs ad dexteram, quàm ad sinistram contra se insurrexisse.* Cui quæstioni eleganter respondit Gilbertus Ab. ser. 38. *Iure ventum illum tribulationum, quæ in eum detonuêre, dexterum vocavit, qui nihil ei quivit sinistrum inferre, quin etiam coronam gloriæ viro justo non parum adauxit, quando virtus probata enituit, & dirè provocata excrevit.* (Poterunt fieri pulchræ digressiones.) §. 11. *Testimonium Iobi.*

Itaque

§. 12. Exemplum & testimonium Christi D.

Itaque tribulatio præcedit gloriam. Verba Christi D. sunt clara Luc. 24. v. 26. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam!* Intravit in gloriosa suâ ad cœlos Ascensione; sed ipsi Angeli non salutarunt illum Regem gloriæ, priusquam eundem ut strenuum in sua passione bellatorem agnovissent. Nam aliis quærentibus, *Quis est iste Rex gloriæ?* & aliis respondentibus, *Dominus fortis: & potens Dominus in prælio;* utique in prælio passionis suæ, tum statim omnes mirâ consensione acclamarunt: *Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ,* Ps. 23. v. 8. & 9. Quod prudenter advertit Tertullianus l. de cor. mil. c. 1. „Favores post fella gustavit, nec antè Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Judæorum proscriptus in Crucem.„ Ideoque Christus D. (teste S. Bernardo, ser. 1. de verbis Isaiæ) „nunquam socium passionis à communione gloriæ patietur arceri. Ita S. Bern. Firmans illud exemplo latronis, quem Christus Servator eodem die, quo habuit Crucis socium, habere voluit beatitudinis consortem; hodie mecum eris in paradiso. Ut latro adhuc de cruce pendens, dicere potuerit, quod deinde dixit S. Paulus ad Rom. Gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI, non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus. Siquidem teste S. Bernardo: In tribulatione spes gloriæ, imò & ipsa in tribulatione gloriæ continetur; sicut spes fructus, & ipse fructus in semine est.„ Itaque, cùm & vos incidititis in tribulationes, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis,* Matth. 5. v. 12. (Vide similia ep. 1. S. Petri c. 4. *Communicantes Christi passionibus,* &c. ep. 2. ad Corinth. c. 4. v. 8. *In omnibus tribulationibus,* &c.)

DE VIRTUTE OBEDIENTIÆ, EXHORTATIONES QUATUOR.

EXHORT. I.

EXHORTATIO I.

DE OBEDIENTIA.

Inveni David filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, In Act. Ap. c. 13. v. 22.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

VIR secundùm cor DEI, est vir obediens. Ingens proinde est excellentia hujus virtutis; præsertim si talis sit, qualem in suis filiis requirit S. Ignatius. De utroque agit hæc exhortatio.

NOlo conglobare eximia encomia nobilissimæ hujus Virtutis; sufficiant pauca, sed sublimia elogia; cùm illa in prima exhortationis parte protulero, in altera agam de ejus perfectione; sive, qualis illa esse debeat. *§. 1. Propositio.*

Omnium encomiorum, quæ huic virtuti tribui possunt, fundamentum posuit Spiritus S. in sacris literis l. 1. Reg. c. 15. v. 22. *Nunquid vult Dominus holocausta, & non potiùs, ut obediatur voci Domini:* *§. 2. Encomia Virtutis Obedientiæ. Est holocaustum.*

Domini: melior est enim obedientia, quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. Quod dictum sancti Patres semper suspexerunt, & variis modis exornarunt, inter quos S. August. Obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatu-,, ra rationali, mater quodammodo est omnium, custosque virtu-,, tum. Et S. Laur. Justin. Sicut sine duce non confiditur de victo-,, ria; ac sine gubernatore non pervenitur ad portum: ita absque,, obedientia impossibile est, in hujus vitæ pelago non periclitari;,, ista enim facit hominem triumphare, & nobiles reportare victo-,, rias.

§ 1. *Est virtus Angelica.* Bene advertendum est, quòd cùm cœlestis mundi Magister, Christus D. Salvator noster, suis Apostolis & nobis præscribere voluit, beatæ vitæ, salutisque præsidia, quæ à DEO nobis petenda sunt, statim jusserit, efflagitandam esse Obedientiam, & tam perfectam, sublimem atque excellentem, ut cùm ad Angelicam dignitatem illam voluerit elevare, dicendo: *Ita orabitis: Pater noster,* &c. Et in tertia petitione: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, sic & in terra.* Optimè! Obedientia est enim virtus Angelica, ex mente S. Chrysostomi, ser. 30. de div. Quid præcipuum in Angelis, &,, magnificum videmus? profectò, quòd cum omni curâ obediant,, DEO; quod David etiam admirando dicebat: potentes virtute, fa-,, cientes verbum ejus: huic enim bono nihil æquale est, etiamsi,, millies incorporei sint, hoc namque maximè beatos illos efficit,,, quòd obediant præceptis DEI; quare cùm ad eos nos mittat Chri-,, stus, insigne nobis imitandum exemplum ostendit.,, Si mihi injungeretur, aliquem Religiosum Societatis JESU, & verum filium S. Ignatii, Angelico efferre encomio, utì vellem his verbis S. Chrysostomi, & dicere: Quid præcipuum in Jesuita, & magnificum videtur? profectò, quòd cum omni curâ studeat servare Regulas, quas de obedientiâ nobis reliquit S. Ignatius; admirando dicere possumus de Minimâ Societate: Potentes, hoc est, subtilissimi Philosophi & Theologi, facundissimi Concionatores, &c. faciunt verbum ejus; adeo ut etiam imperfecti Superioris, (qui tamen vice Christi fungitur,) se subjiciant voluntati. Hoc gloriosos illos facit, & Angelis similes.

Altiùs

Altiùs discursum meum promovet S. Ambrosius, dum ait: *Potestatis auctor*, (& Angelorum Rex & Dominus) *obedientiæ magister, ad præcepta-hujus virtutis, suo nos informat exemplo. Quale nunquam spectavit Orbis.* Non enim contentus fuit, in matris utero, primoque conceptu, Obedientiæ votum nuncupasse, quo se æterno Patri ad mundi asserendam salutem obligavit; non contentus, ex obedientia, ob præceptum Augusti, nasci in stabulo; non contentus esse subditum Josepho & Mariæ, &c. obedientiæ jugum noluit deponere, donec post mortem dicere posset S. Paulus ad Philip. 2. v. 2. *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Omitto multa similia encomia Obedientiæ, in nobis magnam ejus existimationem in mentibus nostris causare debet sanctitas & auctoritas S. P. N. Ignatii, qui in suis Regulis tot titulis nobis illam commendavit, & quidem Obedientiam perfectissimam. §. 4. *Cujus Christus O. dedit exemplum.*

Hæc vocula aperit mihi portam ad alteram partem Exhortationis, ut ostendam, in quibus obedientiæ perfectio consistat; vel quid requiratur, ut talis illa sit, qualem S. Ignatius in filiis suis desideravit. S. Gregorius M. lib. 35. mor. c. 10. exigit ante omnia, Abnegationem voluntatis. *Obedientia*, inquit, *victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro; per obedientiam verò voluntas propria mactatur*; (utitur his verbis S. Ignatius in sua ep. de obed.) *Tantò igitur quisque DEUM citiùs placat, quantò ante ejus oculos, repressâ arbitrii sui superbiâ, gladio præcepti se immolat.* Quo supposito fundamento, sicut & illo S. Augustini, quòd Christiani hominis perfectio in eo consistat, ut perfectè cum DEO, summo bono copuletur; D. Thomas hunc format discursum 2. 2. quæst. 104. art. 3. *Inter virtutes morales tantò aliqua potior est, quantò quis majus aliquid contemnit, ut DEO inhæreat. Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter DEUM, quorum infimum, sunt bona exteriora; medium autem sunt bona corporis; supremum, sunt bona animæ; Inter quæ, quodammodo præcipuum est Voluntas; in quantum scilicet per voluntatem homo, omnibus aliis bonis utitur. Et ideo, per se loquendo, laudabilior est Obedientiæ Virtus, quæ propter DEUM contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ Virtutes morales, quæ propter DEUM, aliqua alia bona contemnunt.* §. 5. *Ad perfectionem obedientiæ requiritur abnegatio propriæ voluntatis.*

Et addit paulò pòst: *Aliarum virtutum opera, ex eo vim, gratiamque consequi, & esse meritoria apud DEUM, quòd fiant, ut obediatur voluntati divinæ.*

§. 6. *Testimoniũ S. Bonav.* Mentem S. Gregorii M. S. Augustini, S. Thomæ Aquinatis confirmat Seraphicus Doctor S. Bonav. in Centiloq. sect. 44. *Quid est Obedientia? Spontaneum & rationabile propriæ voluntatis sacrificium; vel pro studio propriæ voluntatis abnegatio.* Et sanè destitui illum suâ voluntate, necesse est, cui alius DEI loco & auctoritate præsideat; juxta Regulam Juris: *Velle non creditur, quod obsequitur imperio patris, vel Domini.*

§. 7. *Quænam sit voluntas propria.* Ad clariorem hujus puncti cognitionem, sciendum est, quænam sit voluntas propria, cujus abnegationem exigit obedientia. S. Bernardus ita illam definivit: *Quæ non est communis cum DEO & hominibus; sed nostra tantùm, quando aliquid volumus, non ad honorem DEI, non ad utilitatem proximi, sed propter nosmetipsos faciemus. Non intendentes placere DEO, & prodesse fratribus; sed satisfacere propriis motibus animorum. Cum hac voluntate, qui obediens esse vult, continuum debet gerere bellum; propria voluntas est quidam aper, est quædam hydra, cum qua assiduò Christiano Herculi pugnandum est. Solius enim DEI est,* (S. Anselmus de Incarn. c. 4.) *propriam habere voluntatem, id est, quæ nulli sit subdita; quicunque igitur propriâ voluntate utitur; ad similitudinem DEI, per rapinam nititur, & DEUM propriâ dignitate, & singulari excellentiâ privare.*

§. 8. *Requiritur insuper abnegatio proprii judicii. Discursus S. Ignatii de hac re.* Sed ut victoriæ, quas Obedientia de propria hominis voluntate solet reportare, sint adhuc sublimiores, & majoris perfectionis ac meriti, alter quoque Obedientiæ hostis, & periculosior subjugandus est, scilicet proprium judicium, arbitriique sententia; quam nisi quisque infregerit, atque ab se abdicare didicerit, nunquam Obedientiæ sublimem perfectionem assequetur. Quam S. Ignatius claris verbis ita proposuit: „Faciendum est illi, qui ad hujus virtutis perfectionem aspirat, ut præter voluntatem, etiam intelligentiam offerat DEO; nec solùm idem velit, sed etiam idem sentiat, quod Superior, judicioq; illius subjiciat suum; quoad potest devota voluntas, intelligentiam inflectere, atque efficere, ut in hanc potiùs, quàm aliam partem inclinet.„ Rationes, quas Vir sanctus sub-

subjungit, sunt magni ponderis. Cùm enim obedientia sit re-„ nuntiatio quædam integra, per quam omni suo jure sponte dece-„ dit homo, ut divinæ providentiæ Superioris sui ductu, gubernan-„ dam, atque possidendum ultrò se abdicat, atque emancipet; ne-„ gari non potest, quin obedientia comprehendat non solùm exe-„ cutionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter fa-„ ciat, verùm etiam judicium, ut quæcunque Superior mandat, ac „ sentit, in quibus nulla sit sceleris contagio, eadem inferiori, & re-„ cta, & vera esse videantur, quatenus vi suâ potest voluntas intelli-„ gentiam flectere.

Alibi ait: Obedientia, tum in executione, tum in volunta-„ te, tum in intellectu, sit in nobis omni ex parte perfecta, cum mag-„ na celeritate, & gaudio, & perseverantia; quidquid nobis injun-„ ctum fuerit, obediendo: omnia justa esse, nobis persuadendo. „ Omnem sententiam & judicium nostrum contrarium, cæcâ „ quâdam obedientiâ abnegando; & id quidem in omnibus, ubi „ definiri non potest, aliquod peccati genus intercedere.

§. 9. *Prosecutio.*

Ratio fundamentalis, propter quam S. Ignatius exigit abnegationem judicii, est, quòd judicio suo quisque falli, & errare facillimè potest, & maximè in propriis rebus atque negotiis, in quibus tam densæ sæpe oriuntur tenebræ, propter animi perturbationes, quæ lumen menti eripiunt, intellectum obscurant, ut bene vulga-„ riter dicatur: *In causa propria neminem bonum & æquum Judicem esse posse*; & Sapiens nos moneat Proverb. 3. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Addebat S. Ignatius, *hoc ni fieret, clarissimarum omnium virtutum ruinam sequi, atque obsolescere, quæ alioquin piam & devotam obedientiam comitari solent.* Minuitur obedientiæ celeritas, constantia, hilaritas, &c. nascitur tristitia, tædium, cum suspicionibus, temerariis judiciis, &c. Intercidit læta pax, & animi tranquillitas, diligentia, laudabilis ardor, & fervor, & promptitudo; succedunt perturbationes, molestiæ, obmurmurationes, excusationes, aliaq; ejusmodi vitia, quibus obedientiæ pretium, valor, ac meritum prorsus extinguitur.

§. 10. *Ratio, ob quam hæc abnegatio requiritur.*

Teste Maffejo, l. 3. c. 7. Vitæ, identidem S. Ignatius dicere fuit solitus: *Obedientis nomine indignum haberi oportet, qui legitimo Superiori,*

§. 11. *Aliæ propositiones S. Ignatii de vero obedienti.*

riori, non cum voluntate judicium quoque submitteret. Unde fiebat, ut hanc ille virtutem, utì prior in se, ita & in suis exactam, absolutamq; requireret, hanc suæ Societatis tesseram esse volebat, notam Sanctitatis; hâc qui careret, cum altero tantùm pede inter Religionis septa versari. Quapropter minimè quoque omittebat, in tempore, quos idoneos noverat, ad perfectũ judicii holocaustum, absurdis primâ specie, atque intempestivis imperiis exercere, eorumq; patientiam, sanè quàm liberaliter; Ita P. Sebastianum Romæum, Rectorem Collegii Romani, ad Professorum domum advocavit, ut coquo inserviret, & aquam è longinquo afferret; quod vir humillimus & obedientissimus promptissimè fecit; exemplo scilicet amantissimi Patris S. Ignatii, qui similia opera obedientiæ non tantùm imponebat, sed ipse exequebatur; paratus, si Pontifex juberet, sine ullo viatico, quocunque mitteretur, abire; imò se se, malè cohærenti navi, remisque ac velis nudo, in altum mare committere.

§. 12. *Alius elegantissimus discursus de duplici specie obedientia.*

Sed redeo ad materiam, in quo vera obedientia consistat. Cùm aliquando ex S. Ignatio quæsitum esset, quænam obedientiæ foret dignitas, atque præstantia? Quemadmodum, inquit, in ho- ,,
minum vita, duæ sunt hominibus propositæ ad beatitudinem viæ; ,,
altera pervulgata & communis, quæ divinis præceptis servandis ,,
continetur; altera illorum tantùm, qui Christi consilia toto pe- ,,
ctore complectuntur, quæ via religionis est; sic in ipsa Religio- ,,
ne duo sunt obedientiæ genera, quorum alterum imperfectum ,,
est, alterum perfectum, in quo vis obedientiæ elucet. Imperfecta ,,
obedientia malè oculata est; perfecta sapienter cæca; illa judiciũ ,,
suum de rebus imperatis sibi servat; hæc judicium proprium non ,,
habet: illa in alteram propendet partem; hæc in neutram potiùs ,,
movetur: illa mandatis paret, judicio repugnante; hæc volunta- ,,
tem & judicium subjicit judicio & voluntati Superiorum; atque ,,
hanc virtutum omnium ducem, ac magistram, humilitatis filiam, ,,
nutricem charitatis, justitiæ comitem, securæ mentis juge convi- ,,
vium dicebat.

§. 13 *Quomodo obedientia sit facilis, ex se*

Sed quàm difficilis & ardua est talis obedientia? Respondeo cum S. Leone ser. 5. de epiph. *Nihil arduum est humilibus, nihil asperum*

sperum mitibus; unde non desit humilitas, non desit mansuetudo; non utique deerit DEO benignitas ad nos adjuvandos, ut animo non solùm æquo, sed perlibenti pareamus. Respondeo 2. cum illo Asceta: *Credite, Superiores à DEO regi, consiliorumque suorum habere eos causas, & fines, qui vos lateant, sperantes eâ viâ fore, ut nos DEUS regat; sic perfruemini pace magnâ, multumq́; brevì perficietis, si fiduciam in obedientia magnam collocaveritis.* *ardua & difficilia.*

EXHORTATIO II.

DE OBEDIENTIA.

Accepimus gratiam ad obediendum, ad Rom. 1. v. 5.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

GRatia hæc in viro obedienti, duo involvit, ex mente S. Ignatii. Primum est, Opera obedientiæ per totum diem perficere cum fervore, ex actuali amore obedientiæ; secundum est, se totum permittere DEI & Superioris gubernationi. Quæ duo hæc exhortatio proponit.

§. 1. Opera obedientiæ debemus exequi sine languore, sed instanter.

REM ipsam aggredior, 1. Prout in omnibus actionibus, ita & in actibus Obedientiæ, culpanda est quædam desidia, vel quidam languor, vel tædium animi & spiritus, quo illa, quæ tamen quotidie peragenda sunt, juxta domesticam disciplinam, damus executioni. Tales languidos sancti Patres vocarunt *testudines*, vel *statuas Dædali*, quæ animam habere videbantur, sed vitâ carebant, *cadavera colorata*, quæ non vivent. Ita sæpe meditamur ex præscripto regulæ, sed sine anima, sine spiritu, (poterit fieri pulchra inductio.) Cùm tamen aliud nobis præscribat Ecclesiasticus cap. 9. v. 10. *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare.* Instanter, hoc est, secundùm textum græcum, pro virili parte, quantum vires patiuntur; uno verbo, quantum potes, & cum possibili celeritate, sive promptitudine quâdam ad statim exequenda illa, quæ imperata sunt.

§. 2. Et celeriter, cum festinatione.

Causam scitè exprimit Seneca lib. 2. de beneficiis: *Omnis benignitas,* (dicamus idem de Obedientia) *properat, & proprium est libenter facientis, citò facere. Qui tardè, & diem de die extrahens proficit, non ex animo fecit; ita duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis. Tardè enim velle, nolentis est; ergo citò velle, volentis est.* Hanc celeritatem in obediendo nobis præscripsit S. Ignatius, dum toties suis inculcavit, opera omnia facienda esse propter DEUM, ad majus DEI obsequium, & beneplacitum, singulari quâdam curâ, & cum omni diligentia in Domino. Itaque obediens peragit v. g. meditationem cum omni diligentia in Domino. (Ita discurre de omnibus quotidianis nostris functionibus.)

§. 3. In quibus consistat noster progressus in virtute.

In quo bene observandum est, idque juxta mentem S. Patris N. nostram perfectionem & progressum nequaquam positum esse in multis extraordinariis, aut speciosis rebus agendis, sed in nostris ministeriis, & ordinariis exercitiis, à Regulis & Superioribus præscriptis, bene atque accuratè obeundis, quibus omnibus *ab ignavia omnes longissimè debemus esse remoti; nec ullam* (verba ferè sunt S. Cyrilli Alex.) *in agendo cunctationem admittere, qui DEO gratam & probatam vitam volumus instituere.*

§. 4. Aureum instinctio Dio-

Dion. Carthus. de reform. can. ita nos instruit: *DEUS Majestatis immensæ, in suo obsequio despicit indevotum,* (potes fusam facere digres-

digreſſionem, quinam in operibus obedientiæ non ſint devoti.) *evomit tepidum, negligentem & impium deteſtatur. Si Principes ſæculi hujus exigunt ſibi reverenter & promptè ſerviri à ſuis miniſtris, quantò magis Dominus Univerſorum.* Ideoque utiliſſimum eſt, ut in omnibus obedientiæ actionibus, etiamſi minimæ & exiguæ videantur, memores ſimus, DEUM eſſe præſentem. Quis enim in operibus ſuis erit ſegnis, ſi cogitet, intelligat, & credat, ſe agentem à DEO videri, Judice, Vindice, Remuneratore: *Sicut oculi ſervorum* occinit David pſ. 122. v. 2. *ad manus ſpectant Dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Et S. Bernardus: *Expedit omni animæ, Deum ſemper attendere, tanquam proprium non modò adjutorem, ſed etiam inſpectorem. Quomodo enim negligens poterit fieri, qui intuentem ſe Deum, nunquam deſinit intueri.* *nyſ. Carthuſiani in hac materia.*

Ex conſideratione præſentis DEI, oritur neceſſariò ſeria quædam applicatio animi ad rem agendam; id eſt, actus quidam animi, quo is ſe, ſuaſque vires omnes admoveat, addicat, adhibeat, ad rem quampiam agendam; qui enim animum applicat, ſe totum applicat; quia potior hominis pars eſt animus; & corpori, quæ altera pars eſt, imperat. Unde à Marco Tullio l. 1. de invent. ſic deſcribitur: *Animi aſſidua & vehemens ad rem aliquam applicata, magna cum voluntate occupatio.* Et Humbertus: *Illud fieri dicitur diligenter, quod fit cum vehementi applicatione.* Vel, ut Plato ait: *Curat autem quiſque id maximè, quod maximè diligit.* §. 5. *Quid ſit vera diligentia.*

Quantam diligentiam deſideraverit S. Ignatius, ex eo colligere poſſumus, quòd dixerit: *Homini Religioſo, in negotiis exequendis, utendum ratione ac diligentiâ, perinde ac ſi non eſſet in auxilium implorandus Deus. Nihilominus Deum implorandum, atque ab ejus benigna providentia & auxilio, dependendum æquè, ac ſi nihil eſſet in humana ratione, prudentiaq; præſidii.* §. 6. *Senſus S. Ignatii in hoc puncto.*

Imitatione digniſſimum eſt, quod P. Lud. de Ponte refert de quodam Patre Franciſco Godoyo, vero filio S. Ignatii: Hic omnes ſuas actiones, quàm maximâ poſſet exactione & perfectione peragebat; cùmque in culinam, ut coquo operam daret, ſe quandoque conferret, ita ſartagines, ollas, tripodes ferreos tergebat, ac defricabat, ut ſplendentes redderet; accidit, ut quidam hæc in- §. 7. *Fervor P. Franciſci Godoy in operibus obedientiæ.*

tuens diceret: Cur tantum laborem rebus illis impenderet, quæ „ mox iterum essent inficiendæ? Cui respondit Franciscus: Se „ quotidie vesperi offerre sacratissimæ Virgini omnia opera, quæ „ illo die fecisset; pudere autem se, rem aliquam offerre negligen- „ ter factam, ideoque quâ posset diligentiâ, cuncta peragere. „ O veros Ignatii filios! Quæ cùm ita sint, cum diligentia in rebus obedientiæ peragendis, tam nobis sit proficua; negligentia verò, (ut fusè probant SS. Patres) tanta rei spirituali inferat damna, æquum est, &c.

§. 8. *Pars altera. Verus obediens se totum permittit Deo: de quo eleganter Epictetus.* Si hæc diligentia, alacritas, promptitudo, applicatio, proveniat ab excelso animo, qui DEO se totum permittit, atque ab operante ejus manu duci se sinit ac gubernari, non video, quid ad eximiam obedientiæ perfectionem possit desiderari. De quo puncto elegantissimè ita discurrit Epictetus è Stoica Schola Philosophus, morum magister eximius & absolutissimus, ut illum vocavit Origenes, ita ait: *Qui DEO se adjunxerit, tutò transiturus est vitæ hujus iter. Quid verò est, quod appellas se DEO adjungere? ut quod ipse volet, ipse quoque velis, & quod nolit, ab eodem ipse abhorreas.* Ac deinde se discipulo in exemplum proponens, sic loquitur, l. 4. c. 7. *Ei quod accidit, semper acquiesco, melius enim est, quod vult* DEUS, *quàm quod ego volo; adsum ei servus & minister, adeoque pedissequus, ad eadem contendo, nec alia peto. Idemque quod ipse, volo ego quoque, & sentio.*

§. 9. *Prosecutio.* Et l. 3. c. 5. exoptans integram hanc cum divina voluntate conjunctionem, de qua possit sibi sub mortis tempus gratulari, ita scribit: „ Utinam loqui cum DEO sic possim, num tua præcepta „ prætergressus sum? num appetitionibus, quas à te habeo, ad alia „ obtinenda sum usus? num sensibus aliter? num anticipatis motio- „ nibus, aliquando accusavi te, aut reprehendi tuam dispensatio- „ nem? ægrotavi, quando tibi visum fuit. Patienter, inops factus „ sum, cùm tu ita velles, sed gaudebam. Non præfui gubernando, „ quia noluisti; ideo ne expetivi quidem, nec vidisti me hanc ob „ causam tristiorem. An occurri tibi aliquando parum læto vul- „ tu? semper paratus, si quid mihi mandes, si quid significes. Nunc „ ex conventu illo, si vis me deducere, decedam. Gratias verò ago „ tibi,

tibi, quòd me tuum conventum celebrare permiſeris, atque in-,,
ſpicere opera tua, ac voluntati tuæ in omnibus obedientem fece-,,
ris. O utinam hæc cogitantem, hæc ſcribentem, hæc legentem,,
mors opprimat!,, Neque his contentus, brevi compendio eadem
diſcipulo ita inculcat: Oculos in DEUM attolle, ac dicito: Utere,
me Domine, ad quæcunque velis; tecum ſentio, nihil eorum de-,,
trecto, quæ tibi videantur, quæcunque velis, age. Vis me impera-,,
re? in privata vita agere? exulare! pauperem eſſe? divitem! ego ti-,,
bi pro omnibus his apud homines aſſentior.,, Revolvite Taule-
ros, Suſones, Bloſios, Caſſianos, &c. & ſi plus inveneritis,
quàm Gentilis ille Philoſophus nobis præſcripſit, victas dabo
manus.

Epicteti diſcipulum Demetrium audite perorantem, cùm ipſo abſente duo ejus filii eſſent mortui! Unum Dii immortales,, de vobis queri poſſem, quòd non antè mihi voluntatem veſtram,, notam feciſtis; prior enim ad iſta veniſſem, ad quæ nunc vocatus,, adſum. Vultis liberos ſumere, illos vobis ſuſtuliſtis? Vultis ali-,, quam partem corporis? ſumite: non magnam rem promitto, citò, totum relinquam. Vultis ſpiritum? quid ni, nullam moram fa-,, ciam, quò minus recipiatis, quod dediſtis: à volente fertis, quid-,, quid petieritis. - Non cogor, nihil patior invitus; nec ſervio DEO,, ſed aſſentio.,, Talia protulit Gentilis Philoſophus, utinam nos Religioſi idem ſentiremus! §. 10. *Idem ſenſit quidam Demetrius, Epicteti diſcipulus.*

Quiſquis ita ſentit, audiat cum ſolatio verba, quibus Chriſtus D. S. Brigittam fuit conſolatus: *Perfecta illa charitas eſt ad DEUM, quando homo ſibi de ſe nihil relinquit, ſed ad omnem virtutem ſe dilatat. Felix anima, quæ ita ſuis ſe rebus ſpoliat pro DEO, nihil ei negando, quo ille delectetur.* Et quidni ſperet, qui talis eſt, illam mercedem, quam DEUS Pater, coram eâdem S. Brigittâ, DEIparam alloquens, his verbis promiſit: *Quia tu mihi nihil negaſti in terris, ideo ego nihil tibi negabo in cælis.* Eadem gratia conferetur vero obedienti. Obediens, qui ſe totum DEO tradit, ambulat ſecurè. §. 11. *Promiſſio facta à Chriſto D. S. Brigittæ.*

Expertus id fuit Tobias Junior, qui dum Raphaëli comiti, ſe regendum, ſervandumq; commiſit, omnia proſperè ſucceſſerunt. Ducis conſiliis adjutus, immanem piſcem ex undis emergentem, §. 12. *Imitari debemus juniorem Tobiam.*

ſeque invadere conantem, ſtravit; opulentum matrimonium invenit, Aſmodæum fugavit; cæcitatem ab oculis parentis diſpulit; in ſumma, bonis omnibus fuit cumulatus. Quanta ex obſequentia ſuique integra traditione compendia, ac quæſtus! quibus probabiliter Tobias fuiſſet fruſtratus, ſi ducem ſuum rejeciſſet, vel monitis ejus moroſè fuiſſet obſecutus. Et quanta nos exſpectant bona, ſi non tantùm Angelum, ſed ipſum DEUM in Superiore ita ſequamur, &c. *Qui DEUM habet*, inquiebat ille, *quamvis ille cæteris omnibus careat, nullo indiget; DEUS ſiquidem omne bonum eſt, & omne bonum venit pariter cum eo.* Quod expertus David, affirmavit pſ. 72. v. 18. *Mihi autem adhærere DEO, bonum eſt; ponere in eo omnem ſpem meam; quid enim mihi in cælo eſt, & à te quid volui ſuper terram!* S. Auguſtinus l. 10. confeſſ. c. 28. *Cùm inhæſero tibi, nunquam mihi erit labor aut dolor; & viva erit vita mea, tota plena te: fietque, ut hoc tantùm ſciam, quia malè mihi fuerit præter te, non ſolùm extra me, ſed in meipſo, & omnis mihi copia, quæ DEUS non eſt, egeſtas.*

§. 13. Verbo & opere nos talia docuit S. Ignatius.

S. Ignatius: *Qui habet cor integrum, Superis affixum, quamvis poſſideat hîc nihil, deeſſe tamen ei poterit nihil; cùm DEUM habeat, in quo bono omnia lateant bona.* De Ignatio verò in Bulla Canoniz. Neque verò tantummodò cuſtodivit cor ſuum ab iis, quæ ſunt „ contra dilectionem, ſed etiam à ſe ipſo amorem rerum omnium, „ quæ DEUS non ſunt, prorſus abjecit, omnemque affectionem in „ eundem tranſtulit DEUM, illum omnino ſequi decernens, etiam- „ ſi toto cœlo, terrâque privaretur; unde quoque ſtatim terra ſor- „ deſcere, cœlum ſplendeſcere, creata omnia vileſcere, æterna al- „ lubeſcere, &c. In his imitemur S. Ignatium, & perfectiſſimam quandam aſſequemur obedientiam, &c.

EXHORT. III.

EXHORTATIO III.

DE OBEDIENTIA COECA.

Vt jumentum factus sum apud te, Psalmo 27. v. 23.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PErfecta Obedientia (inquit B. Humbertus,) est indiscreta, hoc est, novit discernere, quid, vel quare præcipiatur; sed ad hoc tantùm attendit, ut humiliter fiat, quod à majori præcipitur. Addit Alb. M. simpliciter & velociter. Hæc dicitur à SS. Patribus Obedientia cœca, de qua agit præsens exhortatio.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *Obedientia cæca, simul est oculata.*
§. 3. *Occurritur primæ objectioni, cæcam obedientiam esse jumentorum.*
§. 4. *Alia obedientia absolutè est cæca, alia suo modo.*
§. 5. *Qualis ergo requiratur cæcitas.*
§. 6. *Alius modus hujus cæcitatis.*
§. 7. *Altera objectio & responsio.*
§. 8. *Testimonia SS. Patrum, quanti æstimaverint cæcam obedientiam.*
§. 9. *Alia cæcæ Obedientiæ descriptio.*
§. 10. *Talis Obedientia est dæmonibus terribilis.*
§. 11. *Est apud DEVM magni meriti; quod ex pulchris historiis comprobatur.*
§. 12. *Alia historia.*
§. 13. *Admirabilis obedientia Alphonsi Rodriquez.*
§. 14. *Aureum monium Cassiani.*

IN priori exhortatione aliquoties Obedientiam vocavi cœcam: cùm hæc vocula ex una parte suas patiatur difficultates, & objectiones; ex altera verò, summam Obedientiæ, qualem S. Ignatius desideravit, in se contineat perfectionem; meretur unica hæc vocula, ut peculiari exhortatione discutiatur; quod, favente divinâ gratiâ, hâc mediâ horâ præstabo; si placet, attendite. *§. 1. Propositio.*

Et addit paulò pòst: *Aliarum virtutum opera, ex eo vim, gratiamque consequi, & esse meritoria apud DEUM, quòd fiant, ut obediatur voluntati divinæ.*

§. 6. Testimoniū S. Bonav. Mentem S. Gregorii M. S. Augustini, S. Thomæ Aquinatis confirmat Seraphicus Doctor S. Bonav. in Centiloq. sect. 44. *Quid est Obedientia? Spontaneum & rationabile propriæ voluntatis sacrificium; vel pro studio propriæ voluntatis abnegatio.* Et sanè destitui illum suâ voluntate, necesse est, cui alius DEI loco & auctoritate præsideat; juxta Regulam Juris: *Velle non creditur, quod obsequitur imperio patris, vel Domini.*

§. 7. Quænam sit voluntas propria. Ad clariorem hujus puncti cognitionem, sciendum est, quænam sit voluntas propria, cujus abnegationem exigit obedientia. S. Bernardus ita illam definivit: *Quæ non est communis cum DEO & hominibus; sed nostra tantùm, quando aliquid volumus, non ad honorem DEI, non ad utilitatem proximi, sed propter nosmetipsos faciemus. Non intendentes placere DEO, & prodesse fratribus; sed satisfacere propriis motibus animorum. Cum hac voluntate, qui obediens esse vult, continuum debet gerere bellum; propria voluntas est quidam aper, est quædam hydra, cum qua assiduò Christiano Herculi pugnandum est. Solius enim DEI est,* (S. Anselmus de Incarn. c. 4.) *propriam habere voluntatem, id est, quæ nulli sit subdita; quicunque igitur propriâ voluntate utitur, ad similitudinem DEI, per rapinam nititur, & DEUM propriâ dignitate, & singulari excellentiâ privare.*

§. 8. Requiritur insuper abnegatio proprii judicii. Discursus S. Ignatii de hac re. Sed ut victoriæ, quas Obedientia de propria hominis voluntate solet reportare, sint adhuc sublimiores, & majoris perfectionis ac meriti, alter quoque Obedientiæ hostis, & periculosior subjugandus est, scilicet proprium judicium, arbitriique sententia; quam nisi quisque infregerit, atque ab se abdicare didicerit, nunquam Obedientiæ sublimem perfectionem assequetur. Quam S. Ignatius claris verbis ita proposuit: Faciendum est illi, qui ad hujus virtu-„ tis perfectionem aspirat, ut præter voluntatem, etiam intelligen-„ tiam offerat DEO; nec solùm idem velit, sed etiam idem sentiat, „ quod Superior, judicioq; illius subjiciat suum: quoad potest de-„ vota voluntas, intelligentiam inflectere, atque efficere, ut in hanc „ potiùs, quàm aliam partem inclinet.„ Rationes, quas Vir sanctus

sub-

subjungit, sunt magni ponderis. Cùm enim obedientia sit re-„ nuntiatio quædam integra, per quam omni suo jure sponte dece-„ dit homo, ut divinæ providentiæ Superioris sui ductu, gubernan-„ dam, atque possidendum ultrò se abdicat, atque emancipet; ne-„ gari non potest, quin obedientia comprehendat non solùm exe-„ cutionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter fa-„ ciat, verùm etiam judicium, ut quæcunque Superior mandat, ac „ sentit, in quibus nulla sit sceleris contagio, eadem inferiori, & re-„ cta, & vera esse videantur, quatenus vi suâ potest voluntas intelli-„ gentiam flectere.

Alibi ait: Obedientia, tum in executione, tum in volunta-„ te, tum in intellectu, sit in nobis omni ex parte perfecta, cum mag-„ na celeritate, & gaudio, & perseverantia; quidquid nobis injun-„ ctum fuerit, obediendo: omnia justa esse, nobis persuadendo.„ Omnem sententiam & judicium nostrum contrarium, cœcâ „ quâdam obedientiâ abnegando; & id quidem in omnibus, ubi „ definiri non potest, aliquod peccati genus intercedere. §. 9. *Prosecutio.*

Ratio fundamentalis, propter quam S. Ignatius exigit abnegationem judicii, est, quòd judicio suo quisque falli, & errare facillimè potest, & maximè in propriis rebus atque negotiis, in quibus tam densæ sæpe oriuntur tenebræ, propter animi perturbationes, quæ lumen menti eripiunt, intellectum obscurant, ut bene vulga-„ riter dicatur: *In causâ propria neminem bonum & æquum Judicem esse posse*; & Sapiens nos moneat Proverb. 3. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Addebat S. Ignatius, *hoc ni fieret, clarissimarum omnium virtutum ruinam sequi, atque obsolescere, quæ alioquin piam & devotam obedientiam comitari solent.* Minuitur obedientiæ celeritas, constantia, hilaritas, &c. nascitur tristitia, tædium, cum suspicionibus, temerariis judiciis, &c. Intercidit læta pax, & animi tranquillitas, diligentia, laudabilis ardor, & fervor, & promptitudo; succedunt perturbationes, molestiæ, obmurmurationes, excusationes, aliaq; ejusmodi vitia, quibus obedientiæ pretium, valor, ac meritum prorsus extinguitur. §. 10. *Ratio, ob quam hæc abnegatio requiritur.*

Teste Maffejo, l. 3. c. 7. Vitæ, identidem S. Ignatius dicere fuit solitus: *Obedientis nomine indignum haberi oportet, qui legitimo Superiori,* §. 11. *Aliæ propositiones S. Ignatii de vero obedienti.*

riori, non cum voluntate judicium quoque ſubmitteret. Unde fiebat, ut hanc ille virtutem, utì prior in ſe, ita & in ſuis exactam, abſolutamq; requireret, hanc ſuæ Societatis teſſeram eſſe volebat, notam Sanctitatis; hâc qui careret, cum altero tantùm pede inter Religionis ſepta verſari. Quapropter minimè quoque omittebat, in tempore, quos idoneos noverat, ad perfectũ judicii holocauſtum, abſurdis primâ ſpecie, atque intempeſtivis imperiis exercere, eorumq; patientiam, ſanè quàm liberaliter; Ita P. Sebaſtianum Romæum, Rectorem Collegii Romani, ad Profeſſorum domum advocavit, ut coquo inſerviret, & aquam è longinquo afferret; quod vir humillimus & obedientiſſimus promptiſſimè fecit; exemplo ſcilicet amantiſſimi Patris S. Ignatii, qui ſimilia opera obedientiæ non tantùm imponebat, ſed ipſe exequebatur; paratus, ſi Pontifex juberet, ſine ullo viatico, quocunque mitteretur, abire; imò ſe ſe, malè cohærenti navi, remiſque ac velis nudo, in altum mare committere.

§. 12. *Alius elegantiſſimus diſcurſus de duplici ſpecie obedientia.*

Sed redeo ad materiam, in quo vera obedientia conſiſtat. Cùm aliquando ex S. Ignatio quæſitum eſſet, quænam obedientiæ foret dignitas, atque præſtantia? Quemadmodum, inquit, in hominum vita, duæ ſunt hominibus propoſitæ ad beatitudinem viæ; altera pervulgata & communis, quæ divinis præceptis ſervandis, continetur; altera illorum tantùm, qui Chriſti conſilia toto pectore complectuntur, quæ via religionis eſt; ſic in ipſa Religione duo ſunt obedientiæ genera, quorum alterum imperfectum eſt, alterum perfectum, in quo vis obedientiæ elucet. Imperfecta obedientia malè oculata eſt; perfecta ſapienter cæca; illa judiciũ ſuum de rebus imperatis ſibi ſervat; hæc judicium proprium non habet: illa in alteram propendet partem; hæc in neutram potiùs movetur: illa mandatis paret, judicio repugnante; hæc voluntatem & judicium ſubjicit judicio & voluntati Superiorum; atque hanc virtutum omnium ducem, ac magiſtram, humilitatis filiam, nutricem charitatis, juſtitiæ comitem, ſecuræ mentis juge convivium dicebat.

§. 13. *Quibus obedientia ſit facilis, ex ſe*

Sed quàm difficilis & ardua eſt talis obedientia? Reſpondeo cum S. Leone ſer. 5. de epiph. *Nihil arduum eſt humilibus, nihil aſperum*

sperum mitibus; unde non desit humilitas, non desit mansuetudo; non utique deerit DEO benignitas ad nos adjuvandos, ut animo non solùm æquo, sed perlibenti pareamus. Respondeo 2. cum illo Asceta: *Credite, Superiores à DEO regi, consiliorumque suorum habere eos causas, & fines, qui vos lateant, -sperantes eâ viâ fore, ut nos DEUS regat; sic perfruemini pace magnâ, multumq; brevì perficietis, si fiduciam in obedientia magnam collocaveritis.* *ardua & difficilis.*

EXHORTATIO II.

DE OBEDIENTIA.

Accepimus gratiam ad obediendum, ad Rom. I. v. 5.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

GRatia hæc in viro obedienti, duo involvit, ex mente S. Ignatii. Primum est, Opera obedientiæ per totum diem perficere cum fervore, ex actuali amore obedientiæ; secundum est, se totum permittere DEI & Superioris gubernationi. Quæ duo hæc exhortatio proponit.

§. 1. *Opera obedientiæ debemus exequi sine languore, & instanter.*

§. 2. *Et celeriter, cum festinatione.*

§. 3. *In quibus consistat noster progressus in virtute.*

§. 4. *Aurea instructio Dionysii Carthusiani in hac materia.*

§. 5. *Quid sit vera diligentia.*

§. 6. *Sensus S. Ignatii in hoc puncto.*

§. 7. *Fervor Patris Francisci Godoy in operibus obedientiæ.*

§. 8. *Pars altera. Verus obediens se totum permittit DEO. De quo eleganter Epictetus.*

§. 9. *Prosecutio.*

§. 10. *Idem sensit quidam* DEMEtrius, *Epicteti discipulus.*

§. 11. *Promissio facta à Christo* D. *S. Brigittæ.*

§. 12. *Imitari debemus juniorem Tobiam.*

§. 13. *Verbo & opere nos talia docuit S. Ignatius.*

§. 1. *Opera obedientiæ demum exequi sine languore, sed instanter.*

REM ipsam aggredior, 1. Prout in omnibus actionibus, ita & in actibus Obedientiæ, culpanda est quædam desidia, vel quidam languor, vel tædium animi & spiritus, quo illa, quæ tamen quotidie peragenda sunt, juxta domesticam disciplinam, damus executioni. Tales languidos sancti Patres vocarunt *testudines*, vel *statuas Dædali*, quæ animam habere videbantur, sed vitâ carebant, *cadavera colorata*, quæ non vivent. Ita sæpe meditamur ex præscripto regulæ, sed sine anima, sine spiritu, (poterit fieri pulchra inductio.) Cùm tamen aliud nobis præscribat Ecclesiasticus cap. 9. v. 10. *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare.* Instanter, hoc est, secundùm textum græcum, pro virili parte, quantum vires patiuntur; uno verbo, quantum potes, & cum possibili celeritate, sive promptitudine quâdam ad statim exequenda illa, quæ imperata sunt.

§. 2. *Et celeriter, cum festinatione.*

Causam scitè exprimit Seneca lib. 2. de beneficiis: *Omnis benignitas,* (dicamus idem de Obedientia) *properat, & proprium est libenter facientis, citò facere. Qui tardè, & diem de die extrahens proficit, non ex animo fecit; ita duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis. Tardè enim velle, nolentis est; - ergo citò velle, volentis est.* Hanc celeritatem in obediendo nobis præscripsit S. Ignatius, dum toties suis inculcavit, opera omnia facienda esse propter DEUM, ad majus DEI obsequium, & beneplacitum, singulari quâdam curâ, & cum omni diligentia in Domino. Itaque obediens peragit v. g. meditationem cum omni diligentia in Domino. (Ita discurre de omnibus quotidianis nostris functionibus.)

§. 3. *In quibus consistat noster progressus in virtute.*

In quo bene observandum est, idque juxta mentem S. Patris N. nostram perfectionem & progressum nequaquam positum esse in multis extraordinariis, aut speciosis rebus agendis, sed in nostris ministeriis, & ordinariis exercitiis, à Regulis & Superioribus præscriptis, bene atque accuratè obeundis, quibus omnibus *ab ignavia omnes longissimè debemus esse remoti; nec ullam* (verba ferè sunt S. Cyrilli Alex.) *in agendo cunctationem admittere, qui DEO gratam & probatam vitam volumus instituere.*

§. 4. *Aurea instructio Dio-*

Dion. Carthus. de reform. can. ita nos instruit: *DEUS Majestatis immensæ, in suo obsequio despicit indevotum,* (potes fusam facere digres-

digressionem, quinam in operibus obedientiæ non sint devoti.) evomit tepidum, negligentem & impium detestatur. *Si Principes sæculi hujus exigunt sibi reverenter & promptè serviri à suis ministris; quantò magis Dominus Universorum.* Ideoque utilissimum est, ut in omnibus obedientiæ actionibus, etiamsi minimæ & exiguæ videantur, memores simus, DEUM esse præsentem. Quis enim in operibus suis erit segnis, si cogitet, intelligat, & credat, se agentem à DEO videri, Judice, Vindice, Remuneratore: *Sicut oculi servorum* occinit David ps. 122. v. 2. *ad manus spectant Dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Et S. Bernardus: *Expedit omni animæ, Deum semper attendere, tanquam proprium non modò adjutorem, sed etiam inspectorem. Quomodo enim negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum, nunquam desinit intueri.* Cyl. Carthusiani in hac materia.

§. 5. *Quid sit vera diligentia.* Ex consideratione præsentis DEI, oritur necessariò seria quædam applicatio animi ad rem agendam; id est, actus quidam animi, quo is se, suasque vires omnes admoveat, addicat, adhibeat, ad rem quampiam agendam; qui enim animum applicat, se totum applicat; quia potior hominis pars est animus; & corpori, quæ altera pars est, imperat. Unde à Marco Tullio l. 1. de invent. sic describitur: *Animi assidua & vehemens ad rem aliquam applicata, magna cum voluntate occupatio.* Et Humbertus: *Illud fieri dicitur diligenter, quod fit cum vehementi applicatione.* Vel, ut Plato ait: *Curat autem quisque id maximè, quod maximè diligit.*

§. 6. *Sensus S. Ignatii in hoc puncto.* Quantam diligentiam desideraverit S. Ignatius, ex eo colligere possumus, quòd dixerit: *Homini Religioso, in negotiis exequendis, utendum ratione ac diligentiâ, perinde ac si non esset in auxilium implorandus Deus. Nihilominus Deum implorandum, atque ab ejus benigna providentia & auxilio, dependendum æquè, ac si nihil esset in humana ratione, prudentiaq; præsidii.*

§. 7. *Fervor P. Francisci Godoy in operibus obedientiæ.* Imitatione dignissimum est, quod P. Lud. de Ponte refert de quodam Patre Francisco Godoyo, vero filio S. Ignatii: Hic omnes suas actiones, quam maximâ posset exactione & perfectione peragebat; cùmque in culinam, ut coquo operam daret, se quandoque conferret, ita sartagines, ollas, tripodes ferreos tergebat, ac defricabat, ut splendentes redderet; accidit, ut quidam hæc in-

tuens.

tuens diceret: Cur tantum laborem rebus illis impenderet, quæ „ mox iterum essent inficiendæ? Cui respondit Franciscus: Se „ quotidie vesperi offerre sacratissimæ Virgini omnia opera, quæ „ illo die fecisset; pudere autem se, rem aliquam offerre negligen- „ ter factam, ideoque quâ posset diligentiâ, cuncta peragere. „ O veros Ignatii filios! Quæ cùm ita sint, cum diligentia in rebus obedientiæ peragendis, tam nobis sit proficua; negligentia verò, (ut fusè probant SS. Patres) tanta rei spirituali inferat damna, æquum est, &c.

§. 8. *Pars altera. Verus obediens se totum permittit Deo: de quo eleganter Epictetus.* Si hæc diligentia, alacritas, promptitudo, applicatio, proveniat ab excelso animo, qui DEO se totum permittit, atque ab operante ejus manu duci se sinit ac gubernari, non video, quid ad eximiam obedientiæ perfectionem possit desiderari. De quo puncto elegantissimè ita discurrit Epictetus è Stoica Schola Philosophus, morum magister eximius & absolutissimus, ut illum vocavit Origenes, ita ait: *Qui DEO se adjunxerit, tutò transiturus est vitæ hujus iter. Quid verò est, quod appellas se DEO adjungere? ut quod ipse volet, ipse quoque velis, & quod nolit, ab eodem ipse abhorreas.* Ac deinde se discipulo in exemplum proponens, sic loquitur, l. 4. c. 7. *Ei quod accidit, semper acquiesco; melius enim est, quod vult* DEUS, *quàm quod ego volo; adsum ei servus & minister, adeoque pedissequus, ad eadem contendo, nec alia peto. Idemque quod ipse, volo ego quoque, & sentio.*

§. 9. *Prosecutio.* Et l. 3. c. 5. exoptans integram hanc cum divina voluntate conjunctionem, de qua possit sibi sub mortis tempus gratulari, ita scribit: „ Utinam loqui cum DEO sic possim, num tua præcepta „ prætergressus sum? num appetitionibus, quas à te habeo, ad alia „ obtinenda sum usus? num sensibus aliter? num anticipatis motio- „ nibus, aliquando accusavi te, aut reprehendi tuam dispensatio- „ nem? ægrotavi, quando tibi visum fuit. Patienter, inops factus „ sum, cùm tu ita velles, sed gaudebam. Non præfui gubernando, „ quia noluisti: ideo ne expetivi quidem, nec vidisti me hanc ob „ causam tristiorem. An occurri tibi aliquando parum læto vul- „ tu? semper paratus, si quid mihi mandes, si quid significes. Nunc „ ex conventu illo, si vis me deducere, decedam. Gratias verò ago „ tibi,

tibi, quòd me tuum conventum celebrare permiſeris, atque in- ,, ſpicere opera tua, ac voluntati tuæ in omnibus obedientem fece- ,, ris. O utinam hæc cogitantem, hæc ſcribentem, hæc legentem ,, mors opprimat! ,, Neque his contentus, brevi compendio eadem diſcipulo ita inculcat: Oculos in DEUM attolle, ac dicito: Utere , me Domine, ad quæcunque velis; tecum ſentio, nihil eorum de- ,, trecto, quæ tibi videantur, quæcunque velis, age. Vis me impera- ,, re? in privata vita agere? exulare! pauperem eſſe? divitem! ego ti- ,, bi pro omnibus his apud homines aſſentior. ,, Revolvite Taule-ros, Suſones, Bloſios, Caſſianos, &c. & ſi plus inveneritis, quàm Gentilis ille Philoſophus nobis præſcripſit, victas dabo manus.

§. 10. *Idem ſenſit quidam Demetrius, Epicteti diſcipulus.*

Epicteti diſcipulum Demetrium audite perorantem, cùm ipſo abſente duo ejus filii eſſent mortui! Unum Dii immortales ,, de vobis queri poſſem, quòd non antè mihi voluntatem veſtram ,, notam feciſtis; prior enim ad iſta veniſſem, ad quæ nunc vocatus ,, adſum. Vultis liberos ſumere, illos vobis ſuſtuliſtis? Vultis ali- ,, quam partem corporis? ſumite: non magnam rem promitto, citò , totum relinquam. Vultis ſpiritum? quid ni, nullam moram fa- ,, ciam, quò minus recipiatis, quod dediſtis: à volente fertis, quid- ,, quid petieritis. - Non cogor, nihil patior invitus; nec ſervio DEO, ,, ſed aſſentio. ,, Talia protulit Gentilis Philoſophus, utinam nos Religioſi idem ſentiremus!

§ 11. *Promiſſio facta à Chriſto D. S. Brigittæ.*

Quiſquis ita ſentit, audiat cum ſolatio verba, quibus Chriſtus D. S. Brigittam fuit conſolatus: *Perfecta illa charitas eſt ad DEUM, quando homo ſibi de ſe nihil relinquit, ſed ad omnem virtutem ſe dilatat. Felix anima, quæ ita ſuis ſe rebus ſpoliat pro DEO, nihil ei negando, quo ille delectetur.* Et quidni ſperet, qui talis eſt, illam mercedem, quam DEUS PATER, coram eâdem S. Brigittâ, DEIparam alloquens, his verbis promiſit: *Quia tu mihi nihil negaſti in terris, ideo ego nihil tibi negabo in cælis.* Eadem gratia conferetur vero obedienti. Obediens, qui ſe totum DEO tradit, ambulat ſecurè.

§. 12. *Imitari debemus juniorem Tobiam.*

Expertus id fuit Tobias Junior, qui dum Raphaëli comiti, ſe regendum, ſervandumq; commiſit, omnia proſperè ſucceſſerunt. Ducis conſiliis adjutus, immanem piſcem ex undis emergentem, ſeque

ſeque invadere conantem, ſtravit; opulentum matrimonium invenit, Aſmodæum fugavit; cœcitatem ab oculis parentis diſpulit; in ſumma, bonis omnibus fuit cumulatus. Quanta ex obſequentia ſuique integra traditione compendia, ac quæſtus! quibus probabiliter Tobias fuiſſet fruſtratus, ſi ducem ſuum rejeciſſet, vel monitis ejus moroſè fuiſſet obſecutus. Et quanta nos exſpectant bona, ſi non tantùm Angelum, ſed ipſum DEUM in Superiore ita ſequamur, &c. *Qui DEUM habet*, inquiebat ille, *quamvis ille cæteris omnibus careat, nullo indiget; DEUS ſiquidem omne bonum eſt, & omne bonum venit pariter cum eo.* Quod expertus David, affirmavit pſ. 72. v. 18. *Mihi autem adhærere DEO, bonum eſt; ponere in eo omnem ſpem meam; quid enim mihi in cœlo eſt, & à te quid volui ſuper terram!* S. Auguſtinus l. 10. confeſſ. c. 28. *Cùm inhæſero tibi, nunquam mihi erit labor aut dolor; & viva erit vita mea, tota plena te: fietque, ut hoc tantùm ſciam, quia malè mihi fuerit præter te, non ſolùm extra me, ſed in meipſo, & omnis mihi copia, quæ DEUS non eſt, egeſtas.*

§. 13. *Verbo & opere nos talia docuit S. Ignatius.*

S. Ignatius: *Qui habet cor integrum, Superis affixum, quamvis poſſideat hîc nihil, deeſſe tamen ei poterit nihil; cùm DEUM habeat, in quo bono omnia lateant bona.* De Ignatio verò in Bulla Canoniz. „Neque verò tantummodò cuſtodivit cor ſuum ab iis, quæ ſunt contra dilectionem, ſed etiam à ſe ipſo amorem rerum omnium, quæ DEUS non ſunt, prorſus abjecit, omnemque affectionem in eundem tranſtulit DEUM, illum omnino ſequi decernens, etiamſi toto cœlo, terrâque privaretur; unde quoque ſtatim terra ſordeſcere, cœlum ſplendeſcere, creata omnia vileſcere, æterna allubeſcere, &c." In his imitemur S. Ignatium, & perfectiſſimam quandam aſſequemur obedientiam, &c.

EXHORT. III.

EXHORTATIO III.

DE OBEDIENTIA COECA.

Vt jumentum factus sum apud te, Psalmo 27. v. 23.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PErfecta Obedientia (inquit B. Humbertus,) est indiscreta, hoc est, novit discernere, quid, vel quare præcipiatur; sed ad hoc tantùm attendit, ut humiliter fiat, quod à majori præcipitur. Addit Alb. M. simpliciter & velociter. Hæc dicitur à SS. Patribus Obedientia cœca, de qua agit præsens exhortatio.

IN priori exhortatione aliquoties Obedientiam vocavi cœcam: cùm hæc vocula ex una parte suas patiatur difficultates, & objectiones; ex altera verò, summam Obedientiæ, qualem S. Ignatius desideravit, in se contineat perfectionem; meretur unica hæc vocula, ut peculiari exhortatione discutiatur; quod, favente divinâ gratiâ, hâc mediâ horâ præstabo; si placet, attendite. *§. 1. Propositio.*

 Cœci-

§. 2. Obedientia cæca simul est oculata.

Cœcitate, de qua S. Ignatius loquitur, nihil est luminosius. Obediens si cœcus est, simul totus est oculatus; tales enim cœci, multùm & acutè videntes, in summo sunt constituti gradu prudentiæ, & sapientiæ. Prout è diverso, qui sapientes apud se esse volunt, atque aciem mentis intendere, ad ea dijudicanda, quæ imperantur, in densissimas sæpe umbras incurrunt, & illud patiuntur, quod intuentibus Solem in eclypsi evenire prodit Galenus, ut excœcentur; quod unum argumentum sufficientis est momenti, ut cœcam obedientiam nobis persuadeat; sive, ut obediendo, & intellectum nostrum subjiciendo, imperantis imperio, desideremus esse cœci.

§. 3. Occurritur primæ objectioni, cœcam obedientiam esse jumentorū.

Sed inquiunt adversarii, hanc obedientiam esse propriam jumentorum, quæ non ratione, quam DEUS humanarum actionum ducem esse voluit, sed externo regentis & gubernantis fræno reguntur. Itaque durum quoddam & intolerabile frænum est cœca hæc obedientia. Mitiùs loquerentur tales, si intelligerent, quod virorum sapientissimorum judicio & calculo, magni potiùs judicii, & eximiæ cujusdam mentis opus dicendum sit, DEI causâ judicium suum deponere, & alterius judicio, propter DEUM subjicere; ad quod non fræno, vel virgâ aliquâ adigimur, sed animo lubenti, ac sponte eo ferimur; alienis oculis visi, viam capessimus, & securi inter proprii judicii tenebras, intelligimus, nos ita errare, & à recta semita deviare non posse.

§. 4. Alia obedientia est absolutè; alia suo modo cœca.

Advertendum quoque est, S. Ignatium non desiderasse obedientiam absolutè cœcam, sed quandam ait, sive certo modo cœcam, quod inde patet. *1. Subditus debet intelligere mandatum Superioris, ut expleat, quod non cadit in jumenta. 2. Obediens debet dispicere, an in præcepto involvatur peccatum, ut illo invento non obediat; quæ bestia hoc facit? ergo obedientia absolutè non est cœca. 3. Si vir obediens existimet se super vires gravari, minimè vetatur, quò minùs ad Superiorem referre id possit; proponere namque, ut ait in Const. p. 5. c. 14. quæ in animo versantur, quæque in contrarium occurrunt, licitum est: animo & antè & pòst manente æquissimo, ad eam rem, de quâ agitur, vel suscipiendam, vel deponendam.*

Talia

Talia habet Regula S. Benedicti: *Si omnino virium suarum mensuram videret pondus operis excedere, impossibilitatis suae causas ei, qui sibi praeest, patienter & opportunè suggerat*, &c. Unde liquidò patet, qualis cœcitas in obedientia à S. Ignatio requisita sit; non qualis in brutis animantibus, aut insensatis jumentis reperitur, sed qualis in homine, ad omnem virtutem insigni, reperiri solet: cœcitate hâc in eo potissimùm consistente, ut homo, non proprii sui judicii lumine ductus, quod facere jubetur, expendat, bonúmne id sit, vel malum, (nisi apertè se proderet peccatum,) utile aut inutile, &c. sed omni cum simplicitate pareat, justum ac bonum esse arbitretur, quod facere à Superiore jubetur; non secus ac cœcus, non videt oculis suis, sed alienis: non se ipsum ducit, sed ab alio ducitur, ita & hic non fidit judicio suo, sed Superioris: non obedit, quia videt aut judicat, sed quia Superior ita judicavit. *§. 5. Qualis ergo requiratur cæcitas.*

In hoc quoque cœca S. Ignatii obedientia consistit, ut vir obediens rationem & causam, cur ita imperet Superior, subditus non exquirat; sibi credens salutare, quidquid ille præceperit, nec de sententia ejus judicet, aut præcepta, aliasque plurimas circumstantias discernat, cujus officii est obedire, & implere quæ justa sunt, dicente Moyse: *Audi Israël, & tace.* Et hæc est cœca illa obedientia Abrahæ, ad Hebr. 11. v. 8. *Quâ egressus est de terrâ & cognatione suâ, nesciens quò iret.* Verus obediens in hoc cœcus est, ut causas non disquirat. O si hoc sensu cœca fuisset mater nostra Eva, cùm serpens illi dixit: *Cur praecepit vobis DEVS?* Atque hi sunt duo illi modi, quibus S. Ignatius in cœca obedientia, nos non jumenta, sed viros desiderat esse perfectos. Si verò loqui velimus cum Regio Psalte, *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*, Psal. 72. v. 23. hoc est, ex mente S. Basilii, in hunc psal. *Quemadmodum jumentum obsequitur ei, à quo ducitur, non perscrutans quò ducatur; ita gratiâ tuâ gubernatus, vir obediens providentiam tuam haudquaquam curiosè investigans, sequitur, &c.* Si, inquam, cum Davide ita loqui velimus, & hoc sensu esse cœci, quis in via perfectionis renuet esse jumentum, cùm ipse Christus D. & *Leo*, & *Agnus* esse dicatur: O felix jumentum quod semper est apud DEUM, & ab eo in omnibus regitur. *§. 6. Alius modus hujus cæcitatis.*

§.7. *Altera objectio, & responsio.* Durior est altera objectio; stultorum esse, & indignum homine rationali, ut obstructo velut mentis & judicii lumine, ad agendum feratur, hoc uno contentus, quod ab alio præcipitur. Responsionis loco his adversariis occino illud Salomonis Prov. 1. v. 7. *Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt, dicentes bonum malum, & malum bonum.* Et illud S. Pauli ad Corinth. ep. 1. c. 3. v. 19. *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum; unde & quæ stulta sunt mundi, eligere voluit, ut ejuscemodi confunderet sapientes; nam ut ajebat, quod stultum est DEI, sapientius est hominibus. Nemo igitur se seducat; si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* In quo etiam Doctor Gentium fuit gloriatus: *Nos stulti propter Christum.*

§.8. *Testimonia SS. Patrū. quanti æstimaverint cæcam obedientiam.* In his locis S. Scripturæ fundati sancti Patres, factæ objectioni pulchrè respondent, v.g. Cassianus l. 4. Instit. c. 4. *Stultum te, secundùm Apostoli sententiam, facias in hoc mundo, ut fis sapiens, nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata; sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas; illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicans, quidquid tibi, vel lex DEI, vel Superioris examen indixerit.* O stulti corde! hanc doctrinam, hanc sapientiam de Obedientiæ perfectione, audetis appellare stultitiam! & cœcè obedientes, stultos, quos S. Paulus, quos sancti Patres vocant *Sapientes?* Quid clariùs doctrinâ S. Bernardi, dum ait: *Non disputat verus obediens, nec attendit, quale sit, quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur.* B. Joannes Climacus: *Obedientia est inexaminatus, atque indiscussus motus; spontanea mors; vita curiositate carens, securum periculum, tuta navigatio, sepulchrum voluntatis.* Et quænam in his omnibus apparet stultitia? Humbertus l. 5. de erud. relig. p. 1. c. 1. *Rara avis in terris discretio! ideo locum discretionis suppleat virtus Obedientia, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quàm imperatum sit, faciatis.* Denique S. Gregorius M. *Vera obedientia, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; nescit judicare, quisquis perfectè didicit obedire.*

§.9. *Alia cæcæ obedientiæ descriptio.* Itaque, ut breviter rem totam exponam, Cœcitas hæc Obedientiæ excludit prudentiam carnis, & non verò prudentiam spiritualem

tualem

tualem & supernaturalem. Cùm enim obedientia sit perfectissima virtus, non minus requirit ad perfectionem sui actus ducem prudentiam, quàm aliæ virtutes morales; sed hoc est ei proprium, quòd judicium prudentiale, dirigens illam, fundatur magis in extrinseco principio, & judicio Superioris, quàm in proprio; & ideo quatenus exuit proprium, dicitur obedientia cœca: excludit autem proprium, quatenus vitiosum aut imperfectum est, non quatenus dicit omnem usum proprii intellectus. Maneat proinde firma hæc propositio, cœcam obedientiam hactenus definitam, bonam esse ac religiosam, quam Viri sancti semper laudarunt. Ideoq; cùm heroicum opus sit, nobilissimam illam animi partem, velut regio quodam dominatu præditam, quæ liberrima esse cupit, atque ab alienis imperiis soluta, ultrò alienæ propter DEUM subjiciat voluntati, fieri non posse, quin magnis à DEO donis ac præmiis donetur. Auream dico esse catenam, quæ ut variis annulis, sic è gemmeis quibusdam virtutibus compositam & contextam, quæ ut DEI Filium detraxit in terras, ita homines in cœlum attollit; Obedientia, plurimarum virtutum comitatum requirit, atque exinde amplissimo præmio digna est, teste S. Basilio, præmium obedientiæ magnum debetur.

In laudem hujus virtutis SS. Patres magnificè loquuntur, v.g. S.Greg. in Job. *Cùm hominibus propter DEUM subjicimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt, quia dum voluntatem suam aliis perfectè subjiciunt, ipsis lapsis per inobedientiam Angelis dominantur.* Et sanè à spiritualium rerum Magistris semper observatum est, nullam virtutem ita horrere dæmones, quàm obedientiam; ad cujus splendorem, ut fulmine icti, celerrimè diffugiant; quâ præsente, ludificationes eorum omnes in fumum, nihilumque evanescunt. §. 10. *Talis Obedientia dæmonibus est terribilis.*

Præterquam quòd actus hujus obedientiæ ingentis sit meriti, testem adhibeo S. Ignatium. Intellexerat Vir sanctus, quendam ex suis, edito jam signo, paratum ad Sacrificium, & calicem manu tenentem, è sacristia pedem efferre cœpisse; cùm illicò per nuntium, postquam è propinquo rem totam observasset, jubet sacro deposito or- §. 11. *Et apud DEUM magni meriti, quod ex pulchris historiis cõprobatur.*

to ornatu, pallium sumere, foràs prodeundi causâ. Inexspectatum id viro acciderat nuntium,& contrà, quàm secum antea constituerat. Paruit tamen ille sine tergiversatione, ac palliatus Patri confestim apparuit. Tum Ignatius quærit ex homine,sitne ægrè passus in talibus circumstantiis se evocari? Cùm ille,se ne tantulum quidem esse commotum affirmaret, *Scito fili*, inquit Ignatius, *me id fecisse de industria, non quòd præsentiâ tuâ opus habeam, sed periclitandi tui obsequii gratiâ. Et sic habeto, pluris te Sacrificio deserendo esse meritum, quàm si id ipsum, ut destinaveras, illicò peregisses: nam etsi Altaris mysterium tanti apud* DEUM *est, quanti profectò est, tamen ut scriptum est: Melior est obedientia, quàm victima!*

§. 12. *Alia historia.* Simile huic est, quod refert Joannes Rusbrochius de quadam Abbatissa: Die quadam solenni omnes se se Moniales ad suscipiendam sacram Synaxin disposuerant; jamque in procinctu ad divinam mensam accessuræ omnes surgebant, cùm statim Abbatissa unam aliquam ex numero evocat, jubetq; intermissâ Communione, ad culinam pergere, quæque ibi facienda essent, strenuè accurare, quæ mox ut jussa fuerat, sine murmure, imò magnâ animi tranquillitate, ad exequendum injunctæ sibi obedientiæ munus, abscessit; cùmque cæteræ jam sacris Sacramentis pastæ, descenderent,vox de cœlo allapsa, omnium auribus insonuit, Virginē illam, quæ culinæ ministeria peregerat, Sacramenti fructum, propter obedientiam, uberiùs esse consecutam. O quale obsequentis animi solatium!

§. 13. *Admirabilis obedientia Alphonsi Rodriquez.* De piissimo fratre nostro Alphonso Rodriquez, ait historia piissimæ illius Vitæ: *Circa obedientiam nihil ei occurrebat, nisi hoc tantùm,ut jussa capesseret,non causa, non finis,non fructus jussorum, nec jubentis persona, sed Deus;* Ideo,cùm aliquando Alphonsus discurreret de Obedientia, dixit illi Rector: *Ad rem, mi frater, ad facta veniamus, jubeo te Indiam petere.* Alphonsus statim togatus, vale omnibus dicto, advolat ad januam, campanam ad egressum pulsat, adest Janitor, quærit, an habeat patentes literas ad iter,negantemque remittit ad Rectorem,ut eas peteret, redit,petit, tam candidè, ut palàm esset seriò petere. *Itáne sine viatico, & literis ibas*, inquit Rector, at ille: *Ista in mentem sibi non venisse; nam si DEUS mittebat,*

de

de his utique visurum; tanta in DEUM erat fiducia, quæ obedientiam cœcam necessariò debet fulcire.

Quisquis hanc obedientiam amat, memor sit moniti Joannis Cassiani, *Nec aliter hoc observari poterit, nisi ab eo, qui non solùm se mortuum huic mundo, verùm etiam insipientem judicat, & stultum; universa quæ sibi fuerint à Superioribus imperata, sine ulla discussione perficiens, sacrosancta ea credens, ac divinitùs promulgata.* Hoc est solidum fundamentum cœcæ obedientiæ.

§ 14. *Aureum monitum Joannis Cassiani.*

EXHORTATIO IV.

DE PATIENTIA.

In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam, ad Hebr. 10. v. 7.

SYNOPSIS.

PRoponit in Abrahamo, & Christo Domino Salvatore nostro duo pulcherrima specula, sive exemplaria perfectæ obedientiæ.

§. 1. *Propositio.*

§. 2. *In arduis objectus & præceptis, Abraham fuit exquisitè obediens.*

§. 3. *Obedientia promptitudo in Adamo.*

§. 4. *Animus Abrahami in præcepto difficillimo de immolatione filii, fuit imperturbatus.*

§. 5. *Discursus S. Bernardini.*

§. 6. *S. Ignatius in scribendis Regulis de Obedientia, videtur præ oculis habuisse hanc Abrahami obedientiam.*

§. 7. *Tota vita Christi in terris fuit continuatum exercitium obedientiæ. De ejus initio.*

§. 8. *De vita reliqua.*

§. 11. *Prosecutio ex S. Bernardino. Usque ad mortem Crucis.*

§. 10. *Vulnera Crucifixi, sunt testimonia obedientiæ.*

§. 11. *Christus Dominus non tantùm æterno Patri, sed suis crucifixoribus fuit obediens.*

§. 12. *Quàm Christo Domino vir obediens sit acceptus.*

§. 1. *Propositio.*

QUÆ de excellentia, perfectione, & actibus Obedientiæ hactenus Vobis proposui, licebit, si vultis, intueri, veluti in duobus pulcherrimis speculis, in Patriarcha Abraham, & Christo D. Salvatore nostro.

§. 2. *In arduis obiectis & præceptis Abraham fuit exquisitè obediens.*

Considerate Abraham, inquit S. Basilius, *qui jubetur relinquere domum, patriam, supellectilem domesticam, possessiones, cognatos, amicos, & omnia, quæ contraria his sunt, consectari, peregrinationem, obscuritatem nominis, viæ incompertæ errores, paupertatem, metus, pericula, & quæ peregrinos atque extorres incommoda comitari solent; & nihilominus tamen videbitis eum, sublatâ omni cunctatione, esse obedientem. In quo*, ut S. Aug. ait ser. 40. ad fratres, *obedientiæ exquisitum exemplum proponitur, sanctus Patriarcha Abraham, & prima obedientiæ norma, & forma veræ obedientiæ. Iubetur circumcidere se & suos, in signum fœderis inter ipsum & DEUM, & fecit statim in ipsa die, sicut præceperat ipsi DEUS. Sciebat enim, Deo obediendum esse, non disputandum*, inquit S. August. Et l. 14. de Civ. Dei, cap. 15. *Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia res difficillima fuit imperata, ut filium occideret*; ad quod exequendum fuit promptissimus.

§. 3. *Obedientiæ promptitudo in Abrahamo.*

Quam promptitudinem, sive obedientiam, ita describit S. Bruno de orn. Ec. cap. 10. *Considera viri obedientiam, non exspectavit usque mane, sed de nocte surrexit, & veniens ad montem Visionis, in quo postea Dominus crucifixus est, præparabat se, ut filium immolaret. Dixitque ad eum Isaac: Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti?* Sicut Josephus refert, jam illius erat ætatis, ut si voluisset, à patre jam sene se potuisset defendere. Veruntamen, postquam DEI & parentis voluntatem agnovit, non restitit, sed suâ sponte se ligari permisit, gaudens, quòd DEI hostia fieri mereretur. Uter tibi horum duorum majoris obedientiæ fuisse videtur, cùm & Abraham DEO, & filius ejus, parenti simul obediret & DEO? magna in utroque obedientia, & tali patre, taliq; filio digna.

§. 4. *Animus Abrahami in præcepto difficillimo de immolatione filii mansit imperturbatus.*

Eleganter quoque Abrahamum ita describit S. Basilius M. *Ut mente nihil est consternatus, ut non concidit animo*, (scilicet ob præcepti difficultatem,) *sic perinde, ac si esset agnum mactaturus levi, tranquilloque animo, sublato obedientiæ jugo, ibat unà cum filio, quod jussus erat, expleturus. Nihil, neque in hoc curiosè judicium DEI pervesti-*

vestigans, aut secum dequærens, sed totâ in officii sui conservatione, mente defixâ, ne videlicet ullâ in re obedientiam minueret suam; luculentam hoc modo coronam reportavit. Et gloriosum S. Basilius hoc addit epiphonema: *Nempe qui cunctis deinceps mortalibus fidei, obedientiaque veluti columna quædam erectus sit.*

Quantæ perfectionis fuerit Abrahami obedientia, ex hoc discursu colligere possumus. *Cùm in nobis nihil sit charius, intimius, altius, & majus propriâ libertate & voluntate, abdicare hanc à se, prout est possibile, tantò est perfectiùs & altiùs, quantò ista præponderat omnibus aliis abdicabilibus nostris.* Et paulò pòst subjungit S. Bernardinus: *Nihil est, quod homo naturali affectu refugiat ampliùs, quàm privari propriâ voluntate; nihilominus & hanc propter DEUM homo sponte abdicat, & illâ se privat.* Ideo, ut Blosius ait: *Nihil DEO gratius offerri potest, resignatione propriæ voluntatis, quia homini nihil est chariùs propriâ voluntate.* Omnino DEO charissimus est, qui sic se abnegat, & arbitrium, sensum, judicium, atque consilium suum relinquens, alterius se subjicit voluntati. Redeo ad Abrahamum, de quo dubitare non possum, voluisse illũ Isaacum filium vivere diutissimè; de quo non dubito, quòd præ Isaaco in hoc mundo nihil habuerit charius; de quo puto, quòd toto corpore & animo contremuerit, cùm durissimum audivit præceptum de immolatione filii sui; sed vir obediens loquetur victorias; vicit Abraham suam inclinationem, vicit affectum, vicit naturam, & se, quodque habebat charissimum, unicum filium obedientiæ jugo subjecit. Pulcherrimæ virtutis pulcherrimum speculum & exemplar. *§. 5. D sensus S. Bernardini.*

Quisquis leget Regulas, & epistolam, quam de Obedientia scripsit S. Ignatius, advertet, illum oculos conjecisse in obedientiam Abrahami. Oportet relinquere domum, patriam, &c. & omnia! parati debemus esse ad peregrinationes per orbem universum, ad pericula, ad labores, ad paupertatem, ad varia incommoda. Et vult S. Ignatius, ut sublatâ omni cunctatione, simus obedientes; statim, in ipsa die, sicut Superiores, quibus obedientiam juravimus, præcipiunt. Et hoc, sine omni disputatione, sine inquisitione; cur ita? fieri potest, ut sensualitati imperata videantur esse difficillima, à quibus abhorret, & refugit natura. Nihilominus S. Ignatius de- *§. 6. S. Ignatius in scribendis Regulis de Obedientia, præ oculis habuisse videtur hanc Abrahami obedientiã.*

fiderat, suos filios ad exequendum esse promptissimos. Ite Angeli! ite, currite velociter. Alas debet habere prompta obedientia. Subinde necesse est, non exspectare diem, sed surgere de nocte, & pergere in montem, in quo crucifixus est JESUS, ubi immolandus est Isaac, ubi captivandus intellectus, ubi mactanda propria voluntas. Hanc obedientiæ promptitudinem in suis filiis exigit S. Ignatius: & vult, ut vincula obedientiæ nobis ipsi injiciamus, ut submittamus colla jugo obedientiæ; ut gaudeamus, si ligemur, si culter apponatur jugulo, etiamsi mori & cadere debeamus hostia obedientiæ. Victorias vult nos loqui S. Ignatius, vult nos vincere judicium, vult nos triumphare de propria voluntate, ut luculentas reportemus coronas. Sed intima nobis est propria voluntas, nihil illâ nobis charius; quis non abhorreat sæpe à tali Superiore, duro, aspero, molesto; nunquid molestum homini docto, talentis præclaris prædito, quotidie, singulis horis, continuò, in omnibus captivare intellectum, & propriam frangere voluntatem. Sic est, sed ideo DEO nihil est gratius, nihil acceptius, quàm si juxta exemplum Abrahami, juxta Regulas S. Ignatii simus viri obedientes. Unicum iter Indicum considerate, ad quod Professi quarto voto obligati sunt, ut ipsâ die, quâ præcipitur, statim, sine cunctatione, sine disquisitione, sine excusatione, sine viatico, relinquendo amicos, cognatos, totam Europam, omnia, se accingant, quid hoc est aliud, nisi ut jubente obedientiâ, ad majorem DEI gloriam, viri eximii ad orientis Solis excurrant plagas, ut sibi erigant columnas obedientiæ.

§ 7. *Tota vita Christi D. in terris fuit continuatum exercitium Obedientiæ Dei eum initio.*

Obedientia Abrahami figura fuit obedientiæ Christi D. Salvatoris nostri; ut itaque in virtutis obedientiæ exercitio inardescamus, efficacius nobis nequit proponi motivum, quàm ipsiusmet Filii DEI exemplum, utpote cujus vita continuum quoddam fuit obedientiæ exercitium, quia quidquid triginta trium annorum spatio in terris operatus fuit, hoc totum ex obedientia æterni sui Patris præstitit. Ideo Psalmista ps. 38. v. 9. initium vitæ Christi D. vocavit *Caput libri*, in quo legem, sive voluntatatem æterni Patris, non tantùm in corde, sed medio cordis sui posuit, tanquam virtutem sibi charissimam. S. Bruno: *Dominus & Salvator noster ipse nos*

docuit

docuit, quantum sit obedientia bonum, de quo scriptum est, quia factus est obediens Patri usque ad mortem. Per inobedientiam primi hominis periit mundus, per obedientiam IESV Christi salvatus est. Ille inobediens accessit ad lignum vetitum; iste obediens lignum Crucis ascendit. S. Cyr. Alex. *Vt principio terra ob Adæ prævaricationem subjecta maledictioni fuit, sic ob Christi obedientiam benedictionem assecuta est.* Pertinent hæc omnia ad caput libri, hoc est, ad principium vitæ Christi D. in quo obediens esse cœpit.

Totam reliquam vitam in obedientia traduxit, sicut docet Evangelista, dicens: *Et erat subditus illis.* Multi, inquit P. Salmeron, discruciantur, quid à pueritia usque ad annum trigesimum fecerit Christus D. quibus hoc verbo S. Lucas satisfacit, *Erat subditus illis*, scilicet Josepho Patri, & Mariæ Matri. S. Bern. hom. super *Missus. Quis? quibus? DEVS, hominibus, DEVS, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus est Mariæ. Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare, erubesce superbe cinis. DEVS te hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Auctori?* Eleganter & graviter S. Anton. de Pad. ser. in Dom. 1. Epiph. *Liquefiat omnis superbia, defluat omnis contumacia; humiliet se omnis inobedientia, cum audit, quòd IESVS erat subditus illis! Iste! tantus ac talis, erat subditus illis! Quibus illis? fabro, & paupercula Virgini. O primus! ô novissimus! O Angelorum Prælatus, & subditus hominibus; cœli Creator subditur fabro, DEVS æternæ gloriæ subditur pauperi Virgini! Quis audivit unquam tale, & quis vidit simile? Non ergo dedignetur obedire homo, &c.* §. 8. De vita reliqua.

S. Bernardinus t. 3. ser. de obed. art. 2. c. 2. de tota vita Christi ita discurrit: *Obedientiam ostendit in mundum veniens, in mundo manens, & de mundo transiens. In mundum veniens ait, Joan. 6. Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. In mundo manens; meus cibus est, (& quotidie) ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. De mundo transiens, Ioan. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Et ne perderet obedientiam, perdidit vitam; & in signum, quòd obediendo, mandato Patris mortem sustinuit, inclinato capite emisit spiritum; factus obediens usque ad* §. 9. Prosecutio ex S. Bernardino usque ad mortem.

mortem, & mortem Crucis. *Et ideo, ô homo,* inquit Rich. de S. Vict. *nulla tibi obedientia videbitur gravis vel importabilis, si illius exemplum perfectè æmuleris, qui factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem Crucis.* (Ex his verbis poterit fieri elegans allocutio ad Religiosos Societatis JESU, v. g. mi Pater, jubet Regula, ut sis instar baculi, &c. non erit tibi hoc grave, nec insupportabile, si exemplum Christi Salvatoris tui, ferventer æmuleris, &c.)

§. 10. *Vulnera Crucifixi sunt testimonia obedientiæ.*

Si mors Christi in cruce, cujus mentionem feci, fortassis vos memores faciat illius quæstionis, quam Christo D. pendenti in Cruce proposuit Zacharias cap. 13. v. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum*! O mirum spectaculum: Dominum, Dominatorem omnium plagas habere in medio manuum suarum, quibus trabalibus clavis pendet affixus cruci ! si inquam idem quæritis cum Zacharia, advertite etiam responsum Christi D. quo ait: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*; hoc est, Pater meus, qui diligit me ab æterno, ille voluit, ille jussit, ille mandavit, me ita vulnerari; & proinde amantissimi, qui mihi compassionem & commiserationem exhibetis, hoc scitote: hæ plagæ meæ, hæc vulnera, addite, hi clavi, hæ spinæ, &c. *sunt testimonia obedientiæ, signa voluntatis, & jussionis paternæ*; quia sic voluit Pater, volui & ego; & ideo descendi de cœlis in hunc mundum, ut pro homine inobedienti Patri obedire possem, *usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

§ 11. *Christus D. non tantùm æterno Patri, sed Crucifixoribus fuit obediens.* [illegible]

Aliquid peculiare & affectuosum advertit S. Vincentius Ferrerius serm. 3. in epiph. Christum D. in Passione sua, præsertim in theatro montis Calvariæ, voluisse nos docere virtutem obedientiæ, obediendo, non tantùm æterno Patri, sed ipsis Crucifixoribus; & in particulari meditatur, Crucifixores cùm ad locum crucifixionis venerunt, postquam Crux sanctissima jam jaceret humi, cùm lictores astarent accincti malleis & clavis, dixisse Christo D. *Exspolia te*, depone vestes. Stupete cœli! Christus obediens, *statim obedivit.* Et licèt lictores cum ingenti furia & impetu, ex vulnerato corpore tunicam abstraherent, ipse tamen juvit, ut Crucifixoribus obediret. Erubesce cinis, si memor es, quòd subinde Superiori non velis esse obediens, & hoc amore JESU. Perfecta obedientia non disquirit, cui obediat. RR. Patres, (alloquor vos verbis S. Bern.)

Bern) *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, id est, ut imitemini obedientiam ejus. Ex his, quæ passus est, discimus, quanta nos, qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti; pro quâ is, qui DEUS erat, non dubitaverit mori.*

Finio hanc exhortationem affectuosissimâ revelatione, in quâ Christus D. S. Brigittam l. 6. c. 20. ita instruxit: *Omnes veræ virtutes ex charitate, sicut rami ex arbore procedunt, inter quas virtutes obedientia primatum tenet; unde & mihi amicissimus est, qui se ex humilitate subjicit, voluntatemq́ suam in manibus aliorum reponit, ita ut eam sequi nolit. Nam & ego, qui sum omnium perfectissimus, atque ipsa perfectio, obedivi Patri usque ad mortem, ut exemplo meo ostenderem, quàm placitum sit* DEO, *obedire.* Eja Socii JESU, si vultis, ut amici quoque sitis, imò, amicissimi! eja, &c. §. 12. *Quàm Christo D. Obediens sit acceptus.*

Pro ornatu & amplificatione harum Exhortationum, vide multa apud P. Josephum Mansium, Tomo 3. Tractatu LIV. de Obedientia, fol. 535.

DE FRATERNA CHARITATE, ET MUTUA DILECTIONE, VITIOQUE ILLI OPPOSITO, QUOD EST DISCORDIA, EXHORTATIONES QUATUOR.

EXHOR-

EXHORTATIO I.

DE MUTUA DILECTIONE.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.
ad Rom. c. 13. v. 8.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit varias rationes, propter quas S. P. N. Ignatius in suis Regulis & Constitutionibus tam seriò suis commendat charitatem, & mutuam dilectionem.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *Quare S. Ignatius, &c.* (*Vide syn. exh.*) R. 1. *Habuit præ oculis exemplum Christi D.*
§. 3. *Dilectionem proximi efficit Spiritus sanctus.*
§. 4. *Illa dilectio est funiculus coccineus, ex c. 2. Iosue.*
§. 5. *Habuit S. Ignatius præterea præ oculis exemplum S. Ioannis Evangelistæ.*
§. 6. *Movit S. Ignatium dilectionis hujus necessitas.*
§. 7. *Dilectio hæc domum religiosam convertit in paradisum.*
§. 8. *Simile desumptum ab exercitu.*
§. 9. *Dilectionis hujus jucunditas.*

§. 1. *Propositio.*

DE fraterna charitate, in una aut altera exhortatione, paucas proponam quæstiones.

§. 2 *Quare S. Ignatius, &c.* (Vide Synopsin) R. 1. *Habuit præ oculis exemplum Christi Domini.*

Prima est hæc: Quare S. P. N. Ignatius, in suis Regulis & Constitutionibus, usum & exercitium hujus virtutis tam sedulò filiis suis inculcavit & commendavit? Respondeo 1. Habuit præ oculis exemplum Christi Domini nostri, qui frequenter, sed præsertim in celeberrimo sermone ultimæ cœnæ, quem ad discipulos, abiturus ex hoc mundo, habuit, certiores illos facere voluit de signo, ex quo post suam mortem & resurrectionem agnoscendi essent veri ejus discipuli, & doctrinæ suæ professores & sectatores. Ait enim Joan. 13. v. 35.

In

In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis. Sed ex quo signo illud dignoscendum erit? an fortassis ex dono prophetiæ? vel idiomatum & linguarum peritiâ? an ex scientiâ, & infusa Sapientia? an ex collatâ super dæmones potestate? vel idolorum demolitione? an ex tot populorum conversione? an ex arcanorum divinorumque mysteriorum revelatione? an ex patratis portentis? an ex morte fortiter pro Christo toleratâ? verum omnia hæc, non sunt infallibilia signa vera Sanctitatis? In quo igitur? *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* S. Chrysost. h. 31. in Joan. *Omissis miraculis dilectionis eos signo notat; quando hæc maximè Sanctorum hominum est indicium.* Inter signa, ex quibus advertere poteritis, an sitis veri filii S. Ignatii, & Societatis JESU: non attendite ad doctrinam &c. hoc disquirite, an habeatis dilectionem ad invicem. Hoc signo S. Ignatius signavit suos filios. Hæc dilectio perfectæ sanctitatis in Soc. est indicium.

S. August. tr. 61. in Joannem: postquam egit de adventu Spiritus S. in hunc mundum, inter alia quærit, *unde cognoscit quisq; se accepisse Spiritum Sanctum?* & respondet. *Quisq; interroget cor suum, si diligit fratrem manet Spiritus DEI in illo*, & paulò post: *Interroga cor tuum; si tibi est dilectio fratris. Securus esto, non potest esse dilectio sine Spiritu DEI, quia Paulus clamat, Caritas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Immuto paululum propositam quæstionem, ad rem meam. Unde cognoscet quisque ex Soc. JESU, se accepisse illum Spiritum, quem S. Ignatius desiderat in suis filiis? Quisque interroget cor suum, si diligis fratrem, ut debes, manet in te, Spiritus DEI, Spiritus Christi, qui caritas est, & Spiritus S. Ignatii. *Amor*, inquit Didacus Stella in c. 10. Lucæ *rubrica est, quâ cognoscuntur oves Christi, & à grege dæmonis distinguuntur*, Juxta illud ep. 1. S Joan. c. 3. v. 10. *In hoc manifesti sunt filii DEI, & filii diaboli. Omnis qui non diligit fratrem suum, non est ex DEO. Omnis autem* (ad Rom. 13. v. 8.) *qui diligit fratrem suum, est ex DEO.* Pari modo de nostrâ Societate debemus discurrere. Amor rubrica est, quâ cognoscuntur filii S. Ignatii, & ab asseclis hujus mundi distinguuntur. In hoc manifesti sunt Religiosi Societatis, genuini, & discoli, & Spiritu ferventes & tepidi. Qui se invicem dili-

§. 3. Dilectionem proximi efficit Spiritus Sanctus.

diligunt, ex DEO sunt, & vivunt ex spiritu, quem S. Ignatius nobis ita commendavit. Dilectio mutua, est rubrica S. Ignatii.

§. 4. *Dilectio confertur cum funiculo coccineo, ex c. 2. Iosu.*

In occupatione & devastatione civitatis Hierchuntinæ, nullum prorsus damnum illatum fuit domui Raab, quæ Josuæ 2. duobus exploratoribus terræ Sanctæ, non tantùm benefecerat, sed ex periculo mortis liberaverat. Sed quis furibundo militi, in tanto tumultu, dixit, vel ostendit, quænam esset domus illius mulieris? funiculus coccineus id fecit; quem illi gratitudinis ergo, dederant illi exploratores, dicentes. *si signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaveris eum in fenestrâ*; salva eris &c. Scio hunc funiculum plerumque significare roseum sanguinem à Christo Redemptore pro nobis effusum, & amo, & veneror hunc funiculum; hoc funiculo cupio ligatum esse cor meum; dies & noctes, sed potissimùm in horâ mortis meæ. Simul tamen memini, Albertum Magnum in c. 13. S. Joan. super verba hæc, *in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis* dixisse. *Omnes Christi discipuli, hoc signaculo dignoscuntur. Quod signatum est Iosuæ 2. ubi dicitur, quod signavit Raab domum & familiam suam, ut cognosceretur, per vittam coccineam, per fenestram domus suæ pendentem. Vitta enim caritas est, quæ ligat, coccinea autem est per ruborem caritatis. De certitudine autem est, quod sola caritas, est signum certum salutis.* Præsertim cum vitta hæc rubet roseo sanguine Salvatoris. RR. Patres desideratis signum, ex quo cognoscere possitis, an nostrâ Societas; an hæc familia quam in caritate congregavit S. Ignatius; an hic exercitus quem sub labaro sanctæ crucis conscripsit, sit Societas, sit familia, sit domus, sit exercitus JESU Salvatoris? advertet ad coccineum funiculum; ad caritatem, an illa diffusa sit in cordibus nostris: quæ est signum certum salutis. Breviter idem Alb. M.

§. 5. *Habuit S. Ignatius præsertim præ oculis exemplum S. Ioannis Evangel.*

Respondeo 2. S. Ignatius dum toties nobis in regulis commendavit mutuam dilectionem, habuit præ oculis exemplum S. Joannis Evangelistæ, de quo S. Hieronymus refert, quod in decrepitâ ætate, suis discipulis identidem repetiverit hanc sententiam, *Filioli diligite alterutrum* ille Apostolus de quo canit Ecclesia, *Fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit*, & cum discipuli ejus tædio affecti, quod eadem toties audirent, dicerent, *Magister quare hoc semper*

per loqueris. Respondit (teste S. Hier.) *dignam Ioanne sententiam, quia praeceptum Domni est, & si solum fiat, sufficito.* Addit Hugo Card. in personâ S. Joannis, ex ep. 1. c. 1. v. 5. *Et hac est annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis.* Tum ait cit. Hugo. *Emphaticè loquitur, quasi dicat, dignum est hoc, ut semper debeat esse in annuntiatione, quam audistis ab initio praedicationis nostrae, vel conversationis nostrae. Et quid? ut diligatiis alterutrum..* Eadem fuit mens, idem Spiritus S. Ignatii, mutuam dilectionem annuntiavit suis filiis. Hoc dignum judicavit, in concionibus, in exhortationibus, in familiaribus colloquiis, annuntiare, prædicare, & commendare hoc, ut diligatis invicem. Quæritur, O. S. Ignati, quare in tuis regulis & constitutionibus toties loqueris de hâc dilectione (possunt ex regulis colligi pulcra quædam dicta) cur ais ita. Quærite si vultis, si forte afficiamini aliquo tædio, sed respondebit dignam S. Ignatio sententiam; quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit? S. Ignatius ex eodem fonte, ex pectore, ex corde sui Salvatoris hausit hanc doctrinam ut dixerit, *Societas IESV nihil est aliud, nisi Societas amoris, atq; concordiae.* Ideo ad suos dilectissimos Patres Goam scripsit. *Obsecro vos, ut vero germanoq; amore inter vos, vos complectamini.*

§. 6. *Movit S. Ignatium virtutis hujus necessitas.*

Respondeo 3. S. Ignatius toties commendat mutuam dilectionem, quin advertit virtutis hujus necessitatem, præsertim in Societate JESU. Certum enim est, quod ad hoc ut anima corpus informet, eidemque vitam & esse subministret, omnino requiratur, ut omnes illius partes, & membra simul unita consistant: eodem prorsus modo, si volumus ut divina gratia, & amor DEI, & Spiritus S. nos vivificant, necessum est, ut uniti ad invicem, & concordes simus. Unde S. Vincentius Ferrerius, cum notasset Spiritum S. tum descendisse festo Pent. super Apostolos, cùm *essent pariter in eodem loco*, dicit. *Quia sicut Spiritus humanus ad hoc, ut vitam det corpori, requirit conjunctionem membrorum; quia si membra sunt divisa, scilicet caput seorsum, & manus, & pedes, & sic de aliis, Spiritus recedit, nec remanet cum aliquo membro diviso, ita etiam est de Spiritu Sancto. Unde legimus in Psalmo 132. ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Quoniam illic mandavit Dominus, benedictionem & vitam usque in saeculum.* Placuit hoc simile B. Laurentio Justiniano,

de ligno vitæ c.17. *Videmus unum membrum timere ab alio separari, sic nihil tam debet formidare Christianus* (multò magis, religiosus Soc. JESU) *quàm separari à Christi corpore:* in hoc debemus esse solliciti (ad Coloss.3.v.14.) ut servemus *unitatem Spiritus in vinculo pacis*, & simus, unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati sumus, in spe vocationis nostræ; & *ut abundet* (ad Thessal.) *caritas uniuscujusq; vestrum invicem.* In tali corpore, in tali anima, est Spiritus S. Ignatii, imò xi D. & ipse Spiritus Sanctus.

§.7. *Dilectio hæc domum religiosam convertit in cœlum paradisum.*

Hæc unio & mutua dilectio, religiosam aliquam domum, convertit in quoddam cœlum. Postquam S. Thomas de Villa Nova vocasset, civitatem, sive, beatam Jerosolymam, & locum pacis, exclamavit: *O pax! O unitas admirabilis! illius Sanctissimæ Civitatis! O prodigium! O miraculum grande! ut in tantâ multitudine, & tam varia, differentium personarum, Angelorum & hominum, nulla sit omnino discrepantia voluntatum, neque tantillum unus discordet ab altero, sed quod unus vult, velint omnes.* Quisquis me deduxerit in aliquam domum religiosam, vel aliquod Collegium Soc. JESU, in quo regulæ S. Ignatii de mutuâ dilectione, servantur in vigore, illi ego ostendam quandam in terris Jerosolymam, sive quoddam cœlum, vel amænum quendam locum, de quo dicere possit, O pax &c. applica superiora pulcrè Societati JESU, vel Collegio, in quo vivis, si vigeat pax, &c. & quia S. Ignatius optavit, talem esse suam Societatem in terris, necessarium judicavit, annuntiare mutuam dilectionem: sine quâ, domus religiosa, etiam potest esse infernus.

§.8. *Simile desumptum ab exercitu.*

De gloriosis Apostolis pulcrè ait Hugo Card. in 1.15. S. Joannis: " Dominus mittens Apostolos, in exercitu contra diabolum, in quo " necessaria est concordia, ac unus prodat alium, & ut concorditer, " & unanimiter aggrediantur pugnam, tradidit eis, præceptum dile" ctionis; quæ est mater concordiæ, consequenter victoriæ; quia o" mnis pugna, unanimiter aggressa victoriam parit. Tertull. ait SS. Martyres fuisse insuperabiles, *utpote unitos, & concordia armatos. Pax nostra, diabolo est bellum.* Et S. Greg. M. l. 8. in Ezech. *Electorum multitudinem eò magis maligni spiritus pertimescunt, quod eos per caritatis concordiam munitos contra, & conglobatos conspiciunt.* Ecce causam, ecce necessitatem, quæ S. Ignatium permovit, ut toties nobis

bis dederit præceptum mutuæ dilectionis. Exercitium de Regno DEI in libello Exercitiorum; & contemplatio de duobus Vexillis, satis declarant illum instituisse Sanctam Societatem, veluti cohortem, & castrorum aciem ordinatam, selectissimorum militum, adpugnandum contra carnem, contra sensualitatem, contra hæreticos, contra inimicos Crucis Christi, contra idolatriam, & adversus diabolum, ardua hæc est pugna, viribus est opus. Confidite fortissimi heroes, necessaria nobis est concordia, concorditer & unanimiter aggrediamur pugnam; diligite vos invicem, hæc dilectio, hæc concordia erit Mater victoriæ. Conspiremus tantùm in unum. Omnis pugna, unanimiter aggressa parit victoriam. Ideo, *Ecclesia*, ait Hugo, *dicitur terribilis, ut castrorum acies ordinata.* Idem suo modo dicere possumus, de Societate S. Ignatii, cui vir Sanctus inspiravit Spiritum mutuæ dilectionis, cui toties exemplo Christi D. repetit & inculcat præceptum hujus amoris, ut rem tam necessariam magis nostris mentibus imprimat, quemadmodum clavus, ut tenacius parieti inhæreat, non uno tantùm ictu, sed tertio, & quarto, pluribusque defigitur.

Respondeo denique 4. & dico, S Ignatium tam serio nobis commendasse mutuam dilectionem; quia ab hâc virtute pendet, ut in hâc Societate, in lætitiâ & jucunditate serviamus Domino DEO. Nam ut S. Chrysostomus ait hom. 2. de Job. *Hoc inprimis habet caritas, quod cum utilitate*, (& necessitate) *sit facillima atq; jucundissima.* S. Th. de Villa Nova. *Bonum & jucundum est sola caritas; hoc privilegium soli caritati reseruatum est, ut cùm sit non solùm bonum, sed bonorum maximum, sit quoque jucundissimum; omnis quippe alia virtus pœnam habet annexam. Nostra humilitas, patientia, abstinentia, caritas, paupertas, fortitudo, laborem habent; neq; enim sine labore homo submittitur, patitur injurias &c. In amore autem quanam difficultas? quis labor est amare?* Denique idem Sanctus, postquam auditores suos ad unionem & mutuam dilectionem animandos, varias adduxisset rationes, tandem concludit. *Si hæc omnia non te movent, moveat te saltem ipsa, quàm diximus, jucunditas caritatis. Quis enim non vult jucunde vivere, & cùm lætitiâ vitam agere? hoc sine fraternitate habere non poteris. Quid namq; jucundius,*

§. 9. *Dilectionis hujus jucunditas.*

dius, quàm concordia? quid molestius quam discordia? ut bene dixerit S. Joannes ep. 1. c. 2. v. 10. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet*; scilicet in lumine pacis, & consolationis, & lætitiæ. *Qui odit in tenebris est*, hoc est, in tenebris molestissimæ cujusdam tristitiæ, & iterum ep. 1. c. 3 v. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte.* S. Aug. tr. 2. in ep. 1. S. Joannis. *Unde non erimus in tenebris? si amemus fratres: unde probatur? quia amamus fraternitatem, quia non scindimus unitatem, quia habemus caritatem.* Concludite ex hoc discursu; Quinam religiosi in Societate JESU, vivant in luce, quinam in tenebris! quinam in morte, quinam in vitâ! quinam in lætitia; quinam cùm tristitia serviant DEO! B. Laur. Just. dixit in fasciculo amoris, *stateram quandam spiritualem divini amoris, voluit DEUS esse proximi dilectionem.* Ego dico, stateram divinarum consolationum &c. esse hanc eandem dilectionem. Rationem affert S Basilius hom. de ira. *sicut qui caritatem habet, Deum in se habet.* Consequenter cum DEO omne bonum, omne gaudium, & omnem dilectionem. *Ita qui odium, & iram habet, dæmonem in se continet*, cum dæmone, tenebras, luctum, tristitiam. Desiderium Sancti Ignatii est, ut ex loc. exturbetur dæmon; in pace verò & dilectione soli Christo D. sit locus. Ideo toties & tam serio suis commendavit mutuam dilectionem.

EXHORTATIO II.

DE MUTUA DILECTIONE.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis, ad Rom. 13. v. 8.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

QUalem dilectionem mutuam, S. Ignatius suis filiis commendaverit.

§. 1.

IN præteritâ exhortatione, de virtute mutuæ dilectionis, hanc pertractavi quæstionem. Quare S. Ignatius in suis regulis & constitutionibus, usum & exercitium hujus virtutis, suis filiis tam sedulò commendarit. Quæstionem alteram, proponam hâc exhortatione, qualem scilicet inter nos invicem, dilectionem desideret S. Ignatius. Conabor hanc virtutem, veluti formosissimam Virginem, imò Reginam, illis induere vestibus, illis ornare gemmis, ut omnium oculis placeat & arrideat. **§ 1. Propositio.**

De pulcerrimâ veste mutuæ dilectionis, ita loquitur S. Paulus ad Coloss. 3. v. 12. *Induite vos ergo sicut electi DEI, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos: super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris, in quâ & vocati estis in uno corpore.* Quæ affectuosissimis verbis ipse Christus D. ita exponit Joan. 17. v. 17. *Sanctifica eos* (supple, O Pater æterne) *sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus, quia tu me misisti: & ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut & nos unum sumus; ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti.* Quid affectuosius? **§. 2. Descriptio veræ dilectionis, ex verbis S. Pauli & Christi Domini.**

ctuosius? quid magnificentius? quid pulcrius, de mutuâ dilectione dici potest, quæ attestante Christo D. ita nos colligat, & conjungit in unum; ut simus unum; sicut DEUS Pater & Filius, in unitate personæ nunc *unum*. S. Ambr. l. de parad. c. 5. *Nos unum esse præcepit; & suæ naturæ, unitatisq; similitudinem in nos gratiæ adoptione transfudit, dicens; Pater sicut ego, & tu, unum sumus; ita & isti in nobis unum sint.* Dilecti filii Societatis, RR. Patres, Carissimi Fratres, quærite ex parente vestro, S. Ignatio, qualem inter vos desideret dilectionem, respondebit cum S. Paulo, *Induite* &c. respondebit cum Christo D. *Vt sitis unum!*

§. 3. *Malogranatum est symbolum veræ dilectionis.* Figura hujus unitatis, sint malogranata, quæ pependerunt de fimbriâ vestimenti, in quo olim summus sacerdos, ingressus fuit Sancta Sanctorum. Siquidem per hæc malogranata varii significati fuerent populi, inter se quidem quoad linguam leges, & mores distincti, & disuniti: Uniti tamen in eadem fide & caritate, erga DEUM & proximos: hoc enim pomum, vera figura est caritatis; siquidem in illo innumera rubescentia grana, in varios ordines distincta, sub eodem tamen cortice collecta sunt, in pulcerrimum ordinem, quem omnium oculi admirantur; habet præterea hoc pomum hanc proprietatem, quod ad ardentiores solis calores viscera sua totaliter pandens, & explicatis omnibus demonstret latentem thesaurum, sive ardentes carbunculos caritatis. Tale malogranatum est *Ecclesia, cujus innumeros populos* (S. Greg.) *unitas fidei contigit, quos intus diversitas meritorum tenet.* O filii Societatis! estote solliciti, sitis vestiti veste nuptiali in quâ coram Christo Judice aliquando comparere valeatis, attendite inquam; ne desit illi ad ornatum pulcerrimum malo granatum, hoc est, unitas mutuæ dilectionis.

§. 4. *Fons ex quo profluit hæc dilectio.* Fontem, ex quo hæc eadem dilectio profluxit & profluit, nobis eadem arbor malogranati ostendit, prælertim, si ut aliqui putant Sponsus ad Sponsam de hâc arbore dixerit Cant. 8. v. 5. *Sub arbore malo suscitavi te*, hoc est (ita exponit P. Corn. à lap.) *Mortua eras in peccatis, vel innatis, vel additis, vivificavi te sub ligno Crucis, de corpore meo, pendente in ligno, sanguis redemptionis quinq; rivis stillavit super te, & ita sub arbore suscitavi te.* Itaque sanguis

Christi,

Christi, nobis dat vitam, & cum hâc vitâ gratiæ mutuam dilectionem, & caritatem, quæ cum eodem sanguine ex pectore & Corde Christi, profluxit.

§. 5. *Vera dilectio erga proximum, est fructus sive effectus SS. Eucharistiæ*

Qualis dilectio? qualis SS. Eucharistiæ solet esse fructus? Job, summa cura in paterno corde angebatur, ut inter filios & filias & totâ familia, mutua conservaretur unio, & dilectio; ideo *pro his* (inquit S. Chrysost. hom. 1. de Job) *quæ verbo vel contentione inter illos contigissent, continuo visu ad invicem faciebat, existimans, quoniam etsi quicquam livoris vicissim contraxissent mensa panisq; appositio eos conciliaret unanimes.* Ideoque Orig. l. 1. de Job ait, *septem filii Iob, & tres filiæ, tanquam una anima, indivisi convixerunt in unanimitate.* Si asseram Christum D. ad eundem finem instituisse SS. Eucharistiam, ut illâ pasti, nos invicem diligamus, nemo me poterit reprehendere. Videtur enim illud voluisse dicere S. Paulus ep. 1. ad Corinth. cap. 10. v. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno participamus,* & S. Th. de Villa N. *Quia unum panem comedimus, & ad unum Sacramentum Altaris accedimus, fraterna inter nos debet vigere dilectio, & amor qualis cum sanguine ex pectore Christi profluxit, ideo hoc Sacramentum convivium dicitur, quia Sacramentum est unitatis & pacis, in concordiam edentium institutum. Act. 2. Multitudinis credentium erat cor unum & anima una; quia erant perseverantes in communicatione fractionis panis*: Ob eandem causam SS. Eucharistia vocatur *communio*, quia simul in amore & caritate nos unit, & commiscet. Unde S. Cyprianus ait Ser. de cœnâ Dom. *Quibus unus est panis, unum est corpus, & omnium unum cor & una anima.*

§. 6. *Cur Christus D. SS. Eucharistiam instituerit.*

Notabilem circumstantiam addit S. Paschasius l. 12. in Matth. c. 26. qui putat Christum D. paulò ante Passionem instituisse SS. Eucharistiam; *Quatenus per hoc, antequam se daret in precium, nos in illo, & ille in nobis unum essemus corpus.* Non dissentit S. Augustinus Ser. 83. de div. dum considerans materiam, quam Christus D. pro hoc Sacramento seligere voluit, accepit panem, qui ê pluribus granis in unam farinam redactis simul pinsitur, & arctè unitur, & ita, *commendat nobis in isto pane unitatem amare.* Certè Judæi, quando Christum D, antequam SS. Eucharistiam institue-

ret, de illâ audierunt discurrentem, (Joan. 6.) litigarunt ad invicem dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Quoniam* (.Aug.) *panem concordia non intelligebant, nec sumere volebant; nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem; quia unus panis, unum corpus multi sumus, & per hunc facit unius moris habitare in Domino.* Cupio vos ex his advertere; quare S. Ignatius in suis reg. jubeat, ut omnes, qui sacerdotes non sunt, sing. diebus Dominicis & festis communicent; Sacerdotes verò ita vivant, ut quotidie dignè possent celebrare. Usus SS. Eucharistiæ fovet mutuam dilectionem; in devotâ Communione Christus D. nobis aperit pectus & cor suum, ut cum suo precioso sanguine stillent super nos mellei rivi caritatis, & mutuæ dilectionis.

§. 7. *Qui perfectè diligit proximum, vivit.*

Ut ulterius exponam, qualem dilectionem à nobis exigant Christus D. & S. P. noster Ignatius; iterum mihi occurrit versus 4. ex c. 2. ep. ad Ephesios. *Propter nimiam caritatem, quâ dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos.* Sermo est de vita spirituali animæ, quâ vivimus in gratiâ & amore DEI; de quâ pulcrè ait S. Bern. in die Ap. Petri & Pauli Ser. 1. Putas, parva res est, scire „vivere? magnum aliquid, imò maximum est. Non vivit, qui „superbiâ inflatur, qui luxuriâ sordidatur, qui cæteris inficitur pe„stibus; quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, & „appropinquare usque ad portas mortis. Ps. 106. Arbitror au„tem, quod tu, qui in congregatione es, bene vivis, si vivis ordi„nabiliter, sociabiliter, & humiliter. Ordinabiliter tibi, socia„biliter proximo, humiliter DEO. Vocula sociabiliter, facit ad „rem meam. Sociabiliter vive, ut studeas amari, & amare: „blandum te & affabilem exhibere, supportare non solùm pati„enter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, „quàm corporum. Ecce pulcerrimos actus Caritatis erga proximum! hos & similes præscripserunt Apostoli, illorum exemplo Christus D. Salvator noster. Quamdiu vivimus in irâ, rixis, contentionibus &c. sumus mortui; per dilectionem vivificamur in Christo.

Dum

Dum percurro regulas S. Ignatii, & Constitutiones ubi de mutua caritate agunt, videor mihi audire S. Ignatium, dicentem cum S. Paulo ad Ephes. 4. v. 1. & 2. *Obsecro vos ego ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis* (ad Sanctam JESU Soc.) *cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientiâ, supportantes invicem in caritate.* Soliciti *servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* 2. ad Thessal. c. 1. v. 3. *Gratias ago DEO quoniam abundat caritas uniuscujusq; vestrum invicem.* Ubi S. Chrysost. *Vide caritatem, non hunc quidem diligebant illum verò minimè; sed erat æqualis. Hoc enim innuit dicendo, uniuscujusq; vestrum invicem, veluti unius corporis.* Hic fuit Spiritus S. Ignatii, dum vixit in terris ut sua Societas sit tale corpus. §. 9. *Perfecta dilectio includit varias virtutes.*

Insignem actum mutuæ dilectionis nobis proponit S. Paulus ep. 1. ad Corinth. c. 12. v. 26. dum ait, *si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra,* quæ verba hom. 31. ibidem ita exponit. *Calcando infixam spinam totum corpus sentit, & sollicitum est, & deorsum flectitur, incurvatur caput, succurrunt manus, vident oculi cum magnâ sollicitudine pro invicem sollicita sunt membra.* Pari ratione mutua dilectio, sentit & compatitur, cum illi, quos diligimus aliquid patiuntur. Compassio, & opportunum proximo infirmo vel afflicto, allatum subsidium, verissima sunt caritatis signacula. Cum Joan. 11. Christus D. deflerret mortem defuncti Lazari, dixerunt astantes, v. 36. *Ecce quomodo amabat eum.* Hæc mihi certa est consequentia, ille Pater, ille Magister, ille frater, libenter inservit fratri ægro; ergo amat illum; ergo mutuam habet dilectionem, quam requirit S. Ignatius (hoc modo potest fieri p. inductio.) §. 10. *Vera dilectio, proximo compatitur.*

Occasione similitudinis, quæ ab Apostolo desumpta est à membris corporis, sic ait B. Laur. Justin. *Docemur proximum sicut nos ipsos diligere exemplo amoris membrorum corporis humani. Primò in hoc, quod unum membrum non invidet alii membro, licet non habeat idem officium: non omnia namque eundem actum habent membra, nec tamen sibi invicem invident. Sic nec debet aliquis invidere proximo suo, habenti gratiam, quam ipse non habet. 2. In hoc etiam hoc docemur. Membra ad invicem sibi serviunt, nam oculus non videt pro* §. 11. *Prosecutio.*

se solo, sed pro toto corpore, auris, non sibi soli audit, nec pes sibi soli ambulat, sed toti corpori. Eodem modo, ut debito reciprocæ dilectionis, quo obstringimur, perfectè satisfaciamus, bona nostra, tam spiritualia, quàm corporalia, in beneficium commune totius communitatis in quâ vivimus, communicare debemus. 3. Quia sicut unum membrum læsioni se exponit pro alio; sic & nos agere debemus, imitantes Dominum Iesum Christum, qui Passioni se exposuit, ictum, quem genus humanum meruerat, super se excipiens. 4. Similiter, cùm unum membrum ab alio læditur, non se vindicat, sic debet esse inter fideles, nulli malum, pro malo reddentes. Hæc itaque similitudo, quam Spiritus S. suggessit S. Paulo, clarè nobis proponit ob oculos, varios actus, caritatis & mutuæ dilectionis, quam in suis regulis, vel potius in Sanctâ suâ Societate, exigit S. Ignatius.

§. 11. *Alia hujus dilectionis proprietates.* Habet præterea, mutua dilectio alias pulcerrimas proprietates. Facit enim, 1. ut qui amat, proximum, in illo semper aspiciat DEUM, propter quem illum amat. In memoriam illos Cherubinos vobis revocate, qui ad utrumque propitiatorii latus, constituti, expansis alis, & conversis ad se se invicem vultibus, se se mutuo aspiciebant, Exodi 25. v. 18. 19. *Duos Cherubim aureos & productiles facies ex utraq; parte oraculi: Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero, utrumque latus Propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantq; & mutuo versis vultibus in Propitiatorium.* Advertendum enim est, quod dum concussis alis, reciproci amoris ignem in se accendunt, lucidissimis oculis caritatis se mutuo respicientes, simul tamen oculos dirigunt in Propitiatorium, ad denotandum, quod amor ille accendendus sit, mediante alio igne, scilicet divini amoris, qui priorem ignem fovet & conservat. B. Laur. Justin. *Notandum autem est, quod nequaquam proximum rectè potest diligere, qui prius DEUM non veraciter diligit; amore enim DEI firmata esse debet dilectio proximi; nec hominem rectè diligere novit quisquis eum rectè non diligit, qui hominem fecit.* Itaque ex citato cap. 25. Exodi scire possumus, quales alas, qualem vultum, quales oculos, habere debeat, dilectio proximi: ut hunc non respiciat, nisi in DEO, & propter DEUM.

§. 12. *Prosecutio.* 2. Vera dilectio amat proximum, tanquam objectum divini amo-

amoris ; quem DEUS amore sempiterno dilexit ; quem condidit ; pro quo Filium, sanguinem fundere voluit, quem in filium adoptavit, & regni æterni participem secum facere proponit. Eodem modo, & ad eundem finem nos diligere debemus proximum. 3. Amare illum oportet, ut vivam DEI imaginem, ejus manu efformatam, &c. hoc titulo ad amandum nobis propositam ; non ut amor noster ibi hæreat, sed transeat, atque in ipsum feratur prototypon. Hoc est, amare proximum propter DEUM. 4. Amare debemus proximum ut DEI & Christi D. vicarium, cui dum benefacimus, benefacimus DEO & xo D. ideo dixit, *Quod uni ex minimis meis feceris, mihi fecisti* q.d. Si illum diligis, si colis si nutris, si solaris ; id mihi factum puta. Si proinde illum defendis, ego te protegam, si errata illius toleras, tua feram, si illi ignoscis, & ego tibi condonabo, si contra severè cum illo agis, talem me erga te senties, quia *quâcunque mensurâ mensus fueris, remetietur tibi.* Ita Mater, dum infantem alterius curæ committere cogitur, hoc unum habet in ore, quod erga infantem præstiteris, mihi factum putabo.

Si dilectio tua erga proximum desiderat ambulare viam tutissimam, ne in hoc amore vel deficiat vel excedat, esto memor dicti S Francisci Salisii, qui dicere solebat, *in pectore Christi proximus est amabilis ; qui extra Cor Christi illum aspicit, periculum incurrit impuritatis, & inæqualitatis.* Fuerat idem Sanctus, diutius locutus alicui edentulæ mulieri ; interrogatus *quid in illâ reperisset, quod tam diu illum detinuisset* ; respondit, amatur à Christo D. quem in illâ video ; velut amoris incentivum. Ex quibus omnibus fusius responderi potest, quæstioni in initio exhortationis à me propositæ ; qualem dilectionem erga proximum à suis filiis, & inter illos, veluti fratres, requirat S.P.N. Ignatius (fiat brevis & conglobata repetitio totius exhortationis, cum pathetico affectu, ut hæc dilectio quæratur in Corde Christi Crucifixi.) §.13. *Ubi dilectio hæc tutissima.*

EXHORTATIO III.

DE MUTUA DILECTIONE, QUATENUS DICITUR PAX, ET CONCORDIA.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut mutuò diligatis, ad Rom. 13. v. 8.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit quatuor eximia elogia hujus Virtutis. 1. Quod sit typus SS. Trinitatis. 2. Testamentum Christi. 3. Quod hominem faciat Filium DEI. 4. Quod ad illam procurandam Christus D. instituerit SS. Eucharistiam. Miscetur hæc quæstio, quinam dicantur pacifici?

§.1. *Elogium primum.*
§.2. *Prosecutio, ex verbis Christi D. Pater Sancte.*
§.3. *Elogium alterum.*
§.4. *Christus D. moriens in Cruce, fuit sollicitus de procurandâ pace.*
§.5. *Elogium tertium.*
§.6. *Quinam dicuntur pacifici.*
§.7. *Prosecutio.*
§.8. *Effectus hujus dilectionis proponuntur per similia.*
§.9. *Exponuntur priores paragraphi, magis in particulari.*
§ 10. *Elogium 4. ad illam procurandam Christus D. instituit SS. Eucharistiam.*
§.11. *Ioseph in Ægypto fuit figura Christi D. instituentis Eucharistiam.*

§.1. *1 mutua dilectionis elogium, quod sit typus sanctissimæ Trinitatis.*

TErtia quoque exhortatio, agit de fraternâ Caritate, & mutuâ dilectione, quatenus eadem Virtus, in domo præsertim religiosâ, & quâcunque Communitate, dicitur sive vocatur, *Pax & Con-*

Concordia, cujus sublime elogium nobis proposuit S. Greg. Naz. cum dixit in orat. 14. *Hac virtus, est quidam typus Sanctissimæ Trinitatis! in quâ sunt tres Personæ, una tantum Deitas, una voluntas, unus amor, unus omnium consensus*, ideoque *non debet nos latere*, ait S. Bern. *de naturâ & dignitate divini amoris, quibus ille amor, qui dicitur pax & concordia, sit ortus natalibus, quâ nobilitatis lineâ insignis habeatur, vel quo oriundus loco. Primus ejus nativitatis locus, DEUS est*, ut bene S. Paulus Deum appellaverit, Deum pacis & dilectionis, 2. ad Cor. c. 13. v. 11. ad Rom. c. 16. v. 20. ideoq; *ante omnia alia nomina* (S. Greg. Naz. or. 12.) *quibus Deus appellari gaudet, his titulis nuncupatur*. Pax enim & caritas, & amor, atque id genus nominibus appellatur; quo videlicet per ipsa quoque vocabula nos admoneat, ut has virtutes sicuti Deum consequi studeamus. S. Joan. Damasc. l. 1. parall. c. 18. *Deo ac divinis rebus propinqui sunt, quicunq; pacis bonum amplexari dicuntur*. S. Bas. M. Com. in Ps. 33 *Qui pacem quærit, Christũ inquirit quoniam ipse est pax nostra*. S. Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 85. *Proinde mordicus eam retine, cælestis enim est ac Deo vicina*. Verbo, typus est SS. Trinitatis. Tametsi enim Pater, Filius & Spir. S., tres sint Personæ distinctæ, attamen unicus duntaxat Deus sunt, per intimam unitatem & identitatem inter se unitæ, eandem inter se habentes essentiæ unitatem; quæ unio & concordia per pacis & caritatis vinculum nobis repræsentatur; quo vinculo quoq; Caritas hominum diversorum voluntates, & amorem, & consensum ita colligare potest, ut meritò typus sanctissimæ Trinitatis possit nuncupari: juxta illud S. Pauli ad Eph. 2. v. 13. *Nunc autem in Christo Iesu, vos, qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi, ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum*. S. Bern. Ser. de S. Benedicto. *Filius à Patre processit, & venit in mundum, ut qui prius erat cogitatio pacis, in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in terris* Itaque non debet nos latere, quibus pax orta sit natalibus, &c.

§. 2. *Persecutio ex verbis illis Christi D. Pater Sancte etc.*

Supra verba illa Christi D. *Pater Sancte, serva eos in nomine meo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos*, ita ait S. Cyrillus Alex. l. 11. in Joan. c. 20. *Servari in benevolentia, & caritate discipulos, vult, animo & spiritu, & pacis arctissimo vinculo sic ad unum copulatos; ut hac voluntaria unio, naturalis in filio & Patre unitatis imago quadam videatur.*

deatur. (Ecce typum SS. Trinitatis) *ut nullo videlicet modo, hoc nullis rixis, nullâ dissensione, nullâ æmulatione, nullâ invidiâ, &c. frangi, debilitarive possit; sed conservetur in pietatis atq; sanctificationis, unione caritatis, virtus intemerata; quod & factum in Actibus legitur. Erat enim, inquit, credentium cor unum, & unus animus, in unitate scilicet Spiritus. Hoc est, quod etiam Paulus scripsit, Corpus unum, & spiritus unus; nam etsi multi simus, unum tamen corpus in Christo* sumus. Ecce typum SS. Trinitatis.

§. 3. *Alterum elogium, quod sit Testamentum Christi morientis.*

Aliud eximium elogium pacis, concordiæ & mutuæ dilectionis, est quod vocetur *Testamentum Christi D.* hoc est, quod moriens in Cruce pacis nobis in testamento reliquerit. Solent communiter homines in fine vitæ, iis quos diligunt, res magni precii, & valoris testato relinquere; unde nulli dubium est, quia pax quam Christus D. nobis reliquit, inæstimabilem totius vitæ mortis & sanguinis Christi thesaurum in se contineat; & siquidem pro pace illâ procurandâ, sanguinem suum fudit, colligere inde possumus, quanti pax illa sit æstimanda. B. Laur. Justin. c. 7. in fasc. amoris. *Tunc illam filiis reliquit, cùm soluto sanguinis pravio reconciliavit nos Deo, & triumphator migravit ad superos. Pacem, inquit, relinquo vobis, ut à debito liberi* (scilicet æternæ damnationis) *ignito Deum diligatis affectu. Pacem meam do vobis, ut sincero amore invicem diligatis.*

§ 4. *Christus D. moriens in Cruce fuit sollicitus de procurandâ pace.*

Sextum Verbum à Christo moriente in Cruce prolatum, *Consummatum est*, P. Salmeron ita legit, *Pacificatum est.* Usque adeo Christus D. etiam moriens de pace fuit sollicitus, ut inter ipsos gravissimos cruciatus, quos ex obedientiâ Patris sustinebat invocando Patrem, de nostra pace negotiaretur cum illo. Tum subdit. Sanè magnum & ineffabile beneficium est, per Filium cum Patre reconciliari: majus quod per sanguinem ejus talis reconciliatio comparata est; at maximum, quod non vi aliquâ compulsus, aut beneficio ullo, aut obsequio procuratus, sed stupenda caritate, Crucis ignominiam, pertulerit, ut disciplina pacis nostræ, teste Isaia, fuerit super eum. Est igitur JESUS, vera & pacifica hostia, quæ humana cum divinis (& homines inter se) perpetuo fœdere concordiæ connectit. Quid sublimius? quid excellentius de pace, concordiâ & mutua caritate, dici potest? Est typus SS. Trinitatis; est gemma precio-

sa,

[illegible] Christus suo sanguine [illegible], & movens in testamento legavit, [illegible] Deum [illegible], proximum sincero amore diligamus.

[illegible] privilegium & [illegible] est, quod pax, concordia, & [illegible] dilectio, hominem constituat Filium Dei. [illegible] illud Christi D. Matth. 5. v. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* S. Greg. Nyss. orat. 7. de beat. *Filium Dei, esse omnem pla[illegible] felicitatem. Quid [illegible] divina natura comparetur? [illegible] extenuatur? [illegible] Abraham, [illegible] Vani-[illegible] humanum [illegible]* [illegible] Et postquam impossibile esse [illegible] comprehendi, immensam Dei Majestatem [illegible]. *[illegible] qui pro nihilo [illegible] qui fenum, qui vanitas est [illegible] naturam, immortalis [illegible] integer & incorruptus, [illegible] sempiternus. In summa, Deus ex homine [illegible] Dei [illegible] dignitatem [illegible]* [illegible] pace origine [illegible] *quoniam filii Dei vocabuntur,* Sanctus [illegible] D. Chrysost. *in [illegible]* S. Aug. [illegible] *[illegible] Domino.* §. 5. Elogium 3. Pax & concordia hominem facit filium Dei.

Suppositis [illegible] hæc pax, concordia & dilectio [illegible] nem [illegible] pacificos [illegible] S. Antonius [illegible] Ex mente S. Aug. l. [illegible] §. 6. Quinam dicuntur pacifici.

mi motus & carnales concupiscentias habentes edomitas, & rationi subjectas, sunt regnum Dei, in quo ita ordinata sunt omnia, ut summa sit quies. Ex mente S. Isidori Pelusiotæ l. 4. ep. 169. pacifici sunt *qui* [illegible] *mo quidem in* [illegible] *volunt, nec* [illegible] *seditione* [illegible] *quasi civile & intestinum* [illegible]*, dum corpus spiritui subjiciunt* [illegible] *partem* [illegible]*, ut præstantiori serviat* [illegible] *liberate, adeoq; & regno* [illegible]*. Deinde qui* [illegible] *vel secum ipsis, vel cum alio* [illegible] *pacis sunt auctores.* Ex mente S. Rupert. l. 6. *Pacifici* [illegible] *hi sunt, qui pacem* [illegible] *nihil sit quod Deo repugnet* [illegible]*: simul & hoc* [illegible] *vita* [illegible] *ad omnem hominem cum pace ambulent, juxta Apostolum* [illegible]*, cum* [illegible] *pacem habentes.* Ex mente S. Chrysostomi. *Pacifici sunt qui* [illegible] *opus* [illegible] *est prudentis.* Idem S. Aug. [illegible] *sermone* [illegible] *sibi* [illegible] *nentes.* O [illegible] Collegium aliquod Societatis JESU? in quo [illegible] tales pacifici (habes locum pro pulcerrimis digressionibus ad Auditores.)

§ 7. *Prosecutio.* Needum retuli omnes SS. Patrum responsiones, ad hanc quæstionem quinam sint & dicantur pacifici. S. Greg. Nyss. ita respondet: *pacifici vocantur, imitatores humanitatis divinæ* [illegible]*, quod proprium est divinæ bonitatis, in sua vita ostendunt* [illegible] *bellum* [illegible] *repugnam, tollere* [illegible] *appellatio* [illegible]*.* Non possum omittere responsionem S. Pauli ad [illegible] *Dominus, ut digne ambuletis* [illegible] lectum vos R.R. Patres, & Charissimi Fratres, vocavit ad Societatem JESU) *cum omni mansuetudine, cum patientia supportantes invicem,* [illegible] *unitatem spiritus in vinculo pacis.*

§ [illegible] *Exemplum* [illegible] *dilatione* [illegible] *ponuntur per similem.* [illegible] hanc unitatem [illegible] similibus nobis [illegible] *Christi, sicut enim* [illegible] *multa in se grana mediante ligno* [illegible]*, sic & Christus, multos sibi per*

lignum

lignum Crucis, tenet adjunctas. Similiter sicut sunt multa grana uno tegumine tenui inclusa, ita quadam dulci caritatis amplexu, multos una tenet Ecclesia. Et subtexit: Non signa hæc: Charitatis quidem in dulcedine, unitatis autem in unitate granorum sicut scriptum est DEUS qui inhabitare facit unanimes in domo. In prioribus exhortationibus jam feci mentionem malogranati. Tale pomum, talis ficus, talis vitis, in domo religiosa est pax, concordia & mutua dilectio (fiat p. applicatio.)

Actus hujus dilectionis, magis in particulari exponit S. Paulus ad Gal. 5. v. 22. *Fructus autem spiritus Caritas, pax, benignitas, mansuetudo,* ideo pergit Apostolus. *Non efficiamur* [illegible] *invicem provocantes, invicē invidentes.* S. Aug. hoc est, *habeamus pacem cordis, oris, & operis.* B. Laur. Justin. ser. de Pent. *Diligit Spiritus S. unitatem, amat pacem, diligit concordiam, hunc si suscipere cupis, noli dissidere cum fratribus, noli divisus esse in te, concordes in te voluntas, & ratio; caro & spiritus.* Ecce actus veræ dilectionis. Ideo Spiritus S. (S. Pasch. in Matth. l. 12.) *apparuit in columba, ut per eam exponeret, quales futuri erant, qui ad gratiam Sancti Spiritus pervenirent: & quia columba fel non habet, patenter insinuat, quod in felle amaritudinis esse non debet, quisquis ad hanc gratiam venire desiderat.* Descendit Spiritus ille Sanctus super unanimes. De quibus Ruffinus: [illegible] *quieti, leni, tranquilli, & caritatis vinculo,* [illegible] *germanitate constricti ad æmulationem vero virtutum,* [illegible] *ingens exercent,* [illegible] *studet enim unusquisque clementior altero, benignior, humilior & patientior inveniri.* Ecce genium mutuæ dilectionis. Elegantissimè S. Athanasius ca. 30. in vita S. Antonii. *Quis tantum Monachorum agmen aspiciens, qui eorundem* [illegible] *concordia* [illegible] *cerneret? in quo nullus nocens, nulla detractio, sed multitudo abstinentium, & certamen officiorum erat; non in hanc statim erumperet vocem: quam bonæ domus tuæ Jacob, tabernacula tua Israel, tanquam nemora obumbrantia, tanquam Paradisus.* Cūperē vos omnes esse unanimes &c. meritò Collegiū hoc paradisum appellare possum, in quo &c. fiant p. repetitiones.

Secundo jucunditate hujus Virtutis egi in prioribus exhortationibus, ideo redeo ad materiam præsentem, & dico 4. ingens dilectionis esse elogium quod inter alias rationes, Christus D. instituerit SS. Eucharistiam, *ut in Ecclesia sua esset symbolum, ejus unitatis, &* cari-

§. 9. Exponuntur priores paragraphi magis in particulari.

§ 10. Elogium 4. ad illam pertinens quod [illegible] dam Christus D. instituerit SS. Eucharistiam.

caritatis quâ Christianos omnes inter se conjunctos & copulatos esse voluit. Ita Conc. Trid. sess. 13. c. 8. & S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Joan. c. 26. *Ut igitur inter nos & Deum singulos uniret, quamvis corpore simul & animâ distemus, medium tamen adinvenit, consilio [illegible] congruentem. Suo enim Corpore credentes per Communionem mysticam benedicens: & secum, & inter nos, unum nos corpus efficit. Quis enim eos, qui unius sancti Corporis unione in uno Christo uniti sunt, ab hac naturali unione alienos putabit? Nam si omnes unum panem manducamus, unum omnes corpus efficimur, dividi atque [illegible] Christus non patitur.* Ideoq. Ecclesia in festo Corporis Christi hâc oratione utitur: *Ecclesiae tuae quaesumus Domine unitatis & pacis propitius dona concede, quae sub oblatis muneribus mysticè designantur.* S. Augu. tract. 26. in Joan. *Corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis, [illegible] ex multis granis in unum conficitur, [illegible] Commendat nobis in isto pane, amare unitatem.* S. Cyprianus de coena Dom. *Quibus unus est panis, unum & corpus & animam [illegible] uni Christo [illegible].* Cum Christus D. Joan. 6. [illegible] SS. Eucharistia dixisset, litigabant Judaei ad invicem dicentes, *quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum. Litigarunt,* inquit Vener. Beda hic, *quoniam panem concordiae non intelligebant, nec sumere volebant: nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem, quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus.* In institutione SS. Eucharistiae, Christus D. commendavit nobis, in istâ amare unitatem.

§ II. Joseph in Aegypto fuit figura Christi D. in institutionis Eucharistiam.

Verisimile est Josephum injuriam, crudelitatem & inhumanitatem fratrum suorum, à quibus Madianitis venditus fuerat, multis annis in mente saepius revolvisse, & tametsi tempus tandem advenisset, in quo illis execrandum scelus, in se commissum, non quidem ex vindictâ, sed pro correctione ipsorum imputare eis poterat, attamen nunquam illum ne quidem per umbram iis indignatum fuisse reperietis: quin potius Oeconomo suo praecepit, *Instrue convivium, quoniam mecum comesturi sunt hodie.* Gen. 43. v. 16. hoc autem convivio figuratum fuit epulum Eucharisticum, *quia omnia in figurâ contingebant,* & ideo deinde verus Joseph, verus mundi Salvator, Christus JESUS, post tot a Judaeis acceptas inju-

rias,

rias, nunquam ob eas illis indignatus fuit, sed potius instruxit convivium, quia in quâ tradebatur, accepit panem &c. *Vbiq. gratiosus Ioseph*, inquit Petrus Cellensis, *sed in convivio magis, multiq. amplius jucundus, in convivio non retinet injuriam, extendit munificentiam in convivio cibando inimicum, sanat malevolentiam.* Absit à nobis RR. Patres, fratresque dilectissimi, qui toties vescimur hoc pane, & potamur hoc sanguine, ut in animo retineamus injurias; vera dilectio, SS. Eucharistiæ effectus, tota est jucunda, & graciosa, deponit iras &c. amat unitatem; *si tibi* (D. Chrysost.) *contra inimicum dolor est, solue iram, intemperantias laxa, & remedium de mensa accipe.* (Habes locum pro miscero affectu) *secutus in infectum, in conservatione animo odium retinens, quonam tandem pacto ad pacis mensam accedere voles*, (Iterum habes locum pro pulcro affectu, & affectuoso Epilogo.)

EXHORTATIO IV.

DE DISCORDIA PACIS ET DILECTIONIS INIMICA,

Pacem sequimini cum omnibus. ad Hebr. 12. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Præsens exhortatio est invectiva in religiosos discordes.

§.1. *Diabolus est hostis unionis & concordiæ.*

§.2 *Discordiarum pater & auctor, & inventor est diabolus.*

§.3 *Quorsum diabolus in seminandis contentionibus habeat socios ministros & cooperatores.*

§.4 *Filii unius patris debent esse unanimes.*

§.5 *Exponitur ulterius superior paragraphus tertius.*

§.6 *Ex c. 6. Proverbiorum describitur seminator discordiarum.*

§.7 *Christus D. amat concordes & diabolus discordes. [illegible]*

§.8 *[illegible], non [illegible] [illegible]*

§.9 *[illegible] S. [illegible] per simonia.*

§.10. *[illegible] S. Bernardini.*

§.11 *Ingressus ad Religionis [illegible] tatis IESV.*

§.12. *[illegible] dum pacem.*

ret, de illâ audierunt discurrentem, (Joan. 6.) litigarunt ad invicem dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Quoniam* (. Aug.) *panem concordiae non intelligebant, nec sumere volebant; nam qui manducant talem panem, non litigant adinvicem; quia unus panis, unum corpus multi sumus, & per hunc facit unius moris habitare in Domino.* Cupio vos ex his advertere; quare S. Ignatius in suis reg. jubeat, ut omnes, qui sacerdotes non sunt, sing. diebus Dominicis & festis communicent; Sacerdotes verò ita vivant, ut quotidie dignè possent celebrare. Usus SS. Eucharistiæ fovet mutuam dilectionem; in devotâ Communione Christus D. nobis aperit pectus & cor suum, ut cum suo pretioso sanguine stillent super nos mellei rivi caritatis, & mutuæ dilectionis.

§. 7. *Qui perfectè diligit proximum, vivit.*

Ut ulterius exponam, qualem dilectionem à nobis exigant Christus D. & S. P. noster Ignatius; iterum mihi occurrit versus 4. ex c. 2. ep. ad Ephesios. *Propter nimiam caritatem, quâ dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos.* Sermo est de vita spirituali animæ, quâ vivimus in gratiâ & amore DEI; de quâ pulcrè ait S. Bern. in die Ap. Petri & Pauli Ser. 1. Putas, parva res est, scire „vivere? magnum aliquid, imò maximum est. Non vivit, qui „superbiâ inflatur, qui luxuriâ sordidatur, qui cæteris inficitur pe„stibus; quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, & „appropinquare usque ad portas mortis. Ps. 106. Arbitror au„tem, quod tu, qui in congregatione es, bene vivis, si vivis ordi„nabiliter, sociabiliter, & humiliter. Ordinabiliter tibi, socia„biliter proximo, humiliter DEO. Vocula sociabiliter, facit ad „rem meam. Sociabiliter vive, ut studeas amari, & amare: „blandum te & affabilem exhibere, supportare non solùm pati„enter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, „quàm corporum. Ecce pulcerrimos actus Caritatis erga proximum! hos & similes præscripserunt Apostoli, illorum exemplo Christus D. Salvator noster. Quamdiu vivimus in irâ, rixis, contentionibus &c. sumus mortui; per dilectionem vivificamur in Christo.

Dum

Dum percurro regulas S. Ignatii, & Constitutiones ubi de mutua caritate agunt, videor mihi audire S. Ignatium, dicentem cum S. Paulo ad Ephes. 4. v. 1. & 2. *Obsecro vos ego ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis* (ad Sanctam JESU Soc.) *cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientiâ, supportantes invicem in caritate.* Soliciti *servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* 2. ad Thessal. c. 1. v. 3. *Gratias ago DEO quoniam abundat caritas uniuscujusq; vestrum invicem.* Ubi S. Chrysost. *Vide caritatem, non hunc quidem diligebant illum verò minimè; sed erat æqualis. Hoc enim innuit dicendo, uniuscujusq; vestrum invicem, veluti unius corporis.* Hic fuit Spiritus S. Ignatii, dum vixit in terris ut sua Societas sit tale corpus. §. 9. *Perfecta dilectio includit varias virtutes.*

Insignem actum mutuæ dilectionis nobis proponit S. Paulus ep. 1. ad Corinth. c. 12. v. 26. dum ait, *si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*, quæ verba hom. 31. ibidem ita exponit. *Calcando infixam spinam totum corpus sentit, & sollicitum est, & deorsum flectitur, incurvatur caput, succurrunt manus, vident oculi cum magnâ sollicitudine pro invicem sollicita sunt membra.* Pari ratione mutua dilectio, sentit & compatitur, cum illi, quos diligimus aliquid patiuntur. Compassio, & opportunum proximo infimo vel afflicto, allatum subsidium, verissima sunt caritatis signacula. Cum Joan. 11. Christus D. defleret mortem defuncti Lazari, dixerunt astantes, v. 36. *Ecce quomodo amabat eum.* Hæc mihi certa est consequentia, ille Pater, ille Magister, ille frater, libenter inservit fratri ægro; ergo amat illum; ergo mutuam habet dilectionem, quam requirit S. Ignatius (hoc modo potest fieri p. inductio.) §. 10. *Vera dilectio, proximo compatitur.*

Occasione similitudinis, quæ ab Apostolo desumpta est à membris corporis, sic ait B. Laur. Justin. *Docemur proximum sicut nos ipsos diligere, exemplo amoris membrorum corporis humani. Primò in hoc, quod unum membrum non invidet alii membro, licet non habeat idem officium: non omnia namque eundem actum habent membra, nec tamen sibi invicem invident. Sic nec debet aliquis invidere proximo suo, habenti gratiam, quam ipse non habet. 2. In hoc etiam hoc docemur. Membra ad invicem sibi serviunt, nam oculus non videt pro* §. 11. *Prosecutio.*

se solo, sed pro toto corpore, auris, non sibi soli audit, nec pes sibi soli ambulat, sed toti corpori. Eodem modo, ut debito reciprocæ dilectionis, quo obstringimur, perfectè satisfaciamus, bona nostra, tam spiritualia, quàm corporalia, in beneficium commune totius communitatis in quâ vivimus, communicare debemus. 3. Quia sicut unum membrum læsioni se exponit pro alio; sic & nos agere debemus, imitantes Dominum Iesum Christum, qui Passioni se exposuit, ictum, quem genus humanum meruerat, super se excipiens. 4. Similiter, cùm unum membrum ab alio læditur, non se vindicat, sic debet esse inter fideles, nulli malum, pro malo reddentes. Hæc itaque similitudo, quam Spiritus S. suggessit S. Paulo, clarè nobis proponit ob oculos, varios actus, caritatis & mutuæ dilectionis, quam in suis regulis, vel potius in Sanctâ suâ Societate, exigit S. Ignatius.

§. 11. *Alia hujus dilectionis proprietates.* Habet præterea, mutua dilectio alias pulcerrimas proprietates. Facit enim, 1. ut qui amat, proximum, in illo semper aspiciat DEUM, propter quem illum amat. In memoriam illos Cherubinos vobis revocate, qui ad utrumque propitiatorii latus, constituti, expansis alis, & conversis ad se se invicem vultibus, se se mutuo aspiciebant, Exodi 25. v. 18. 19. *Duos Cherubim aureos & productiles facies ex utraq; parte oraculi: Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero, utrumque latus Propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantq; & mutuo versis vultibus in Propitiatorium.* Advertendum enim est, quod dum concussis alis, reciproci amoris ignem in se accendunt, lucidissimis oculis caritatis se mutuo respicientes, simul tamen oculos dirigunt in Propitiatorium, ad denotandum, quod amor ille accendendus sit, mediante alio igne, scilicet divini amoris, qui priorem ignem fovet & conservat. B. Laur. Justin. *Notandum autem est, quod nequaquam proximum rectè potest diligere, qui prius DEUM non veraciter diligit; amore enim DEI firmata esse debet dilectio proximi; nec hominem rectè diligere novit quisquis eum rectè non diligit, qui hominem fecit.* Itaque ex citato cap. 25. Exodi scire possumus, quales alas, qualem vultum, quales oculos, habere debeat, dilectio proximi: ut hunc non respiciat, nisi in DEO, & propter DEUM.

§. 12. *Prosecutio.* 2. Vera dilectio amat proximum, tanquam objectum divini amo-

amoris; quem DEUS amore sempiterno dilexit; quem condidit; pro quo Filium, sanguinem fundere voluit, quem in filium adoptavit, & regni æterni participem secum facere proponit. Eodem modo, & ad eundem finem nos diligere debemus proximum. 3. Amare illum oportet, ut vivam DEI imaginem, ejus manu efformatam, &c. hoc titulo ad amandum nobis propositam; non ut amor noster ibi hæreat, sed transeat, atque in ipsum feratur prototypon. Hoc est, amare proximum propter DEUM. 4. Amare debemus proximum, ut DEI & Christi D. vicarium, cui dum benefacimus, benefacimus DEO & xo D. ideo dixit, *Quod uni ex minimis meis feceris, mihi fecisti.* q.d. Si illum diligis, si colis si nutris, si solaris; id mihi factum puta. Si proinde illum defendis, ego te protegam, si errata illius toleras, tua feram, si illi ignoscis, & ego tibi condonabo, si contra severè cum illo agis, talem me erga te senties, quia *quâcunque mensurâ mensus fueris, remetietur tibi.* Ita Mater, dum infantem alterius curæ committere cogitur, hoc unum habet in ore, quod erga infantem præstiteris, mihi factum putabo.

Si dilectio tua erga proximum desiderat ambulare viam tutissimam, ne in hoc amore vel deficiat vel excedat, esto memor dicti S Francisci Salisii, qui dicere solebat, *in pectore Christi, proximus est amabilis; qui extra Cor Christi illum aspicit, periculum incurrit impuritatis, & inæqualitatis.* Fuerat idem Sanctus, diutius locutus alicui edentulæ mulieri; interrogatus *quid in illâ reperisset, quod tam diu illum detinuisset*; respondit, amatur à Christo D. quem in illâ video; velut amoris incentivum. Ex quibus omnibus fusius responderi potest, quæstioni in initio exhortationis à me propositæ; qualem dilectionem erga proximum à suis filiis, & inter illos, veluti fratres, requirat S.P.N. Ignatius (fiat brevis & conglobata repetitio totius exhortationis, cum pathetico affectu, ut hæc dilectio quæratur in Corde Christi Crucifixi.) §.13. *Vbi dilectio hæc tutissima.*

EXHORTATIO III.

DE MUTUA DILECTIONE, QUATENUS DICITUR PAX, ET CONCORDIA.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut mutuò diligatis, ad Rom. 13. v. 8.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit quatuor eximia elogia hujus Virtutis. 1. Quod sit typus SS. Trinitatis. 2. Testamentum Christi. 3. Quod hominem faciat Filium DEI. 4. Quod ad illam procurandam Christus D. instituerit SS. Eucharistiam. Miscetur hæc quæstio, quinam dicantur pacifici?

§. 1. *I mutua dilectionis elogium, quod sit typus sanctissimæ Trinitatis.*

TErtia quoque exhortatio, agit de fraternâ Caritate, & mutuâ dilectione, quatenus eadem Virtus, in domo præsertim religiosâ, & quâcunque Communitate, dicitur sive vocatur, *Pax & Con-*

Concordia, cujus sublime elogium nobis proposuit S. Greg. Naz. cum dixit in orat. 14. *Hæc virtus, est quidam typus Sanctissimæ Trinitatis! in quâ sunt tres Personæ, una tantum Deitas, una voluntas, unus amor, unus omnium consensus*, ideoque *non debet nos latere*, ait S. Bern. *de naturâ & dignitate divini amoris, quibus ille amor, qui dicitur pax & concordia, sit ortus natalibus, quâ nobilitatis lineâ insignis habeatur, vel quo oriundus loco. Primus ejus nativitatis locus, DEUS est*, ut bene S. Paulus Deum appellaverit, Deum pacis & dilectionis, 2. ad Cor. c. 13. v. 11. ad Rom. c. 16. v. 20. ideoq; *ante omnia alia nomina* (S. Greg. Naz. or. 12.) *quibus Deus appellari gaudet, his titulis nuncupatur*. Pax enim & caritas, & amor, atque id genus nominibus appellatur; quo videlicet per ipsa quoque vocabula nos admoneat, ut has virtutes sicuti Deum consequi studeamus. S. Joan. Damasc. l. 1. parall. c. 18. *Deo ac divinis rebus propinqui sunt, quicunq; pacis bonum amplexari dicuntur*. S. Bas. M. Com. in Ps. 33 *Qui pacem quærit, Christū inquirit quoniam ipse est pax nostra*. S. Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 85. *Proinde mordicus eam retine, cœlestis enim est ac Deo vicina*. Verbo, typus est SS. Trinitatis. Tametsi enim Pater, Filius & Spir. S., tres sint Personæ distinctæ, attamen unicus duntaxat Deus sunt, per intimam unitatem & identitatem inter se unitæ, eandem inter se habentes essentiæ unitatem; quæ unio & concordia per pacis & caritatis vinculum nobis repræsentatur; quo vinculo quoq; Caritas hominum diversorum voluntates, & amorem, & consensum ita colligare potest, ut meritò typus sanctissimæ Trinitatis possit nuncupari: juxta illud S. Pauli ad Eph. 2. v. 13. *Nunc autem in Christo Iesu, vos, qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi, ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum*. S. Bern. Ser. de S. Benedicto. *Filius à Patre processit, & venit in mundum, ut qui prius erat cogitatio pacis, in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in terris* Itaque non debet nos latere, quibus pax orta sit natalibus, &c.

Supra verba illa Christi D. *Pater Sancte, serva eos in nomine meo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos*, ita ait S. Cyrillus Alex. l. 11. in Joan. c. 20. *Servari in benevolentia, & caritate discipulos, vult, animo & spiritu, & pacis arctissimo vinculo sic ad unum copulatos; ut hæc voluntaria unio, naturalis in filio & Patre unitatis imago quædam videatur.* §. 2. *Persecutio ex verbis illis Christi D. Pater Sancte etc.*

deatur. (Ecce typum SS. Trinitatis) *ut nullo videlicet modo, hoc nullis rixis, nullâ dissensione, nullâ æmulatione, nullâ invidiâ, &c. frangi, debilitarive possit; sed conservetur in pietatis atq; sanctificationis, unione caritatis, virtus intemerata; quod & factum in Actibus legitur. Erat enim, inquit, credentium cor unum, & unus animus, in unitate scilicet Spiritus. Hoc est, quod etiam Paulus scripsit, Corpus unum, & spiritus unus; nam etsi multi simus, unum tamen corpus in Christo* sumus. Ecce typum SS. Trinitatis.

§. 3. *Alterum elogium, quod sit Testamentum Christi morientis.* Aliud eximium elogium pacis, concordiæ & mutuæ dilectionis, est quod vocetur *Testamentum Christi D.* hoc est, quod moriens in Cruce pacis nobis in testamento reliquerit. Solent communiter homines in fine vitæ, iis quos diligunt, res magni precii, & valoris testato relinquere; unde nulli dubium est, quia pax quam Christus D. nobis reliquit, inæstimabilem totius vitæ mortis & sanguinis Christi thesaurum in se contineat; & siquidem pro pace illâ procurandâ, sanguinem suum fudit, colligere inde possumus, quanti pax illa sit æstimanda. B. Laur. Justin. c. 7. in fasc. amoris. *Tunc illam filiis reliquit, cùm soluto sanguinis prævio reconciliavit nos Deo, & triumphator migravit ad superos. Pacem, inquit, relinquo vobis, ut à debito liberi* (scilicet æternæ damnationis) *ignito Deum diligatis affectu. Pacem meam do vobis, ut sincero amore invicem diligatis.*

§ 4. *Christus D. moriens in Cruce fuit sollicitus de procurandâ pace.* Sextum Verbum à Christo moriente in Cruce prolatum, *Consummatum est*, P. Salmeron ita legit, *Pacificatum est.* Usque adeo Christus D. etiam moriens de pace fuit sollicitus, ut inter ipsos gravissimos cruciatus, quos ex obedientiâ Patris sustinebat invocando Patrem, de nostra pace negotiaretur cum illo. Tum subdit. Sanè magnum & ineffabile beneficium est, per Filium cum Patre reconciliari: majus quod per sanguinem ejus talis reconciliatio comparata est; at maximum, quod non vi aliquâ compulsus, aut beneficio ullo, aut obsequio procuratus, sed stupenda caritate, Crucis ignominiam, pertulerit, ut disciplina pacis nostræ, teste Isaia, fuerit super eum. Est igitur JESUS, vera & pacifica hostia, quæ humana cum divinis (& homines inter se) perpetuo fœdere concordiæ connectit. Quid sublimius? quid excellentius de pace, concordiâ & mutua caritate, dici potest? Est typus SS. Trinitatis; est gemma preciosa,

[illegible] Christus suo sanguine emit, & movens in testamento le-
ga[illegible] Deum [illegible], proximum sincero amore dil[illegible]gimus.

[illegible] Virtutis hujus privilegium & encomium est, quod §. 5.
pax, concordia & [illegible] dilectio hominem constituat Filium Dei. *Elogium 3. Pax & concordia hominem facit filium Dei*
[illegible] illud Christi D. Matth. 5. v. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei
vocabuntur.* S. Greg. Nyss. orat. 7. de beat. *Filium Dei esse omnem pla-
ne superat felicitatem. Quid est homo si cum divina natura comparetur?
[illegible] extenuatur? [illegible] secundum Abraham,
[illegible] Ecclesiasten, vani-
tas [illegible] genus humanum mi-
seratur [illegible] homo. Deus autem quid est?* Et postquam impossibile
esse [illegible] comprehendi, immensam Dei Majesta-
tem & excell[illegible] subdit. *Huic tamen tali ac tanto, is, qui pro
nihilo [illegible] reputatus est homo, qui cinis, qui foenum, qui va-
nitas est, in locum filii assumitur a Deo. [illegible] in hoc homo suam ipsius
naturam, immortalis ex mortali, ex fragili atq; caduco integer & incor-
ruptus, ex diutis atq; temporanis sempiternus. In summa, Deus ex ho-
mine [illegible]
[illegible]
[illegible] a
pace [illegible] Dei vocabun-
tur. Sanctus A[illegible]
[illegible] D. Chry-
sost. [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Supposit[illegible] [illegible] §. 6. *Quinam dicantur pacifici*
stat haec pax, concordia & dilectio [illegible] quaestio-
nem [illegible] nominari
[illegible] ex SS. Patribus [illegible]
[illegible]
[illegible] S. Antonini, [illegible]
[illegible] Ex mente S. Aug. [illegible] *Pacifici sunt in se ipsis qui om-*

mi motus & carnales concupiscentias habentes edomitas & rationi subjectas, sunt regnum Dei in quo ita ordinata sunt omnia, ut summa sit quies. Ex mente S. Isidori Pelusiotæ l. 4. ep. 169. pacifici sunt, qui primo quidem in semetipsis pacem colunt, nec laborant seditione, sed [illegible] quasi civile & intestinum [illegible] dum corpus spiritui subjiciunt [illegible] partem suam inferiorem, [illegible] at præstantiori serviat [illegible] *lib*ertate, adeoq; & regno [illegible]. Deinde qui aliis [illegible] vel secum ipsis, vel cum aliis [illegible] pacis sunt auctores. [illegible] S. Ruperti abb. *Pacifici [illegible] sunt, qui pace inter se, Deum [illegible] nihil jam quod Deo repugnet [illegible]; simul & hoc [illegible] vita præsentis ad omnem hominem cum pace ambulant, [illegible] qui [illegible] cum omnibus hominibus pacem habentes.* Ex mente S. Chrysostomi *Pacifici sunt qui [illegible] nec litigant [illegible] quod Unigeniti Filii Dei [illegible] opus, congregare dispersa, & pacificare contra se prœliantia.* Idem S. Aug. ser. 16. de temp. *Pacificos oportet esse Dei filios, [illegible] simplices [illegible] sibi [illegible] rentes.* O felicem [illegible] Societatis JESU! [illegible] tales pacifici. (Habes locum pro pulcerrimis digressionibus ad Auditores.)

§ 7. *Prosecutio.* Needum retuli omnes SS. Patrum responsiones, ad hanc quæstionem, quinam sint & dicantur pacifici. S. Greg. Nyssen. respondet, *pacifici vocantur imitatores humanitatis divinæ, qui id, quod [illegible] in sua vita [illegible] bellum [illegible] pugnam [illegible] sed [illegible] carnis & spiritus ad pacem [illegible]* [illegible] tere responsionem S. Pauli ad Ephes. [illegible] *vinctus in Domino, ut digne ambuletis [illegible]* præsertim vos, P. P. Patres, & Carissimi Fratres vocati ad Societatem JESU, *cum omni mansuetudine cum patientia supportantes invicem, in charitate [illegible] servare unitatem spiritus in vinculo pacis.*

§ 8. *Effectus hujus [illegible] proponuntur per similitud.* Alii [illegible] hanc unitatem pacificis similibus [illegible] bis ita proponunt. [illegible] *sicut enim botrus [illegible] suspendit, sic & Christus, multos sibi per ligatum*

lignum Crucis tenet adjunctos. Similiter sicut ficus multa grana uno tegmine tenet inclusa, ita quodam dulci caritatis amplexu, multos una tenet Ecclesia. Et sunt in ficu signa hæc: Charitatis quidem in dulcedine, unitatis autem in unione granorum sicut scriptum ut DEUS qui inhabitare facit unanimes in domo. In prioribus exhortationibus jam feci mentionem mali granati. Tale pomum, talis ficus, talis vitis, in domo religiosa est pax, concordia & mutua dilectio (hæc p. applicatio.)

Actus hujus dilectionis, magis in particulari exponit S. Paulus ad Gal. 5. v. 22 *Fructus autem spiritus Caritas, pax, benignitas, mansuetudo,* adeo pergit Apostolus. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* S. Aug. hoc est, habeamus *pacem cordis, oris, & operis.* B. Laur. Justin. ser. de Pent. *Diligit Spiritus S. unitatem, amat pacem, diligit concordiam, hanc si suscipere cupis, noli dissidere cum fratribus, noli divisum esse in te, concordet in te voluntas, & ratio; caro & spiritus.* Ecce actus veræ dilectionis. Ideo Spiritus S. (S. Pasch. in Matth. l. 12.) *apparuit in columba, ut per eam exponeret, quales futuri erant, qui ad gratiam Sancti Spiritus pervenirent. & quia columba fel non habet, patenter insinuat quod in felle amaritudinis esse non debet, quisquis ad hanc gratiam [illegible] exoptat.* Descendit Spiritus ille Sanctus super unanimes. De quibus Ruffinus ait, *[illegible] quieti, [illegible] tranquilli, & caritatis vinculo, [illegible] germanitate constricti, ad æmulationem vero virtutum, [illegible] ferverent, & [illegible] studet enim unusquisque clementior [illegible], benignior, humilior & patientior inveniri.* Ecce genium mutuæ dilectionis. Elegantissime S. Athanasius c. 11. in vita S. Antonii. *Quis tantum Monachorum agmen aspiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens? in quo nullus [illegible], nulla detractio sed multitudo abstinentium, & [illegible] tamen [illegible] [illegible] erat, non in hanc statim erumperet vocem: quam bona domus tua Jacob, tabernacula tua Israel, tanquam nemus [illegible], tanquam Paradisus.* Cum spero nos omnes esse unanimes &c. merito Collegiū hoc paradisum appellare possum, in quo &c. fiant p. repetitiones.

Sed de jucunditate hujus Virtutis egi in prioribus exhortationibus, [illegible] ad materiam præsentem, & dico [illegible] dilectionis elogium, quod inter alias rationes, Christus D. instituerit SS. Eucharistiam, *ut sit in Ecclesia sua esset symbolum, ejus unitatis, & cari-*

§ 9. Exponuntur priores paragraphi magis in particulari.

§ 10. Elogium ad illam procurandam Christus D. instituit SS. Eucharistiam.

[illegible] nunquam ob eas illis indignatus fuit, sed potius instruxit convivium, quia in qua tradebatur, accepit panem &c. *Ubiq; gratiosus Joseph*, inquit Petrus Cellensis, *sed in convivio magis, multiq; amplius jucundior, in conviviis non retinet injuriam, extendit munificentiam in convivio [illegible] inimicum, sanat malevolentiam.* Absit à nobis RR. Patres, fratresque dilectissimi, qui toties vescimur hoc pane, & potamur hoc sanguine, ut in animo retineamus injurias; vera dilectio, SS. Eucharistiæ effectus, tota est jucunda, & graciosa, deponit iras &c. [illegible] *[illegible]* (D. Chrysost.) *contra inimicum dolor est, solve [illegible], & remedium de mensa accipe.* (Habes locum pro pulcro affectu) *[illegible] in conservum tuum odium retines, quonam tandem pacto, ad pacis mensam accedere poteris?* (Iterum habes locum pro pulcro affectu, & affectuoso Epilogo.)

EXHORTATIO IV.

DE DISCORDIA PACIS ET DILECTIONIS INIMICA.

Pacem sequimini cum omnibus. ad Hebr. 12. v. 14.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

Præsens exhortatio, & invectiva in religiosos discordes.

§. 1. *Diabolus est hostis unionis & concordiæ.*

§. 2 *Discordiarum pater, & auctor, & inventor est diabolus.*

§. 3 *Quosnam diabolus in seminandis contentionibus habeat socios ministros & cooperatores.*

§. 4. *[illegible] patris debent esse [illegible].*

§. 5 *Exponitur ulterius superior [illegible].*

§. 6. *[illegible] Proverbiorum describitur seminator discordiarum.*

§. 7. *Christus D. amat concordes: diabolus discordes. [illegible]*

§. 8. *Discors, non potest [illegible].*

§. 9. *Pulcre discursus S. Bernardini per similia.*

§. 10. *Alius discursus ejusdem S. Bernardini.*

§. 11 *Digressio ad Evangelium [illegible] JESU.*

§. 12. *[illegible] monita ad conservandam pacem.*

§. 1. *Diabolus est hostis unionis, & concordiæ.*

MUtua dilectio, & fraterna caritas, quæ dicitur pax atq; concordia nullum habet truculentiorem inimicũ, quam dæmonem, qui per domos religiosas, tempore somni, hoc est, cum omnia sunt quieta, & pacata, sive pacifica; zizania dissensionum & rixarum seminare pro viribus contendit. Unde Matth. 13. dicitur, *cum dormirent homines venit inimicus, & superseminavit zizania*, ac proinde valde opportunum est illud S. August. monitum ser. 57. in append. *Custodienda omnibus viribus pax est, ne habeat locum, quo subrepat inimicus, ne in tritici segetem, valeat zizania seminare. Plantare pacem radicitus Dei est, evellere penitus, inimici, Amor fratris ex Deo est, odium ex diabolo constat.* Unde Salvator noster, ob irreconciliabile odium Judæorum contra suam Personam, iisdem dixit Joan. 8. v. 44. *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio.*

§. 2. *Discordiarum pater et auctor, et incentor, est diabolus.*

S. Greg. M, præclare, inquit 3. p. past. admon. 24 *audiant jurgiorum seminatores, quod scriptum est, beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, atq; e diverso colligant, quia si filii Dei vocantur, qui pacem faciunt, procul dubio Satanæ sunt filii, qui confundunt. Omnes autem qui per discordiam separantur a viriditate dilectionis arescunt.* Bene igitur ponderanda est, præsertim ab homine religioso, ignominiosa hæc nota, hominum contentiosorum, quod scilicet filii reputentur diaboli, qui dissensiones & discordias nutriunt, quemadmodum e contra sublimissimo divinæ filiationis charactere insigniuntur illi, qui pacem diligunt & fovent. Pergit ibidem S. Greg. *Quos enim [illegible] nihil est delectabilius diabolo [illegible] dilectionis [illegible] ximorum [illegible] Dei [illegible] [illegible] abstulit.* Ecce Cyrill. Alex. catech. [illegible] *aculeorum, [illegible]* S. Bernard. [illegible] ded. Ec[illegible] *sicut in pace [illegible] locum fieri diabolo, manifestum est.* B. Laur. Justin. [illegible] *fraternam, & simul conviventium, cunctorum [illegible] diabolus [illegible] rumpere conatur: contentiones generare, inter Christi servos non desinit. Est contentio, ignita diaboli sagitta ad perdendas animas. O quanta [illegible] quanta odia ex contentiosis oriun-*

tur sermonibus. Pessimum malum est, vacare contentioni, per quam amicitiarum compago dissolvitur & animorum dulce vinculum dissipatur. Qui contentiosus existit, antiqui hostis in se immissiones admittit, diaboli ministerium operatur.

Et advertendum bene est, quas diabolus ponat radices, quæ seminet zizania, ut [illegible] rixæ, dissensiones, & contractiones. Unum advertit S. Valerianus hom. 12, postquam enim insinuavit, diabolum in hoc opere pessimo, id est, in nominandis contractionibus habere sæpe inter fratres suos ministros, & sedulos cooperatores, ait, *quoniam consuetudo est, ad [illegible] amaros portare & reportare sermones*, Id est intellige de sermonibus injuriosis, calumniosis, detractoriis, contemptibilibus de proximo; portare verò & reportare tales sermones, nihil est aliud, quam seminare zizania; estque speciale opus & artificium dæmonis: & proinde, qui per narrationem talium sermonum zizania seminant, bene dicuntur ministri, & cooperatores diaboli. §. 3. *Quosnam diabolus in seminandis contentionibus habeat ministros et cooperatores.*

Quando Joseph Gen. 42 [illegible] fratribus objecit, quod essent exploratores; *Exploratores estis, ut [illegible]* [illegible] jucundum est, cum [illegible] Collegio Soc. Jesu [illegible] S. Ignatii, omnes sunt Socii Jesu, colligati vinculo pacis, omnes sunt pacifici, nullus est qui machinetur aliquid mali, ex quo discordia oriri possit: hoc posito exclamare possum cum S. Aug. ser. 2 ad fr. *O quam bonum! O quam jucundum! O quam divinum est habitare fratres in unum, ut unum sit cor, una voluntas, & una omnium anima, & una [illegible].* Omnes sunt filii unius patris JESU Xi Crucifixi, a quo in Cruce geniti sumus. Unum, certum est signum, quod non simus exploratores diaboli, hoc est, nihil inquirimus, ad nihil attendimus, nihil loquimur, quod possit seminare zizania. §. 4. *Filii unius patris [illegible]*

Si vero fratres & filii unius patris (quod Deus avertat) contingat [illegible] aliquos, qui disrumpunt pacem, qui rixas concitant, qui pariunt odium, livorem nutriunt, qui gignunt invidiam, qui concitant iram, qui prorumpunt in convitia, qui semper contra alios sunt que- §. 5. *Exponitur [illegible] paragraphus pertinens.*

queruli &c. tales merito vocari possunt exploratores, nostri, [illegible] peratores & filii diaboli. Quos Christus D. Joan. 6. v. 35. voc[illegible] *[illegible] nerationem pravam & percussam.* S. Joh. Baptist. autem Joan. [illegible] *progeniem viperarū.* Vipera est, quisquis rodit & corrodit [illegible] natum [illegible] veritatis. Seminare discordias, nihil aliud est, quam [illegible] caritatis, pendentem de ligno Sanctæ Crucis conculcare pedibus.

§. 6. [illegible] seminatoris discordiarum. Talem ministrum diaboli, sive seminatorem discordiarum [illegible] describit Sapiens Prov. c. 6. v. 12. *[illegible] graditur ore perverso, [illegible] dum annuendo oculis [illegible] & discordes, adhuc magis ad [illegible] tentionem [illegible] stimulat, pravo corde machinatur malum, & omni [illegible] jurgia seminat.* Huic extemplo veniet perditio nec habebit ultra medicinam. Sex sunt quæ odit dominus, & septimum detestatur anima ejus. *Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem.* Adverò quod præ omnibus aliis detestatur, &c. *qui seminat inter fratres discordiā.* Huic extemplo veniet perditio. Seminatorem discordiarum, Rupertus comparat cum [illegible] de quo S. Jo. in Apoc. ait, *& exivit alius equus rufus, & qui sedebat super eum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra [illegible].* Rupertus [illegible] exponit. *Equus rufus [illegible] diaboli [illegible] babylonia, est populus sanguinolentus* (vel [illegible] discors, & contentiosus) *Sessor autem, atque agitatur [illegible] diabolus [illegible] per se, & per suos [illegible], sive [illegible]*

§. 7. Christus Dammat concordes, diabolus discordes. [illegible] compacificos [illegible] atque [illegible] multium [illegible] olium [illegible] simit[illegible] *Non potest habere concordiam cum*

Christo,

Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Rabanus in l. 1. Mach. *Concordiâ universum Christi corpus adunatur, regitur, ac stabilitur; qui autem cum proximis suis non vult habere pacem, in corpore Christi, nullam habet societatem, nec jam ad æternam potest venire requiem.* Nam, ut

Pulchrè S. Bern. ser. 17. de modo bene viv. *Si illi, qui in pace debent vivere, incipiunt contendere, litigare, detrahere,* (aculeatos perferre sermones, & calumniari, &c.) *ubi est vita tranquilla? ubi vita quieta? ubi vita pacifica? ubi Angelica?* Ideo, *maledictus homo,* pergit S. Bern. *qui inter servos DEI discordias seminat; qui pacem & concordiam rumpit, adversus DEUM facit, & Christo facit injuriam, quoniam inter servos DEI seminat discordiam. Quare, quia Christus pax nostra est, qui fecit & facit utraque unum.* Orig. tr. 6. in cap. 18. Matth. *Consumit dissensus, sicut congregat consensus, & separat IESUM, qui in medio consentientium -- vult rixari, litigare, &c.* contendere. S. Hier. super ep. ad Gal. ubi Apostolus c. 5. fructus carnis enumerat, ita scribit: *Septimum locum inter carnis opera contentio possidet; quodam quasi eminenti inter vitia numero collocata.* Ubi insuper observandum, quòd Apostolus non uno, sed pluribus nominibus circumscribat, dicendo: *Contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, &c. qui talia agunt, regnum DEI non consequentur.* S. Bern. ser. 17. de modo bene viv. *Lingua rixosa, veneno est plena; quæ si non fuerit castigata, omnes socios perducit ad scandala.* Prov. 18. v. 6. *Labia stulta miscent se rixis, & os ejus jurgia provocat.* Proinde, *Os contritio ejus: & labia ipsius, ruina animæ ejus.* S. Chrysologus: *Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur; & quia laqueus est mortis, lingua susurronis, & bilinguis; parcat unusquisque animæ suæ, ne in supplicium suum vincula sibi mortis innectat.* S. Bernardus ep. 243. Jungant se animis, qui juncti sunt Institutis, (pulchrè hæc applica Religiosis Soc. Jesu,) invicem se foveant, „ invicem se defendant, invicem onera sua portent; ait enim „ Sapiens: Frater adjuvans fratrem, ambo consolabun- „ tur. Quòd si alterutrum, quod absit, se corroserint, & momor- „ derint, nonne simul ambo desolabuntur? S. Valerianus: Cesset, „ invidia, quæ ad omnem litem, animos humanæ mentis accendit.

§. 8. *Discors non potest vivere quietè.*

§. 9. *Pulcher discursus S. Bernardini, per similia.* Servit meo discursui discursus S. Bernardini, ser. 28. art. 3. c. 3. Homines, qui pacem inter se non habent, vix, aut nunquam se ,, possunt diligere; illi autem, qui invicem pacem habent, solent se ,, faciliter amare: pax enim mater est amoris; quia etiam sicut vide- ,, mus in naturalibus, illa, quæ nullam inter se habent repugnan- ,, tiam naturalem, inter se habent amicitiæ connexionem, imò ,, sunt paris & similis conditionis, sicut est aqua; aquæ enim sunt fa- ,, cilis conjunctionis. E converso illa, quæ sibi in natura contra- ,, riantur; sicut est ignis & aqua, nunquam simul intrinsecè conjun- ,, guntur. Sic verè inter homines, illi, qui non habent inter se ali- ,, quam contrarietatem alicujus discordiæ, sed magis conformita- ,, tem pacis, solent esse facilis dilectionis & amicitiæ. Illi verò, ,, qui per odium, invidiam & discordiam sibi invicem contrarian- ,, tur, nunquam per verum amorem copulantur. Pax enim amo- ,, rem generat, & litigium fugat.,, Ex quibus facilè advertere pos- sumus, qualiter in congregatione & familiâ quâdam, præsertim in Societate JESU vivere debeamus.

§. 10. *Alius discursus ejusdem S. Bernardini.* Placet mihi idem S. Bernardinus in T. 3. ser. 8. art. 1. c. 1. ubi ait: Fiunt inter homines sæpe socialia pacta, fiunt & conjugalia, ,, fiunt & commerciosa, fiunt & mercenaria, fiunt quoque servilia, ,, & consimilia multa; quibus servatis, manet animorum in amore ,, sinceritas, manet & conversatio grata; servit obsequiosa condi- ,, tio, subjacet sine contradictione subjectus, imperat potior; in a- ,, more perdurat societas; sodalitas stabilitur, caret querela conju- ,, gium; commercia depurantur à fraude, merces redditur dignis, ,, servilitas est prompta, & nulla personat querela; imò videntur ,, omnia summâ ordinatione pacata.

§. 11. *Digressio ad Religiosos Societatis IESV.* Quàm pulchrè depingitur Vita alicujus Religiosi è Societate JESU: *Sumus Socii IESV, pactum nostræ Societatis fundatur in amore IESV: Sumus sponsa ejusdem Christi Salvatoris; mercenarii sumus in vinea IESV; servi sumus Regis Regum. O quàm jucundum est, & quàm bonum est, esse socium IESV; quàm jucundum, quàm bonum, desponsari cælesti sponso; quantâ promptitudine laboramus pro denario cælestis gloriæ!* &c. Sed quamdiu manet animorum in amore societas; quàm diu nulla inter nos est contradictio; quàm diu nulla personat

que-

querela, nulla susurratio, nulla dissensio, &c. quàm diu omnia summâ ordinatione sunt pacata. Si verò inter socios oriantur rixæ; si solvatur vinculum pacis inter sponsam & sponsum; si recalcitret, qui debet obedire; si aculeatæ personent querelæ, &c. quid mirum est, si dissipetur societas, &c. si turbentur omnia, si diabolus seminet zizania, &c.

Finem imponam exhortationi, cùm aurea quædam SS. Patrum monita, paucis in memoriam vobis revocavero. Bene dixit ille Eremita: *Si quis loquitur tecum de quacunque causa, noli contendere cum eo, & tunc erit mens tua pacifica.* Ecclesi.11. v.24. *A scintilla una augetur ignis.* S. Basilius M. *Contentiones quidem à principio exiles esse solent, & facilè curantur; at procedente tempore aucta, insanabiles omnino evadunt.* S. Isidorus de cont. mundi: *Pacem ama, pacem dilige; mansuetudinem cum omnibus retine, & charitatem amplectere; proba te ampliùs amare, quàm ipse ameris; odientes ad pacem invita; habeto stabilitatem mentis, & benignitatem cordis; promptus esto in affectu, affabilis in sermone, grato animo affare omnes, fuge rixas, vita lites, cave contentiones, litis occasiones tolle, vive semper in pace.* Modum autem vivendi in pace, docere nos volens, subdit: *In nulla causa contendas, in nulla actione decertare studeas. Contentio odium & scandalum facit, & discordiam concitat.* Breviter S. Paulus ad Titum: *Stultas quæstiones devita, sciens, quia generant litem; servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse.* Pari ratione dici potest, devita susurrationes, devita detractiones, devita murmurationes, devita verba aculeata, devita querelas, &c. talia generant lites, rixas, contentiones. Religiosum autem Societatis JESU, decet esse mansuetum, pacificum, &c. S. Paulus ad Gal. cap.5. *Quòd si invicem mordetis, & comeditis, videte, ne ab invicem consumamini.* (Fiat p. epilogus.) § 12. *Aurea monita ad conservandam pacem.*

DE HUMILITATE, EXHORTATIONES QUATUOR.

EXHORTATIO I.

DE HUMILITATE.

Humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam, Ecclesiastici c. 3. v. 20.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXponit Exhortatio, quid sit humilitas. Miscentur aliqua de ejusdem virtutis necessitate, & aliis proprietatibus.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *Variæ Humilitatis definitiones.*
§. 3. *Varii gradus.*
§. 4. *Variæ conditiones.*
§. 5. *Humilitatis necessitas.*
§. 6. *Probatur per similia. Præcipuum sumitur à fundamento.*
§. 7. *Testimonium S. Augustini.*
§. 8. *S. Paulus nos docet, quid sit Humilitas; reputare se minimum.*
§. 9. *Quantò quis major est, tantò debet esse humilior.*
§. 10. *Quod à S. Bonaventura declaratur pulchro simili.*
§. 11. *Et exemplo BB. Virginis Mariæ.*
§. 12. *Duodecim gradus, vel signa humilitatis, ex Regulis sancti Benedicti.*

§. 1. *Propositio.* PRout de aliis virtutibus, ita & de Humilitate aliqua, in aliquot Exhortationibus vobis proponam; & proinde primo loco ostendere debeo, quid sit *Humilitas.*

Variè

Variè iterum respondent sancti Patres. S. Bonaventura ait: *Humilitas est, ex intuitu propriæ conditionis, vel fragilitatis, voluntaria mentis inclinatio:* quod Regius Psaltes l.2.Reg.c.6.v.20. his verbis fecit: *Ero humilis in oculis meis. Humilitas autem*, teste Alb. M. ser. in Dom.3. Adventus, *est oculus animæ, per quem homo conditionem suam, ac statum suum verissimè recognoscit.* Unde dicit S. Bern. *Humilitas est virtus, quâ homo verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit.* S. Joannes Climacus: *Humilitas est altissima, & subtilissima vilitatis propriæ cognitio.* Qui ergo in sua reputatione parvus est, & inutilis, & in corde suo nullius se reputat esse valoris, hic verè humilis est. De qua cognitione Christus D. videtur loqui voluisse, cùm dixit Matth.11. v.29. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Non fuit satis illi dicere, *humilis*, sed addit, *humilis corde*; de qua additione ita scribit S. Paschasius: „Notandum est, quòd ait „humilis corde; siquidem non labiorum superficie, sed cordis in-„tegritate; neque in ulla compositione, vel dejectione habitus, li-„cèt & in corpore, & in verbis sit exhibenda coram hominibus, „sed in omni devotione atque abjectione mentis. Ibi namque pri-„mùm habenda est, ubi DEUS videt; deinde ex fonte cordis, exte-„riùs exhibenda, ut DEO sit placita, & accepta hominibus.„ Quod S. Paulus insinuat Ephesiis c.4. v.1. *Obsecro vos, ut dignè ambuletis, cum omni humilitate.* Dion.Carth. hoc est, *interiori & exteriori, in verbis & factis.*

§.2. *Varia humilitatis definitiones.*

Sed & humilitas habet suos gradus, quos ita assignat Richardus de S. Victore: *Humilis est, qui se ipsum apud seipsum veraciter contemnit; humilior autem, qui se contemni etiam ab aliis non refugit: humillimus verò, qui contemptum suum non solùm contemnit, sed admodum concupiscit.* S. Greg.M. l.1.Dial. c.5. „Sicut superbi hono-„ribus, ita humiles sui despectione gaudent; quia judicium, quod „de se intus habent, ab aliis sentiunt approbari. S. Bonav. „Cùm „non solùm se ipsum agnoscens homo spernit se pro vilitate sua, „sed etiam ab aliis sperni se patienter accipit: imò quia veritatem „amat, & se privato amore non diligit, desiderat ab aliis reputari „talis, qualem se reputat, scilicet vilem, vitiosum & ignobilem.„ S. Bernardus hos posuit gradus: *Humilitatis virtus habet hæc tria: Su-*

§.3. *Varii gradus.*

 periori

periori subdi: æquali non præferri; minori potiùs subdi, quàm præferri. S. Bernardinus ponit septem, 1. se contemptibilem, & peccatorem esse, agnoscere, 2. Ita affectualiter credere, 3. aliis confiteri, 4. hoc velle credi. 5. Velle ita dici. 6. Exultare & lætari, vilem & peccatorem dici. 7. quòd amet & gaudeat, se velut contemptibilem conculcari. Et ita Rich. de S. Victore) *Ex humilitate humiliatio vera oritur; humilitas interiùs, humiliatio exteriùs: humilitas in corde, humiliatio in actione; humilitas pertinet ad affectum, humiliatio autem ad actum.*

§. 4. *Varia conditiones.* Pari ratione de humilitatis conditionibus discurrere possimus, v. g. cum S. Basilio in reg. brev. ubi ait: *Sanè humilitas quidem ea est, cùm quis cæteros omnes se ipso superiores existimat.* Ita S. Dion. Ar. cùm esset Areopagi caput (ita habetur in Vita) & totius Atheniensis Ecclesiæ princeps, tamen tantum infra se, modestiâ, mansuetudine, affabilitate descenderat, nulli ut se præferre, cunctos sibi æquare vellet. Addit autem S. Laur. Justin. Inferiori se subdere, plena perfectaque humilitas est. S. Th. de Villa N. Neque, ut existimo, ad plenam perfectamque humilitatis rationem sufficit, despicere semetipsum, nisi id ipsum ab aliis libenter patiatur; & qui in oculis suis parvus est, talis etiam velit cæteris apparere, & cæteros de se sentire, quod sentit.

§. 5. *Humilitatis necessitas.* De humilitatis necessitate SS. Patres ita discurrunt: *Præclara virtus humilitas* (exclamat S. Th. de Villa Nova) *virtutum omnium fundamentum; quidquid super hanc non fundatur, erigitur ad ruinam.* S. Bern. *Si amittitur humilitas, virtutum aggregatio non nisi ruina est.* D. Chrysost. postquam dixit, verba illa Christi D. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu*, idem est, quod humiles mente, ait, quasi fundamentum quoddam forte, atque munitum, hanc virtutem primam collocavit; siquidem unusquisque humilitate appositâ, tutissimè cuncta alia superponit ædificans. Hâc subductâ, etiamsi ad ipsum usque cœlum, conversationis sublimitate pervenias, omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur. S. Cyprianus in Nativ. Christi: Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas; nec in cœlo stare potuit superba humilitas, hanc primam gratiam ingrediens in mundum noster Parvulus attulit. S.

Bonav.

Bonav. Humilitas est omnis nostræ virtutis & operationis fortificativa, & omnis spiritualis roboris argumentativa, quia ponit omnes vires nostras ac operationes supra solidum fundamentum. S. Dorotheus ser. 2. de cordis humilitate: Cernis stabile, atque adeo potens fundamentum? cernis gratiam virtutis? revera nihil est cordis humilitate firmius, nihil robustius, nihil solidius.

Viguerius rem declarat hac similitudine: *Vide, quid utilitatis afferant prædura & grandia fundamenta magnis ædificiis? Vide, quid intersit, domum in arena, in luto, vel area non solida, & in lapide firmo construere. Quid porro firmius, quid solidius, quid immobilius humilitate?* Ideo S. Bern. in ep. ad quendam peccatorem: *Fode in te fundamentum humilitatis, & pervenies ad fastigium charitatis. Vis capere celsitudinem DEI, cape priùs humilitatem Christi.* Cassianus l. 12. c. 32. *Nullo modo poterit in anima nostra virtutum structura consurgere, nisi priùs jacta fuerint veræ humilitatis in corde nostro fundamenta, quæ firmissimè collocata, perfectionis & charitatis culmen valeant sustinere.* D. Chrysost. hom. 35. in Gen. Qui hoc fundamentum rectè jecerit, poterit in quantum voluerit altitudinem, structuram excitare. Hæc maxima est munitio, hæc murus inconcussus, hæc inexpugnabilis turris, hæc omne continet ædificium. *§. 6. Probatur per simili. Præcipuum desumitur à fundamento.*

Eleganter S. Augustinus ep. 56. ad Dioscorum: Nisi humilitas omnia quæcunque facimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita, quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita quâ deprimamur; jam nobis de aliquo bono gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Itaque, sicut Rhetor ille nobilissimus, cùm interrogatus esset, quid ei primùm videretur in eloquentiæ præceptis observari debere, Pronuntiationem dicitur respondisse. Cùm quæreretur, quid secundò? eandem pronuntiationem. Quid tertiò? nihil aliud, quàm pronuntiationem dixisse: Si interrogares, & quoties interrogares, &c. nihil aliud respondere liberet, nisi humilitatem. *§. 7. Testimonia S. Augustini.*

Sed redeo ad institutum meum; Quid est humilitas? Agnoscamus, & illam intueamur velut in speculo, in S. Paulo Apostolo, de quo D. Chrysostomus T. 6. ser. 68. Scire cupis, quis sit verè humilis? Paulum respice, qui verè humilis erat. Paulum, Doctorem *§ 8. S. Paulus nos docet, quid sit humilitas, reputare se minimum.*

orbis

orbis terrarum, vas electionis, - turrim inconcussam, qui modico „ cùm esset corpore, totum terrarum orbem circumiivit, & quasi a- „ latus esset, illum percurrit. Cerne illum modestè ac humiliter de „ se sentientem, - qui mille labores exantlarat, qui mille trophæa „ adversus diabolum erexerat, qui prædicabat, ac dicebat: gratia „ ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus laboravi; qui carceres „ sustinuit, & plagas, & verbera; qui orbem terrarum epistolis vena- „ tus est, &c. ille humilis erat, cùm diceret: Ego sum minimus Apo- „ stolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus; „ O si RR. Patres Soc. JESU, qui eximii sunt Theologi, subtiles Philosophi, facundi & celebres Verbi divini præcones, &c. O si, inquam, inspicerent hoc speculum! O si se quisque minimum reputaret, &c. quàm in Soc. JESU vigeret humilitas! In communi dixit S. Ephrem t. 3. de tim. DEI: *Magna felicitas & gloria est humilitas;* ego in particulari id asſero de Societate JESU; summa hujus ordinis gloria consistit in hoc, si viri tot, & tam eximii sint humiles. Si quivis ex corde cum S. Paulo dicat: *Ego sum minimus.* Videtur ideo hæc vocula placuisse Soc. Fundatori S. Ignatio, qui Societatem à se fundatam, voluit vocari Societatem JESU, *& Minimam.* O vos Theologi! quæritis veram gloriam? estote humiles, &c. Cum S. Basilio quemvis alloquar: *Fili, præ omnibus humilitati stude, ut ad perfectionis,* (addo & gloriæ) *fastigium possis conscendere.*

§. 9. *Quantò quis major est, tantò debet humilior esse.*

Et mi fili, audi consilium Ecclesiastici c. 43. v. 7. Quantò magnus es, humilia te in omnibus; hæc enim est summa perfectio humilitatis, ut, &c. Imitantur in hoc humiles lunam, quæ quamprimùm venit ad suam plenitudinem, majusque à Sole lumen accepit, subitò in luce & claritate incipit deficere & minui. Similiter imitari oportet stellas & planetas; cùm enim luminosissimi sunt, & quantò proximiùs in horizonte ad Solem accedunt, tantò velociùs lucem suam amittunt. Idem evenit servis DEI, quantò enim Soli Justitiæ propinquiores fiunt, tantò magis nihilum suum agnoscunt; teste S. Greg. M. dicente l. 18. mor. c. 27. *Sancti omnes, quantò in DEI visione proficiunt, tantò magis se nihil esse cognoscunt.* Ita Abraham cùm admissus fuit ad collocutionem cum DEO in forma Angelorum, exclamat: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.*

S. Bo-

S. Bonav. similitudine ab arbore desumptâ, hoc declarat: *Si-cut [illegible] ramus, in quo pendet fructus, & sicut spica plena granis est [illegible] versus terram; sic anima humilis, quæ instar rami est onu-sta fructibus bonorum operum, & ad modum spicæ granata est plena gra-tia virtutum, respicit terram, id est, propriam fragilitatem. E contra-rio ramus erectus monstrat, quòd in eo nullus sit fructus: & spica erecta, quod est gracilis & vacua; ita homo per superbiam erectus, est ad mo-dum rami sterilis & infructuosus: & ideo dicit Salvator apud S. Mat-thæum: Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Confirmavit hæc S. Bernardus ser. 13. in Cant. *Magna prorsus & rara virtus est, ut magna licèt operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere* in lectioni-bus, in concionibus, in peragendis negotiis, *& contemptibilem re-putare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.*

§. 10. [illegible]

In exhortatione proxima de exemplis humilitatis mentio-nem facturus sum B. Virginis Mariæ; ad rem modò meam, sive su-per cit. versum: *Quanto major es, humilia te in omnibus*, considera-tione dignum est tempus sive hora, in qua se *ancillam* esse, professa est, nimirum tunc, quando facta est [illegible] Genitrix, imperatrix cœ-li, Sponsa [illegible] in generatione Verbi filii sui [illegible] *[illegible] se ancillam [illegible] esse fatetur, cujus mater eligitur.* Ancillam se fatetur, cum [illegible] gratiam *quæ dedit cœlis gloriam,* (inquit D. Chrysologus serm. [illegible]) *[illegible] fidem gentibus, [illegible] vitam [illegible], moribus [illegible]* [illegible] Verbum æternum conceperat, cum non tantum verbis, sed re ipsa ancillam & famulam se esse profitetur, quia sine dilatione montana Judææ conscendit, ut Elisabethæ ex Joanne gravidæ ancillaretur & serviret: ubi S. Ambrosius ait: *Discite Virgi-nes Mariæ [illegible], discite humilitatem: decet, ut quantò castior vir-go, tantò humilior sit.* Elegantissimè discurrit S. Bernardinus t. 2. ser. 51. c. 3. *Nam gratia sanctificationis, quæ eam omni virtute reple-vit, sic à principio mentem ejus in abysso humilitatis fundavit, quòd sicut nulla post Filium DEI creatura, tantam ascendit in gratiæ sancti-tatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ; nec*

§. 11. Et exemplo B. Virginis MARIÆ.

insuper alicui puræ creaturæ in hoc sæculo est datum, tantum gustare nihilum creaturæ, nec tantum se humiliare & annihilare; unde ipsa dixit: *Respexit humilitatem;* vel, ut alii legunt, *Nihileitatem ancillæ suæ.* Unde exemplo Virginis verissimum esse ostenditur, quod quantò anima illuminatior, Deoq; vicinior existit, tantò magis se humiliet, & nihilum suum agnoscat ac profiteatur; Antequam finiam hunc paragraphum, cum gustu repeto verba paulò ante citata, Virgo quantò purior, tantò humilior esse debet, cupio hoc dictum omnibus Religiosis Societatis JESU; ut quantò v. g. Theologus aliquis est doctior, tantò sit humilior, &c. (potest fieri inductio per omnes gradus personarum.)

§. 12. Duodecim gradus, vel signa humilitatis, ex Regulis S. Benedicti.

Finio exhortationem, referendo duodecim gradus humilitatis, quos in Regulis suis refert S. Benedictus, qui, veluti signa humilitatis, ejusdem essentiam clarissimè exponunt. „Primus gradus est, corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram, aspectibus. Secundus est, ut pauca verba, & rationabiliter loquatur aliquis. Tertius, ut non sit facilis, aut promptus in risu. Quartus, taciturnitas usque ad interrogationem. Quintus, habere, quod tenet communis Regula monasterii. Sextus, credere & pronuntiare, se omnibus viliorem. Septimus, ad omnia se indignum & inutilem profiteri & credere. Octavus, confessio peccatorum. Nonus, obedientiam in duris & asperis cum patientia amplecti. Decimus, ut cum obedientia te subdas Superiori. Undecimus, ut voluntatem propriam non delecteris adimplere. Duodecimus, ut DEUM timeat. Breviter S. Jo. Damasc. Opus humilitatis est silentium colere, se se cum nemine metiri, non contendere, subjectum esse, mortem sibi ob oculos proponere, majori non reluctari, contumeliam ferre, sermonem suum nolle constabilire, &c.„

(Ex his fiat p. epilogus.)

EXHORT. II.

EXHORTATIO II.

DE HUMILITATE.

Humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam, Ecclef. cap. 3. v. 20.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AGit de variis hujus eximiæ virtutis actibus, gradibus, & signis: iterum adduntur aliqua de ejusdem necessitate.

EXordium sit brevis repetitio prioris Exhortationis, cum hac propositione; in hac Exhortatione proponam aliquos insignes actus veræ humilitatis. *§. 1. Exord. & Propositio.*

Talis actus est, 1. Amare, sectari, vel saltem patienter ferre sui contemptum. Duæ enim sorores sunt, Humilitas & Humiliatio. Interrogatus aliquando Anachoreta, vir magnæ sanctitatis, quænam esset compendiosa via ad obtinendam humilitatem, & cum illa reliquas virtutes, in terram abjiciens cucullum, illum pedi- *§. 2. Insignis actus humilitatis est, patienter ferre contemptum.*

pedibus conculcavit, & dixit: Religiosum nunquam venturum ad virtutum perfectionem, nisi eodem modo fuerit conculcatus, & despectui habitus; conculcari, despici, contemni, & patienter ferre; hæc est veræ humilitatis perfectio. Itaque humilis fuit S. Paulus, cùm omnium Apostolorum nomine scripsit ad Corinth. ep. 1. c.4. v.13. *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc facti sumus*, hoc est, DEI voluntate, sive DEO sic volente, qui nos ex hoc mundo ad gloriam deducere vult per hujusmodi humiliationes, ut habeamur mortalium omnium contemptissimi, & abjectissimi, dignique habiti, qui ab hominum consortio ejiciantur.

§. 3. *Triplex hujus actus gradus.*

Praxis hujus actus, quo contemptum (quiscunque ille sit) patienter toleramus, hos habet gradus: Primus est, ut tametsi ad primum vituperii assultum commovearis, & inflictum vulnus multùm sentias, rem tamen totam silentio concoquas, nec apud aliquem te exoneres, & conquerendo solatium emendices. Secundus est, ut primò utcunque concussus, statim ad te redeas, & DEO pro illata humiliatione gratias agas, & pro contemptus auctore remunerationem & gratiam aliquam brevi mentis elevatione depreceris. Tertius gradus est, vero, & sedato, tranquilloque animo contemptum excipere, sibi quasi de accepto beneficio gratulando, desiderandoq; perferre contemptum majorem; imò ardentibus precibus à DEO petere, ut plures & majores humiliationes permittat, quantum id sine DEI offensa fieri potest. Et hoc est, imitari Christum D. qui cùm longè aliâ viâ in hoc mundo potuisset procedere, per medias contemptus & opprobriorum sordes, licèt innocens, & omnis peccati expers esset, & tantæ dignitatis, ingredi voluit, omnes ad idem iter invitando; adeo ut illi similiores, & quod sequitur, chariores sint, qui sui in omnibus contemptum quærunt.

§. 4. *Defectus hujus humilitatis arguit hominem, non esse sanctum.*

Si verò despici, si viles haberi refugiamus, si ad aliquem nostri contemptum excandescamus, si de vindicta cogitemus, cogitemus simul, nos non esse humiles, neque sanctitate, vel aliis virtutibus præditos. Vixit in eremo quidam eremicola, vulgò habitus pro Sancto. Episcopus, ut virtutem illius probaret, misit unum ex famulis, qui tumultuariè, & militari quodammodo ausu solitarii

cellam

cellam ingressus, jubet ocreas sibi exuat; qui despici, & probro affici se arbitratus, severo vultu interrogavit: *An nosset quis esset?* Respondit famulus: *O non es Sanctus, ut aliqui putant, quandoquidem oblatam humiliandi te occasionem non acceptas. Viri sancti sunt humiles: humiles gaudent se contemni. Quidam Constantinus fuit humilis, cui cùm quidam multas contumelias occineret, advolavit in contemptoris amplexus, dicens: Nemo hactenus de me veriora protulit. Bene meo judicio dixit, qui affirmavit, hominem ad perfectionem tendenti, humilitatem æquè necessariam esse, ac respirationem.*

Pulcherrimam praxin actus hujus humilitatis, sive humiliationis, de quâ ago, nos docuit S. Bonaventura, dum in psal. 1. c. 7. talia apud se proponit: *Vt DEVM placare possim, scio quid faciam: afficiam me undique pœnalitatibus atque angustiis: & me tanquam lutum fœdissimum conculcabo; abominabor me sicut stercus, & ero intolerabilis mihi ipsi; in mea confusione & dejectione, & conculcatione, sive à me, sive ab aliis illata lætabor & exultabo, cùm apparuerit ignominia mea. Et quia non sufficio me detestari, contra me universum cœtum creaturarum congregabo, & à qualibet confundi, & puniri desiderabo, quia earum contempsi Creatorem. Hic erit mihi thesaurus desiderabilis, super me pœnas & opprobria aggregare, & eos intimè diligere,* (audite nucleum humilitatis,) *qui me adjuverint in hoc facto. Omnem consolationem & honorem vitæ præsentis, velut hostes, horrebo. Credo firmiter, quòd si sic fecero, aperietur super me miserum & indignum divinæ pietatis thesaurus.*

§. 5. Actus hujus aurea praxis S. Bonav.

Vir humilis in subita humiliatione imitari debet Davidem, qui in his occasionibus quadruplici cogitatione didicit, *veluti armaturâ se communire.* 1. in ps. 38. DEUM omnium eventuum, præterquam peccati, intuetur, & dicit: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti; amove à me plagas tuas;* quasi diceret: *Libenter contumelias & approbria, quæ tu paternâ severitate ordinasti, excipio: amove tantùm plagas tuas: hoc est, excæcationem, obdurationem, & similes, quibus non ut Pater, sed ut Iudex peccatores obstinatos persequeris, & castigas. 2. In te spem omnem, inquit, meam collocavi, ac commisi tuæ bonitati causam meam. 3. Ne dum commovear, supergaudeant inimici, & propter impatientiam meam, lætitiæ occasionem accipiant,*

§. 6. Alia praxis, quam nos docuit regius Psaltes.

piant, & ego peccem. 4. Quia propter peccata mea, in flagella, non tantùm linguarum, sed verberum sum paratus, semper enim de peccatis expiando cogitabo, & quomodo per humiliationes pro illis possim satisfacere, ero sollicitus.

§. 7. **Alius actus humilitatis est, fugere vanam gloriam.**

Venio ad actum alterum perfectæ humilitatis, ut quis, quantum fieri potest, caveat vanam gloriam, & elationem, sive in cogitationibus, sive in verbis, sive in factis. Prudenter nos monet S. Augustinus, *ut caveamus hanc superbiam, ne homo, dum quod DEI est, deputat suum, & amittat, quod DEI est, & redeat ad suum.* Et S. Greg. M. l. 26. moral. c. 1. vult, *ut studiosè supra cogitationes propriæ æstimationis vigilemus, si securè ambulare volumus, quòd dum videt DEVS aliquid intus, quod mentem elevat, permittit foris invalescere, quod deprimat.* DEUS *enim, uti de nihilo aspectabilem hunc mundum condidit, ita ut in animo hominis novum mundum spiritualem creet, nihilum humilitatis in illo requirit, quo se ipsum pro nihilo reputet, & talis ab aliis haberi desideret. Cui contrarium facit, quisquis vanam gloriam, & aliorum æstimationem sectatur.*

§. 8. **Motiva variâ hujus fugæ.**

S. Bernardus ser. 36. in Cant. illius fuit opinionis, impossibile esse, ut homo, qui se statuit ante faciem suam, & intelligit quid sit, vane extollatur; *Nonne*, inquit, *anima se intuens in luce veritatis, suspirabit misera, & exclamabit cum Regio Psalte: In veritate tua humiliasti me.* Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole hujus corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes; unde ergo huic animæ elevatio? unde arrogantia? unde desiderium gloriæ? Quàm verè dixit S. Augustinus in sentent. *Minor esto, ut extollaris, minor autem eris, si te ipsum respexeris. Quomodo extolli potest, qui tot profundissimæ despicientiæ causas in se receperit? dignus es misericordiâ, non laude & extollentiâ. Quid enim tam dignum misericordiâ, quàm is, qui miser est, & qui se talem agnoscit & profitetur, & quid tam indignum misericordiâ, quàm superbus miser.*

Praxin

Praxin in omnibus nostris actionibus fugiendi vanam gloriam nos docuit S. Bernardus, dicens: *Propter hoc, ut v.g. æstimer, ut lauder, &c. non cœpi, nec propter hoc desinam.* Et ad DEUM conversus, exclamabat: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* De S. Francisco Seraphico pulchrè ait Vita: *Summum adhibebat studium, ne quo vel minimo auræ popularis pulvere sordidaretur, insensibilem se exhibebat omni vanæ gloriæ.* Fugientem vanam gloriam ad vivum depingit B. Laur. Justin. de casto connubio, cap. 20. *Humilis omnem altitudinem* (quæ per vanam gloriam quæritur, quæcunque demum, & in quocunque objecto, v.g. etiam in lacera veste quæritur) *sublimitates, dignitates fugit, latere appetit, apparere refugit, despici concupiscit, vilipendit se ferens, totum arbitrio se tradit, pro veto subjicitur cunctis, contumeliis non irritatur.* Ecce praxin & modum fugiendi vanam gloriam, quæ fuga eximium humilitatis actum includit.

§. 9. Praxis hujus fugæ.

Pulcherrimos humilitatis actus per conglebationem enumerat S. Thomas de Villa N. conc. 1. de S. Martino: Hæc virtus plurimarum virtutum mater est, & origo: ex hoc enim fonte innumeræ aliæ virtutes scaturiunt, inde obedientia, timor, reverentia, patientia, modestia, mansuetudo, amicitia, pax. Qui enim humilis est, libenter omnibus obtemperat, omnes reveretur, omnes timet offendere, injurias verò, aut per mansuetudinem non sentit, aut per patientiam sustinet; quietus sibi, pacificus omnibus, omnibus mitis, nullum despicit, nullum lædit, omnibus subditur. Ideo, sicut lapis pretiosus in annulo aureo decorus est, ita in virtutum corona inserta humilitas excellit. „ Imò de S. Paulo dixit S. Isidorus Pelusiota, quòd ejus maxima prærogativa fuerit, *quòd non secus ac diademate quodam caput suum cinxerit.* Diademata regia, & coronæ gemmis scintillantes in Regum capitibus, exprimunt provincias & regna, quibus dominantur. Ita quoque humilitatem regiâ coronâ honoratam asserere licet, quia scilicet omnibus aliis virtutibus, tanquam sibi subjectis, præsidet, velut Regina, & Mater omnium virtutum. Hugo Victorinus: *Habet multitudo vitiorum Regem, seu Reginam, Regina est superbia, Rex Lucifer; sic virtutibus Regina est Humilitas, Rex, Humilitatis Magister, Christus*

§. 10. Conglobati actus humilitatis, imò omnium virtutum actus dici possunt actus humilitatis.

Chr[illegible] S[illegible]. Pulchrè S. Bernardus [illegible] *[illegible] humilit[illegible] [illegible] quæ non requiescit Spiritus, nisi super [illegible] [illegible] consummat, quia virtus in infirmitate, hoc est, in humilitate perficitur.* Ut suo modo bene possimus asserere, actus omnium virtutum esse quoque actus humilitatis.

§. 11. *Prior paragraphus, & iterum humilitatis necessitas roboratur per similia.*

Eleganti simili id declarat S. Dorotheus: Debet [illegible] cat, singulos lapides simul cum cæmento ponere, atque [illegible] ctere; nam si lapides posuerit super lapides absque cæmento, procul dubio excutiuntur, nec consistere poterit penitus ædificium, sed omne ruet. Porro cæmentum cordis humilitas est: est enim à terra cæmentum, quæ pedibus omnium subjicitur. Omnis virtus, sine humilitate non est virtus. Neque ad conservandum sustinendumq; ædificium, profunda sufficit jecisse fundamenta, sed insuper necesse est, ut v.g. fortis & alta turris jam exstructa, ne quis ex alto cadat, munimento aut septo circumdetur. Quem eundem conceptum idem S. Dorotheus [illegible] verbis expressit: Corona quoque in alto circumponenda est domui, prout scriptum est in lege veteri: Si ædificaveritis vobis domum, fabricate circum circa coronam in tecto, ne parvuli vestri ruant de tecto. Corona illa est humilitas mentis: hæc enim est, quæ virtutes omnes coronat, & conservat. Quemadmodum omnis virtus ex humilitate gignitur, & cum humilitate producitur atque exercetur, ita virtutum omnium absoluta perfectio humilitate completur. [illegible] [illegible] Hildebertus in Bibl. PP. Magnus thesaurus [illegible] custodia. Thesaurum, quem eximiæ virtutes colligunt, custodem oportet esse humilitatem. Et S. Joannes Climacus: Omnia quæ cernuntur, Sol illuminat; omnia quæ [illegible] unt, humilitas confirmat. Absente Sole, omnia tenebris [illegible] scunt: absque humilitate omnia [illegible] marcent, & fœtent. Sal non modo pisces, carnes, aliosque cibos reddit sapidos, sed & insuper à corruptione conservat; ita sal, ut Petrus Blesensis ait, & condimentum reliquarum virtutum est humilitas. Eodem modo, nisi vina, etiamsi sint præstantissima, nisi in profundis cavernis reponantur, evanescunt; ita ex [illegible] virtutes, nisi conserven-

tur

tur in humilitate. Cinis conservat ignem & calorem carbonum, „ cinis est humilitas, quæ fovet ardorem charitatis. Ignitus carbo, „ non coopertus cinere, citò extinguitur; pari modo ignis chari- „ tatis sine calore.

Vocavi paulò ante Humilitatem thesaurum; quæ vocula in memoriam mihi revocat discursum S. Augustini, in quo T. 6. obstupescit, considerans, quòd Verbum Increatum, cui Sapientia attribuitur, cùm in terram hoc fine descenderit, ut genus humanum erudiret, suæq; divinæ scientiæ thesauris locupletaret, in cathedra positus, aliud non docuerit, quàm humilitatem, & nostri ipsius contemptum. *Video te, inquit, bone IESV, oculis fidei, quos aperuisti mihi, tanquam in cæcitate clamantem: Venite omnes, & discite à me. Quid obsecro, quid ut discamus, venimus ad te? quoniam mitis sum,* inquit, *& humilis.* Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, abscōditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es, & humilis corde? similes admirationis actus reperies apud S. Bern. in ep. 42. *Auctor & dator virtutum Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi; in quo omnis quoque plenitudo habitat corporaliter; nonne tamen & ipse de humilitate, tanquam summa suæ doctrinæ, suarumq; virtutum gloriatus est, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ponderanda sunt hæc verba, tanquam summa, &c. quia sicut Angelicus Doctor in sua summa medullam totius Theologiæ compendiavit, ita S. Bernardus hoc loquendi modo insinuare voluit, quòd videlicet summa doctrinæ, quam Increata Sapientia nobis tradidit, in virtute Humilitatis contineatur, tanquam in brevi epilogo. Idem sit epilogus hujus exhortationis, &c.

§ 12. *Quare Christus D. præ omnibus virtutibus nos docuerit humilitatem.*

EXHORTATIO III.

DE HUMILITATE.

Humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam,
Ecclesiastici c. 3. v. 20.

SYNOPSIS.

POnit ob oculos pulcherrima Humilitatis specula. Ex Vet. Testamento Abrahamum, Moysen, Davidem. Ex novo S. Petrum, S. Paulum, &c. Sed præcipuè, sanctissimam Triadem, JESUM, Mariam, & Josephum.

§. 1. *Propositio.*

OMnia, quæ in duabus Exhortationibus vobis proposui, de quidditate, essentia, gradibus, actibus, signis, necessitate, aliisque circumstantiis eximiæ virtutis, quæ Humilitas dicitur; patebunt clariùs, & faciliùs redigentur ad praxin, ex consideratione Virorum illustrium, qui in hac virtute fuerunt eximii & excellentes. Ex multis selegi paucos.

§. 2 *Illustre humilitatis exemplū fuit pater credentiūm Abraham.*

Verbi gratiâ Abrahamum, à DEO electum in omnium credentium Patriarcham & Patrem; imò ita à DEO dilectum, ut aliquando Dominus ex nimio affectu dixerit: *Ego DEUS Abraham*; sed - *num celare potero Abraham, quæ gesturus sum, cùm futurus sit in gentem magnam, & benedicendæ sint in ipso omnes nationes terræ.* Insuper Dominus illi promisit, se stirpem ejus instar stellarum cœli, arenarumque maris multiplicaturum; terram promissionis illi indulturum, & ejusdem dominia, provincias, & regna. Hæc fuit locutio DEI; sed quid respondit Abraham? Ex profundo sui nihili, & abysso humilitatis, clamavit: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pul-*

vis & cinis. *Vide humilitatem, quâ* (inquit S. Ambr. in ps. 118.) *Abraham, cùm à DEO ita honoraretur, terram se esse dixit, & limum.* Et B. Alcuinus: *Sublimitatem promissionum humilitatis temperavit subjectione: aptè enim intelligitur, in quo loco se posuerat, qui pulverem se ac cinerem æstimabat.* O viri eximii, & illustres, quos in Societate v.g. JESU, bonus DEus tam eximiis dotavit, & honoravit talentis: sunt inter vos, qui gloriari possent ob ingenii subtilitatem, (fiat p. inductio,) sed rogo vos, cogitate simul vos esse pulverem & cinerem; ideo, sublimitatem donorum, temperatè humilitatis subjectione. S. Isidorus: *Quamvis summus sis, humilitatem tene; si humilitatem tenueris, habebis gloriam; quantò fueris humilior, tantò ambulabis securior.*

Moysen, quàm sublimiter exaltatus fuerit, neminem ex vobis latet, tantis dotatus prærogativis, ut ad familiaritatem DEI, ad imperscrutabilium secretorum participationem, & ad divinæ essentiæ visionem, quamvis per modum transeuntis, ut scholæ loquuntur, admissus fuerit; sed ex iisdem sacris literis patet, quanta nihilominus fuerit ejus demissio, abjectio & humilitas; ut S. Paulus ad Hebr. 11. v. 24. dixerit: *Negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo suo, quàm temporalis pacis habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi.* Vide humilitatem, cùm DEus ait: *Constitui te DEUM Pharaonis,* Exodi 26. gloriosa virtutum Regina humilitas, locuta est in eo: *Dicendo se incircumcisum esse labiis, & indignum, cujus industria tam arduum opus exequatur.* Sed quia indignum se dixit, & quia ad novissima terræ se depressit, *DEUS illum sustulit super altitudinem nubium, fecitq; Deum Pharaonis, non quem hic fideliter adoraret, sed quem serviliter formidaret;* ait Rupertus. Scio, inter homines Religiosos esse Viros sanctos, qui in meditationibus, in contemplationibus, ad magnam cum DEO admittuntur familiaritatem, ad altissimorum mysteriorum cognitionem; præsertim de Christo D. ideo, quod inde sequitur, toti ardore divinæ charitatis inflammantur. Hos ego præcipuè rogo, & moneo, ut cùm Moyse sint memores humilitatis; ut judicent se indignos tantis gratiis; ut ad terram se deprimant. In corde horum regna, ex ore eorum loqui, in oculis

§. 3. Item populi Israëlitici Dux Moyses.

habitare; totum hominem interiùs & exteriùs regere & gubernare debet, gloriosa Virtutum Regina, Humilitas; ne fortassis superbia & elatio tantas collatas gratias subruat.

§. 4. Quantò quis sibi vilior, tantò apud DEUM est pretiosior, & contra.

Et ne alicui accidat, quod contigit Sauli, de quo S. Bernardinus ser. 5. de Annunt. ait: *Sciendum magnopere est, quòd tantum unaquaque anima sit pretiosior ante oculos DEI, quantum despectior fuerit ante oculos suos. Hinc 1. Reg. c. 15. ad Saul dicitur: Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in Tribubus Israël? ac si apertè diceret: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi; sed nunc, quia magnus factus es tibi, es despectus mihi. Tantò ergo fit quisque vilior DEO, quantò pretiosior sibi; tantò pretiosior DEO, quantò propter eum fit vilior.*

§. 5. Rex David humillimus.

Post Moysen & Abrahamum, meos oculos ad se rapit nominatissimus Rex David, de quo ita ait S. Gregorius M. l. 27. mor. c. 27. *Intueri libet, quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus, quàm forti se humilitate servabat: Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi; reprobato Rege ad regni gubernacula ungi; timendum cunctis, uno lapide Goliathum sternere, à Rege proposita extinctis Allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum accipere, cunctumq; Israëliticum populum sine ulla contradictione possidere.* Postquam S. Gregorius heroica hæc facta, & exaltationem Davidis tam eleganter descripsit, mox agit de saltatione, quam David coram arca, inspectante universo populo pergit, licèt ab uxore Michol rideretur; imò, - *quasi oblitus prælatum se omnibus, admixtus populis ante arcam saltat; & quia coram arca saltare, ut creditur, mos vulgi*, & plebeorum - *fuerat, Rex se in divino obsequio per saltum rotat*. Et ita, inquit S. Greg. *Coram DEO egit vilia vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia.* Rogo vos RR. PP. cùm pro gloria DEI, tam illustria facitis facinora; dum DEus vobis largitur eximiarum virtutum munera, vobis donat, &c. intuemini Davidem, & simul exercendo vilia & extrema; osculando v. g. aliorum pedes, verrendo domum, lavando scutellas, purgando culinam, &c. illa magna, quæ agitis, & accipitis, in humilitate solidate. Superbia & elatio omnia evertet.

Cele-

Celebrem ejusdem Davidis magnificentiam atque exaltationem, passim deprædicat sacra Scriptura; gloriante ipsomet DEO: *Inveni hominem secundùm cor meum.* Modò exaltante Spiritu sancto ejus stirpem, ex quâ Verbum Patris suscepit humanitatem, *Liber generationis* JESU *Christi, filii David.* Ubi patet, Spiritum sanctum Davidi ante omnes Patriarchas assignare quandam præcedentiam; Et cui? illi, inquam, quem *de post fœtantes accepit,* quem pro pelle ovina donavit purpurâ, cui virgam pastoralem convertit in sceptrum; palmis, lauris, trophæis, triumphisque onustum innumerabilibus. Ita DEUS honoravit & exaltavit Davidem. Sed qualis fuit David in oculis suis? Audite & illum clamantem ex abysso humilitatis, ps. 21. v. 7. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Sed quia aliqui vermes in pretio sunt, v. g. bombyces, qui sericum texunt, & illa animalcula, quæ purpuram in se continent, ideo profundiùs se exinaniturus, Sauli se persequenti dixit: *Quem persequeris? Canem!* Verùm quia & horum subinde habetur ratio, quòd blandiantur hero, quòd venentur, quòd custodiant ædes, &c. mox subjungit, dicens, (quæso Auditores advertite, quàm humilis genus Davidis fuerit subtilis,) subjungit, inquam, *Canem mortuum,* quia à cane mortuo omnes discedunt, quia projiciuntur in cloacam, vel sterquilinium, canem mortuum se appellat. Verùm, quia pellis alicujus canis subinde venditur, ut serviat pro chyrotheca, magis & magis se humilians ait, *Et culicem unum,* qui ad nihilum valet. Hic David verissimè dicere potuit ex ps. 115. *Ego autem humiliatus sum nimis.* S. Hier. *Indignum se judicans vocari hominem, & canem mortuum, & culicem unum.* Qui ita de se sensit, cum veritate dicere potuit in ps. 130. *Domine,* (licèt me elegeris, &c.) *non est exaltatum cor meum; neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis; neque in mirabilibus super me.* Et tu, ô fili, cur ita te exaltas? (fiat brevis invectiva in superbum,) nunquid? absit, ut vermem, ut canem mortuum, ut culicem te appellem, sed nunquid es pulvis & cinis? Disce à Davide humilitatem.

§. 6. *Prosecutio.*

Ex veteri testamento, venio ad Sanctos in lege gratiæ; selegi iterum paucos, ut veniam ad Christum D. Primo loco ob oculos

§. 7. *Exempla virorum*

Humilium [illegible] exempla.

vobis statuo Apostolorum principem S. Petrum, hic abjiciens se ad pedes Christi, publicè exclamavit: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Lucas Burgensis hic, q. d. *Meam agnosco vilitatem, dum tua se mihi manifestat celsitudo*; teste Dion. Carth. S. Petrus hæc verba protulit, *non quasi eum indignanter repellens, sed ex profundissima humilitate honorans.* S. Pauli feci mentionem in exhortationibus prioribus. (Si placeat dilatare hanc materiam, quære exempla domestica hoc est, Viros humiles ex Soc. JESU, v.g. S. Ignatium, S. Xaverium, &c.

§. 8. *Exemplum Christi Domini, mitio eius vitæ, & eiusdem decursu.*

De speculo humilitatis perfectissimo, de Christo D. libenter aliqua vobis proponerem, ab hoc discamus humilitatem. In primo in terras descensu, in B. Virgine, licèt de sacerdotali & regali stemmate duxisset originem, non nobilitatem, sed humilitatem elegit; hanc, ipsâ fatente, respexit. Natus, humilem habuit domum, quia diversorium: humilem lectum, quia præsepium; humilem vestem, quia pannis involutus est; humilibus per Angelum nativitatem suam nuntiavit pastoribus; Sacramenta humilitatis suscepit, ut circumcisionis & baptismatis; parentibus fuit humiliter subditus. Pergit de reliqua vitâ B. Laur. Justin. *Omnem exercuit humilitatis formam in vita, in peregrinatione, in discipulorum electione, in necessitatibus, in angustiis, in persecutionibus, in opprobriis, in passione & morte.* Pulchrè S. Basilius: *Vniversam Domini dispensationem*, (dico ego vitam) *ad humilitatem nos instruere, deprehendimus.*

§ 9. *Humilitas Christi D. in Incarnatione, in Nativitate, in Circumcisione, & Purificatione.*

Eleganter S. Leo ser. 1. de Nat. Verbum DEI filius, qui in „ principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, & sine „ quo factum est nihil, factus est homo; ita se ad susceptionem hu- „ militatis nostræ sine diminutione suæ Majestatis inclinans, & „ manens, quod erat, assumensque quod non erat, veram sui for- „ mam, ei formæ, in qua DEO Patri est æqualis, uniret; & tanto fœ- „ dere naturam utramque consereret, ut nec inferiorem consume- „ ret honorificatio; nec superiorem minueret assumptio: suscipi- „ tur à Majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mor- „ talitas. Ita tamen minoratus est ab Angelis, & habitu inventus „ fuit homo, scilicet in nativitate; die verò octavâ multò minus mi- „ noratus est ab Angelis, qui non solùm formam hominis, sed for- „ mam

mam habet peccatoris, & insignitur velut quodam cauterio latronis. In mysterio Purificationis, Petrus Blesensis ita quidem alloquitur Dominum: *Ne accedas Domine IESV ad purificationem; tu immunis à peccato, fide mundans corda tuorum; tu sine semine conceptus, & natus de Spiritu S. exspecta, donec te ipsum offeras pro mundo. Sed negligere hanc legem noluit*, inquit Dion. Carth. *ad dandum humilitatis exemplum. Ideo*, (loquor cum Didaco Stella) *discamus esse humiles exemplo Christi D. Salvatoris nostri, qui humilis peccator & servus apparuit, cùm esset Dominus universæ terræ.* (Si placet, agere potes de humilitate Christi D. in baptismate, in ultima cœna, in tota passione.)

Ego hoc præcipuè moneo, ad Christi D. humilitatem elucidandam, ponderanda esse illa celeberrimi textus Apostolici verba, ad Phil. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum Dominus noster IESVS Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quibus verbis inprimis insinuatur, eum non fuisse humiliatum ab alio, quia S. Paulus inquit, *humiliavit semetipsum*; & alibi Propheta inquit, If. 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Lapidari tamen, vel alio modo occidi se non voluit, sed voluit mori in Cruce, ut scilicet se tantò humiliorem hominibus demonstraret; juxta illam collectam Ecclesiæ: *Omnipotens sempiterne DEVS, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, & Crucem subire fecisti.* Eusebius Emissenus hom. 2. de symb. *Humiliavit, &c. ut sublimior appareret, & Angelis & hominibus inclinata sublimitas. Quid agis inter hæc superba mortalitas? Ecce, DEVM non minus delectat humilitas, quàm Majestas.* (Habes latissimum campum, si velis ostendere, Crucem fuisse cathedram humilitatis,) ego insinuare tantùm volui, Christum D. in tota vita fuisse humilem; ut & nos ejus exemplo, &c.

§. 10. *Præcipuè in vita & morte.*

Non puto, quod sim excusabilis, si in hac materia nihil dicam de humilitate Beatissimæ Virginis Mariæ. Verùm enimverò post Christum D. efficacius humilitatis exemplum habere non possumus, quàm illud, quod in DEI Matre conspicimus; quæ quantò altiùs, (ut nuper insinuavi,) sublimata fuit, tantò se humiliorem, viliorem, & indigniorem esse æstimavit, inquiens Archangelo: *Ecce*

§ 11. *Humilitatis exempla habemus in B. Virgine Maria.*

ancilla

ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et Elisabethæ, à qua pronuntiabatur benedicta inter mulieres, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ubi S. Aug. *Quia se humiliavit, & quòd ancilla erat, cogitavit, mater esse meruit.* Et quando facta est mater, quando Verbum æternum Patris concepit, oculum suum non ad dignitatis sublimitatem, qualis erat DEI maternitas, - sed ad humilitatem & submissionem suam dixerit, dicens: *Ecce ancilla Domini. Ut quid enim ego* (inquit Maria ad S. Brigittam in quadam revelatione, l. 2. c. 23.) *ita me humiliavi, nisi quia cogitavi, me nihil à me esse, vel habere.* Advertitis RR. PP. in quo ad exemplum B. Virginis debeamus esse humiles. Plura de humilitate Virginis afferre nolo, quod passim facio in meis Concionibus.

§. 12. Et ejus sponso S. Josepho. Epilogum faciat amantissimus meus Pater & Patronus, amabilissimus meus S. Josephus. Hic ad altiorem dignitatis gradum conscendere non potuit, quàm ut fieret Sponsus Mariæ, & Pater nutritius filii DEI: nihilominus agnovit suum nihilum, prout S. Bernardus hom. 2. super *Missus est*, super illa verba: *Voluit occultè dimittere illam, notat,* inquiens: *Accipe in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc Ioseph voluit dimittere illam, propter quod & Petrus Dominum à se repellebat, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Hanc humillimi S. Josephi humilitatem imitemur, &c. (fiat pulcher epilogus.)

EXHORTATIO IV.

DE HUMILITATE.

Humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam, Eccles. cap. 3. v. 20.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AGit de excellentia, dignitate, & utilitate eximiæ Virtutis, quæ dicitur Humilitas.

§. 1.

§. 1. Propositio.
§. 2. Humilitatis elogia conglobata ex SS. Patribus.
§. 3. Humilitas comparatur cum pulcherrima arbore.
§. 4. Humilitas nos liberat à morbis animæ; imò pœnis inferni.
§. 5. Si humilitas profuit Christo D. proderit & nobis.
§. 6. Confirmatio prioris paragraphi.
§. 7. Humilitas nos præparat ad recipiendam gratiam, & alia dona.
§. 8. Declaratur id similibus.
§. 9. Aliud simile.
§. 10. Tertium simile.
§. 11. Aliud elogium. Humilitas exaltat; patet in Iosepho in Vet. Test.
§. 12. Præteritio.
§. 13. Iterum conglobata elogia humilitatis.

VIrtutis hujus, quæ *Humilitas* dicitur, tanta est excellentia, dignitas & utilitas, ut sancti Patres eam pro dignitate satis deprædicare non possint. Ex illorum dictis & elogiis, veluti floribus aut gemmis, floridam & gemmeam contexui coronam, ut augusto humilitatis, veluti Reginæ, vertici imponatur; si cogitare placeat, hanc coronam esse floridum & gemmeum monile; appendite ejus pectori; si sceptrum, date illius manibus; si regiam & purpuream cycladem, corpori ejus circumdate. Domina est! Regina est! sic debet honorari, quem Dominus vult honorari. *§. 1. Propositio.*

Elogia Humilitatis, quæ vocamus conglobata, sic habent: *Humilitas est gratia animæ, - inexplicabilis thesaurus, - singulare munus DEI.* Ita S. Joannes Climacus: *Munus est singulare, quia dicitur caput, & habet primatum virtutum cæterarum, eò quòd initium est, & prima, quæ ex omnibus virtutibus habetur; & quoniam ipsa à fidelibus habita, est custos omnium virtutum, cùm sine ipsa omnes virtutes debiles sint, & inutiles: sicut à capite, quod principale est in toto corpore, omnia cætera membra reguntur; quo ablato, totum corpus inutile est, & quasi exanimis truncus.* Ita S. Bruno in ps. 118. *Humilitas ideo est magistra & mater omnium virtutum.* Ita S. Greg. M. *Vir humilis DEO est similis, & in templo pectoris sui gestat eum.* Ita S. Basilius: *Nihil humilitate præstantiùs, nihil amabiliùs! quæ præcipua conserva-* *§. 2. Humilitatis elogia conglobata, ex SS. Patribus.*

trix est omnium virtutum. Ita S. Hieron. l. 1. ep. 14. *Humilitas in loco infimo sedem ponit, sed hominem in esse stabilit, & omnibus operibus ejus robur donat.* Ita S. Bonaventura.

§. 3. *Humilitas comparatur cum pulcherrima arbore.*

Euthymius humilitatem fructuosæ & pulcherrimæ comparat arbori: *Nisi malimus dicere, humilitatem esse hortulanam, quæ pulcherrimam virtutum omnium arborem colit, & in pulchritudine sua conservat.* Psalmo 1. Regius Psaltes de hac arbore, vel potiùs homine justo, & virtutibus ornato, ita cecinit v. 3. *Lignum plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet.* Per hos fructus Euthymius intelligit omnis generis virtutes. Sed unde perpetuus, & nunquam marcescens arboris hujus vigor? respondet, *Folia non demittet, hoc est, humilitatem non deponet, quæ virtutes omnes, non secus ac fructus proprios, profert atque conservat.*

§. 4. *Humilitas nos liberat à morbis animæ; imò à pœnis inferni.*

Ingens humilitatis elogium ita nobis proponit S. Dorotheus ser. 2. de cordis humilitate: *Ab omnibus animi ægritudinibus, ac perturbationibus, & tentationibus, censeo liberari posse animam nostram humilitate cordis, & protegi.* Sicut igitur antidotum & remedium quoddam inæstimabilis valoris futurum esset illud, quod talem in se virtutem & activitatem haberet, ut potens esset ad liberandum corpus humanum ab omnibus morbis, & ad præservandum nos, ne in illos incidamus; ita virtus humilitatis præstantissima censeri debet, quia operatur in anima, (cujus morbi sunt longè periculosiores,) quod medicina illa operaretur in corpore. Amplius est, quod regius Psaltes insinuat, se per humilitatem liberatum & præservatum à pœnis inferni. Cùm enim ps. 30. v. 8. dixisset: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Legunt alii: *Gemitus mortis*, hoc est, ex mente S. Bonav. *Culpa mortalis, ob quam agnosco me meritum pœnas inferni.* Tum verò Seraphicus Doctor Davidem ita compellat: *Sed quomodo, ô David, evasisti?* Et statim ex ore ejus respondet: *Humiliatus sum, & liberavit me.* Eodem sensu in cit. jam psalmo dixit: *Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam*; id est, S. Bonav. *De necessitatibus culpæ mortalis, pœnæ gehennalis, miseriæ temporalis.* Ab his omnibus malis liberat nos humilitas.

Pondus.

Pondus habet diſcurſus S. Ambroſii in pſ.118.ubi ait: *Si putas, quòd Chriſto profuit ſua humilitas, cui ergo non proderit? ſi illum exaltavit, quem non augebit? factus eſt miniſter omnium Dominus, & auctor omnium vapulavit, pedes lavit, crucifixus eſt, mortuus eſt; ſed in his omnibus detrimentum nullum video ejus Divinitatis, profectum operationis agnoſco; Qui nihil habebat, quod ad poteſtatem ſuam adderet, habuit quod ad cultum ſuæ Majeſtatis adjungeret. Nihil humilitas adfert diſpendii; ille qui ſe exinanivit, plenus eſt: ille qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO, formam ſervi accipiens, in gloria eſt DEI Patris.* Nucleus diſcurſus eſt, *Si humilitas profuit Filio DEI, proderit & nobis.* Idem cenſuit D. Chryſoſt. hom.33. *Quòd ſi in Deo, qui bonis omnibus affluit, nec ullâ re indiget, quòd ſe ipſum humiliaverit, tantum id boni peperit, - - quid tu vereris, ne cùm te humiliaveris, minor fias! tum ſublimior eris, tum magnus.* Et quoniam plerique homines arbitrantur, ſi humiliter ſe geſſerint, fore, ut propriam amittant dignitatem, & minoris habeantur; hunc metum adimit Apoſtolus in celeberrimis verbis illis, quibus Philippenſes ad humilitatem exhortatur, dicens: *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto IESV, qui cùm in forma DEI eſſet, humiliavit ſe, factus obediens, &c. propter quod, &c.* ſed de hac exaltatione paulò pòſt erit mihi ſermo. §. 5. *Si humilitas profuit Chriſto D. proderit & nobis.*

Veritatem præcedentis paragraphi confirmat S. Cyrillus Alex. l.1. c.17. in Joan. ſuper illa verba: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis,* - nihilominus - *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Itaque,* ait cit. S.Cyr. „quanquam Verbum DEI carnem, id eſt, hominem factum eſſe, „aſſeruerit, conſervare tamen etiam integram Deitatis dignita- „tem, non minus quàm antea oſtendit. Et paulò pòſt: Quamvis, „Verbum caro factum ſit, nec tamen infirmitate carnis ſuperatum eſt, nec de priſca majeſtate atque omnipotentia decidit. Ut, „bene exclamaverit B. Laur. Juſtin. de tri. Chriſti agone, c.3. O, „ſancta humilitas! ſola in tuis vilibus oculis tuo te condemnas judicio: quantum DEO amabilis es? quàm chara? quàm dignitate, „ſublimis? quàm dives meritis? quis te dignè laudare valeat? Tu, „omnium te noviſſimum credens, cæteris honorabiliter antece- „ §. 6. *Confirmatio prioris paragraphi*

dis; dum descendis, ascendis; dum gloriam fugis, acquiris; dum „ latere cupis, efficeris manifesta; sine tui detrimento proficis, sine „ elatione præes. „ Fusiùs hæc inculco, scilicet quàm prosit humilitas, ut confundantur ii Religiosi, qui judicant, per levissimum sæpe opprobrium, vel illatam contumeliam suo honori grave inferri damnum & detrimentum. O fili! audi, quid tibi dicat S. Chrysost. *Nullo pacto metuas, quasi tollatur honor tuus, si te ipsum humiliaveris: hinc enim vel ad cœlos usque gloria tua pertransit; hinc amplior atque præstantior redditur; hinc regni janua tibi aperitur.* Utrumque præstat humilitas! occludit infernum, & aperit cœlum. Si Christo D. si Filio DEI profuit, nobis non oberit.

§. 7. *Humilitas nos præparat ad recipiendū gratiam, & alia DEI dona.* Ad hoc prodest, imò necessaria est, ut simus capaces recipiendi divinas gratias à DEO. *Humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam.* Et Jac. 4. v. 6. *DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* David ps. 137. v. 6. *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit.* Eccl. 23. v. 28. *Oculi enim Domini multò lucidiores sunt super Solem, circumspicientes profundum abyssi.* S. August. ideo, *Quantâ humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelso.*

§. 8. *Declaratur id similibus* Per similia SS. PP. meam assertionem pulchrè probant. Scimus verba, quæ Christus D. apud S. Joannem cap. 4. v. 41. dixit mulieri Samaritanæ, juxta fontem: *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Per talem aquam*, inquit S. Bernardinus, *gratia gratum faciens designatur, hoc est, donum DEI, quod nunquam sine Spiritu Sancto est, imò sine tota Trinitate esse non potest.* Dictum bene, sed quis improbabit, Christum D. de se ipso locutum, veluti fonte & scaturigine omnium gratiarum. Quo posito, ingeniosa est similitudo S. Cæsarii Arel. cujus, si bene memini, in prioribus Exhortationibus feci mentionem; sed repeto, quia rem præsentem clarè exponit: Sicut enim „ de fonte terreno, & corporali fluvio, non potest aliquis bibere, „ nisi se voluerit inclinare; ita de vivo fonte Christo, & S. Spiritus „ fluvio, nemo aquam vivam haurire poterit, nisi humiliter se incli- „ nare voluerit, propter illud, quod scriptum est: DEUS superbis re- „ sistit, humilibus autem dat gratiam.

§. 9. *Aliud simile.* Æquè pulchra est similitudo S. Bonaventuræ t. 6. *Humilitas cùm*

cùm recipit DEI beneficia, gratias agendo se dilatat; & sic recipiendo semper parat locum, ut Deus amplius infundat. Vnde ipsa vas est admirabile, opus excelsi; & bene humilitas vas admirabile dicitur, quia dum impletur, de impletione capacior efficitur. Confirmat B. Laur. Justin. *Sicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat: sic nec gratia humilem, quin se illi infundat. Humiliare, ô homo DEI, evacua cor tumore elationis; quia tantò perfunderis abundantiori gratiæ suavitate, quantò mundior fueris à face præsumptionis.*

§. 10. *Tertium simile.*

Tertium simile adducit idem S. Cæsarius Arel. dum ait: Fratres optimi, nôstis, quia pluvia, si montem nimis erectum invenerit, citò in vallem decurrit: & ideo, qui se ad accipiendam benedictionẽ humiliter inclinantes, quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt, & impletur in iis, quod scriptum est: Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur; quid est, omnis vallis implebitur, nisi, omnis qui se humiliat, exaltabitur. Ob eandem causam puto Psalmistam dixisse, ps. 103. v. 10. Quòd emittat fontes in convallibus, ad exprimendum hoc mysterium, quòd fontes divinæ gratiæ, & fons aquæ salientis in vitam æternam, in vallibus, hoc est, in humilibus copiosissimè scateant. S. Th. de Villa N. conc. 1. de S. Mart. *Hæc sola virtus omnium donorum & gratiarum capacem animam facit.* S. Aug. *Homo quantò humilior, tantò capacior, tantò plenior; colles enim aquam repellunt, valles implentur.* S. Bern. ser. 34. in Cant. *Fili, - - cùm te humiliari videris, habeto id signum in bonum, omnino argumentum appropinquantis gratiæ.* Piè Richardus de S. Victore p. 1. de Sp. S. O quàm libenter! quàm gratanter! debemus nos ad omnem subjectionem dejicere, ad omnem humilitatem inclinare, ut mereamur hunc spiritum accipere, & talem consolatorem habere.

§. 11. *Aliud elogium Humilitas humilis exaltat: patet in Iosepho in vet. testam.*

Vix reperio humilitatis elogium, quod SS. Patres passim, & quidem ex sacris literis, magis extollant, quàm illud, quod Christus D. ore suo sacrosancto protulit, cùm dixit: *Qui se humiliat, exaltabitur;* sive, quemcunque DEUS humiliat, si patienter ferat, illum exaltat. Destinaverat divina Providentia, Josephum sublimare ad thronum Ægypti; sed quâ methodo illud datum est executioni? Admirabili dispositione, priùs DEUS illum in servitute, & mancipatu,

tu, licèt innocentem, inque obscuri carceris compedibus seu vinculis, divexari permisit. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, manus ejus in cophino servierunt.* Ubi Oleaster inquit, *Servos esse permittit, ut ex servis Dominos faceret.* Et Lipomannus: *Humiliatur castus adolescens, ut exaltetur, captivatur, ut regnet.* Ideo, quando jam consedit in throno, gloriatus fuit dicens, Gen. 41. v. 52. *Crescere me fecit DEUS in terra paupertatis meæ.* LXX. legunt: *In terra humilitatis meæ.* S. Ambrosius hìc: *Quid fuisset Ioseph, si non fuisset humilis? prælatio armavit fratres; humilitas conciliavit extraneos; prælatio* (saltem apprehensa propter præterita somnia,) *concitavit germanos; humilitas Regem subditum fecit.* Rupertus verò Abbas, longè magis distinctam ad honores Joseph, variis humiliationis ejus actibus correspondentes, hanc reflexionem fecit: *Pro compedibus, in quibus humiliaverunt pedes ejus, torquem auream suscepit: pro pallio in manu adulteræ relicto, quando nudus effugit, stolâ byssinâ DEO Iudice indutus fuit; pro servili nomine, regium gestat annulum; & pro carceris humilitate, super altum sedet imperii currum.* Repeto dictum S. Bernardi, ser. 34. de modo bene vivendi: *Quantum humilior fueris, tantò te sequetur gloriæ altitudo; descende, ut ascendas; humiliare, ut exalteris.*

§. 12. *Præteritio.* Volupe mihi esset, elogium hoc fusiùs deducere; sed adverto me in illo materiam, pro multis non tantùm exhortationibus, sed integris concionibus elegisse; præsertim si exaltationem Christi Domini per humilitatem, vobis ob oculos ponere vellem; itaque ad conciones meas Auditores meos remitto, ut unum adhuc, vel alterum humilitatis elogium vobis proponere possim, Viris Religiosis altè imprimendum.

§. 13. *Iterùm con[illegible]ato elogia humilitatis.* V. G. illud ex Vita B. Angelæ de Fulginio: Verè qui est in humilitate fundatus, habet conversationem Angelicam, purissimam, benignissimam, & pacificam. Et quia hæc pretiosa virtus humilitatis benignum animum facit, ideo homo humilis omnibus appretiabilis efficitur, & omnibus amorosus; præcipuè electis DEI. „ B. Laur. Justin. Hæc virtus gratum hominem DEO & hominibus „ reddit; nempe nihil adeo efficax est. O homo, ad exhibendum te „ cunctis benevolum, quàm si humilitate extiteris decorus. „ S. Joannes

annes Climacus: Quòd si quem videris, vel audieris, intra paucos „ annos ad summam animi tranquillitatem aspirasse: non aliâ illum „ viâ ad hanc perfectionem pervenisse scias, quàm per hanc bea- „ tam & compendiosam semitam pedestrem. „ S.Th. de V.N. sæp. cit. *In hoc apparebit, quòd discipuli mei estis, si mites & humiles inventi fueritis; sed quo fructu? quâ utilitate? Invenietis requiem animabus vestris. Non est requies, fratres, non est pax, nisi in humilitate sola.* Unde tanta vexatio, & infelicitas in orbe, nisi ex superbiæ tumore? quia videlicet reputari, & honorari volumus, plus quàm sumus.

Finio, puto enim me satisfecisse meæ propositioni, ostendendo, &c. (Fiat brevis repet.)

DE MORTIFICATIONE, EXHORTATIONES BINÆ.

EXHORTATIO I. DE MORTIFICATIONE.

Semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes, ep. 2. ad Corinth. c. 4. v. 10.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit causam, ob quam mortificatio nobis utilis est, & necessaria. Item: Quid sit se mortificare.

§. 1. *Propositio.*

§. 2. *Vnde in nobis oriatur passionum rebellio.*

§. 3. *Caro nostra est hostis noster domesticus.*

§. 4. *Descriptio hostis & adversarii.*

tui, & concupiſcentiæ, veluti effræni belluæ frænum mortificationis injiciatur.

De hoc adverſario bene exclamavit S. Bern. ſer. 3. in fragm. *Quàm domeſticus hoſtis! quàm perniciosa lucta! quàm continuum bellum! Hoſtem hunc crudeliſſimum nec fugere poſſumus, nec fugare, ſed circumferre illum neceſſe eſt, quoniam alligatus eſt nobis; & quod ideo periculoſius eſt, & mirabilius, hoſtem noſtrum ipſi cogimur ſuſtentare.* Ex Maſcardo & doctiſſimo Manſio, Vobis deſcribam hunc hoſtem, tum judicium feretis de neceſſitate mortificationis. §. 3. *Caro noſtra eſt hoſtis noſter domeſticus.*

Inimicus hic noſter (rebellis videlicet caro) ex relicta nobis à primis progenitoribus noſtris infeliciſſima conditione, ſimul nobiſcum naſcitur, nobiſque creſcentibus pariter creſcit, ſanguine noſtro nutritur, ſomno noſtro reſtauratur, reficitur noſtrâ quiete, noſtriſque armis accinctus munitur: in annis tenerioribus velut leunculus quidam blandus eſſe videtur; in ferventiori ætate ferociter rugit & ſævit. Maturus verò factus, non aliunde quàm ſanguine & rapinis paſcitur, & uſque ad mortalis diei ſuæ occaſum, ex vi antiquæ conſuetudinis, nos, ſi unguibus non dilaniet, voce ad minus, & terrifico aſpectu terrorem nobis incutit. Et quando unquam impius hic hoſtis noſter bellando fatigatus, optatas nobis indulget inducias? Ipſe ſodalis eſt in laboribus, in otio Dominus, teſtis in negotiis, in converſationibus frater, in ſermonibus auditor, in actionibus ſpectator, adverſarius in bene operando, turbator in precibus, in locis publicis inſidiator, ſollicitator in clauſuris, per omnia importunus, ex omni parte inimicus. At verò inimici hujus hæ ſunt proprietates, quòd per lenocinia impugnet, per voluptates vulneret, dulcedine proſternat, occidat per delitias, & veluti ſuorum amans, per amorem triumphet. Cui unquam ætati indulſit? Cui peſtilens illius genius unquam pepercit? ipſe in culcitris delitiatur regalibus, & ſæpenumerò illos, qui ſuperbo ſceptro ſuo aliis imperant, ſuæ tenet tyrannidi ſubjectos. Ipſe inter armatas militum phalanges, nihili faciens confuſum tympanorum, & tubarum ſonum ac ſtrepitum, audacter moratur, & provinciarum domitores ſecreto veneno ſuo ad miſerabile ejus cogit homagium. Ipſe utpote de ſapientibus literatis inclytus triumphator, ſe omnis §. 4. *Deſcriptio hoſtis & adverſarii noſtri, qui eſt caro noſtra.*

scientiæ discursus, famosorumque sapientiæ titulorum patronum efficit & dominum. Ipse in rusticis & ruinosis lassati agricolæ tuguriis, stabilis imperii sui vexilla explicat. Ipse in sacris claustris sine verecundia delitescit. Prætereo multa similia, - & exclamo: O monstrum! ô furia! ô tremendum hostem! ecquæ enim damna hic homicida non attulit? siquidem velut ignis quidam animam crudelissimo incendio conflagrat: tanquam fumus oculum intellectus excœcat; tanquam febris morum honestatem corrumpit; pestilentiæ instar internam contaminat venustatem. Quasi vermis quidam corrodit radicem, tanquam lenocinatrix esca decipit. Veluti pondus necessarium opprimit, velut catena adamantina nos captivos constringit, veluti sagitta æruginosa in femore nos pungit, quasi transversus in corde clavus occidit; An videtis Auditores, qualis inimicus nos oppugnet? & quis causam vel occasionem nobis præbeat, ut de mortificatione simus solliciti, quâ unâ vinci & domari potest.

§ 5. *Tam terribilis hostis non vincitur, nisi per mortificationem, quæ simul ad cælum nos deducit.*

Orig. hom. 6. in Exod. *Hæc est via, quæ ad cælum nos securè perducit; si carnem tuam crucifixeris cum vitiis & concupiscentiis, & si mortificaveris membra tua, quæ sunt super terram.* Itaque mortificatio vincit hostem, quem paulò antè descripsi. Eusebius Emissenus ser. 1. de Ascens. scalam quandam nobis tradit, per quam in cœlum facili negotio conscendere possumus; ita enim scribit: *Ascendamus, & per ipsarum si placet adminicula passionum. Quomodo autem per passiones nostras possumus ascendere, si requiras, hoc utique modo, si unusquisque nostrûm subdere eas sibi studeat, & eminentiâ dominantis animi super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construat, quo ad superiora conscendant, sublimabunt nos, si fuerint intra nos. De nostris etiam vitiis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.* Mira videri potest illa æternæ & Incarnatæ Veritatis propositio, Luc. 7. v. 21. *Ecce regnum DEI inter vos est.* Sed quomodo hoc? cùm continuam in nobis experiamur sensuum nostrorum rebellionem? Ex quo caro nostra est veluti quædam Babylonia, quâ ratione Jerusalem, id est, *Pacis visio*, dici poterit? Non aliter hoc obtineri potest, nisi per passionum mortificationem. S. Ambr. l. de Isaac, c. 4. *Præsidet unusquisque sibi quâdam potestate regali, si coërceat in se corporis luxus,*

luxus, & in servitutem redigat carnem suam; ideoque dictum est: Regnum DEI intra vos est. Quò pertinere videtur illa S. Pauli monitio ad Rom. 6. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Sed quo medio? *Vt non obediatis concupiscentiis ejus.* Advertite, S. Paulum non dicere, ut non habeatis concupiscentias, sed ut non obediatis; hoc est, quod alibi ait, si castigetis corpus, si in servitutem illud redigatis, si occideritis, mactaveritis affectus, qui militant adversus spiritum, odium, invidiam, superbiam, libidinem, &c.

Si autem destructo regno peccati, in nobis sit regnum Christi, pax quoque & tranquillitas adsit; sed unde illa pax & serenitas, in mari hoc magno & procelloso hujus mundi, in quo tot contrarios & impetuosos ventos quotidie sustinemus, ob graves quas ab infernali inimico sustinemus tentationes, ob suggestiones & motiones pravas, ob tot inordinatos appetitus, quomodo, inquam, inter tot procellas pax & serenitas esse potest? Eleganter respondet S. Basilius orat. 21. *Quamvis navis gubernatori concessum non sit, tranquillitatem mari pro arbitrio, & voluntate imponere,* (de solo Christo D. enim dicitur Matth. 8. v. 25. *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna,*) *nobis tamen integrum est, vitam quietam, omnique vacantem perturbatione, constituere; si nimirum internos tumultus, qui ab affectionibus externis proficisci solent, sedaverimus.* §. 6. *Mortificatio est mater pacis & tranquillitatis.*

Sed quæ de necessitate & utilitate mortificationis, quâ tam potens & periculosus adversarius vinci potest, dixi; causam præbent, ut antequam peragamus ad alia, aliquis quærat, quid sit, vel in quo consistat virtus mortificationis? clarè, quid sit, se mortificare? aliqua jam insinuavi; mortificare se, est, crucifigere corpus suum, cum vitiis & concupiscentiis suis. Hæc est phrasis S. Pauli. *Mortificare se*, est, inordinatos animi affectus subdere, & subjicere rationi, ut hæc pulcherrimo quodam dominio stet super illos, sicut victor & triumphator aliquis super cervices prostrati & devicti hostis. *Mortificare se*, est, redigere carnem in debitam servitutem. *Mortificare se*, est, non obedire concupiscentiis suis; *Mortificare se*, est, sedare internos tumultus, qui ab externis affectionibus, in corpore humano, & omnibus ejus sensibus proficisci solent. Nunc addam plura ex S. Scriptura, & SS. Patribus, ut probè calleamus, quid sit mortificatio. §. 7. *Quid sit, vel in quo consistat virtus mortificationis.*

§. 8. *Quod per tres similitudines explicatur.* Puto hoc pulcherrimis similitudinibus in S. literis & SS. PP. auctoritate fundatis, pulcherrimè posse explicari. Itaque dico, corpus nostrum, quod veluti indomitus quidam equus est, ne DEUM à se excutiat, necessariò per frænum mortificationis domandum, & coërcendum esse; quod David ps. 31. v. 19. insinuans, ait: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Ubi S. Ambr. *Qui dominari nescit cupiditatibus, is quasi equus raptatur indomitus, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur;* quod ne fiat iste equus, sive caro nostra debet atteri, contundi & affligi, ut frænum patiatur. Quò enim equus est magis domitus, tantò majori cum securitate onus portat. Equus autem sine fræno aut lasciviens, sessorem in præcipitia aget. Proinde *corpus tuum,* (ait S. Basil.) *rege ratione, uti auriga equum fræno.* Cogita cum S. Aug. *Majorem te esse, & ad majora genitum, quàm ut sis mancipium corporis tui.* Hoc est se mortificare. Alteram similitudinem proponit Christus Joan. c. 15. v. 2. *Pater meus agricola est, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fecit fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Similem, & tertiam similitudinem, adducit Ecclesiasticus in persona animæ sanctæ, c. 24. v. 23. *Ego quasi vitis fructificavi, suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.* Quis verò est, qui nesciat, quòd, ut vitis fœcunda efficiatur, necessum sit, ut sæpiùs amputetur, & in pluribus partibus rescissa, ligonibus circumfodiatur. Quis vinitor viti permittit, ut pro sua libidine dilatetur, & germinet: hâc enim ratione, præter sarmenta nihil producet, & palmites, in quos omnis humor inutiliter diffunditur, sine spe fructuum. Eodem modo, si permittamus inordinato appetitui, ut erga omnes affectus & desideria dilatetur, præter inutilia sarmenta nihil proferet; imò, verificabitur illud Isaiæ c. 5. v. 6. *De vinea Domini non putabitur, & non fodietur; & ascendent vepres & spinæ.* Itaque ferro mortificationis utendum est, ut inferioris hominis motus & appetitus superiori homini subjiciantur, & hoc est se mortificare.

§. 9. *Item ex sanctis Patribus.* Audiamus nunc sanctos Patres, quid sentiant de hac quæstione; quid sit seipsum mortificare. Blosius respondet, *Hoc fundamentum est salutis nostræ, mortificare scilicet, abnegare, resignare, perdere & annihilare nos ipsos;* juxta illud Christi D. apud S. Matth. c. 16. v. 24.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Lyranus: *Appetitum sensitivum per rationem viriliter restringere*; hoc est, se mortificare. S. Bruno: *Mortificatio est mors carnis, ut vita IESV manifestetur in corporibus nostris*. S. Bernardus ser. 3. de jejun. hanc nobis proponit praxin se mortificandi. *Abstineat - oculus à curiosis aspectibus, & omni petulantiâ, ut bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui liber vagabatur in culpâ. Abstineat - auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, &c. Abstineat lingua à detractione, murmuratione, & scurrilibus verbis. Abstineat quisque - à vitiis, & propria voluntate sua*, &c. B. Laur. Just. de intern. oft. c. 8. *Per mortificationem - custoditur lex*, (sive custodiuntur regulæ) *pax servatur, nutritur concordia, sufficiunt propria, subest caro, ratio dominatur, quæ omnia dirigit ad cœlestia, augetur fraternus amor, &c. cùm scilicet concupiscentiæ deest languor; ipso autem vigente, ac prævalente, deordinantur omnia, sive corporalia, sive spiritualia.*

Sed utinam locum non haberet querela Lud. Blosii: *Rarus admodum est, qui se ipsum abnegare, & Christum per veram humilitatem, veramq; sui mortificationem, ac resignationem sequi velit. Veram mortificationem sequitur illuminatio, ac deinde unio divina; Planè marcidus languor noster nos impedit, quem si assumpto virili animo strenuè vinceremus, & in cunctis rebus caducis emori studeremus, fieri non posset, quin ad gradum summæ perfectionis ascenderemus.* §. 10. *Querela Ludovici Blosii.*

Circa hæc, quæ hactenus de mortificatione, sive assidua pugna contra insurgentes passiones dixi, bene observandum est, non satis esse, exteriorem tantùm circumferre mortificationem, v. g. in ciliciis, in jejuniis, &c. internus potissimùm hostis, hoc est caro & sensualitas, oppugnari & vinci debet; sicut enim bonus Medicus tunc bene curat, quandò adhibet remedia contra causam morbi; ita quia caro nostra radix est vitiorum, illam præsertim oportet domare. S. Ambrosius, Frustra contra exteriores inimicos bellum geritur in „ campo; si intra ipsa urbis mœnia civis insidians habetur. „ Ad quod propositum optimè servit illa Eusebii Gallicani ingeniosa interrogatio, dicentis hom. 4. ad Mon. *Quid prodest, quòd affligis corpus tuũ, quando nihil proficit cor tuum?* Quot v. g. sunt Religiosi, qui in vestitu, in cibo, in potu, in plurimis aliis se mortificant, vel mortificantur §. 11. *De mortificatione, potissimùm interna, debemus esse solliciti.*

tur quotidie, & tamen aliâ ex parte interiùs fovent odia, nutriunt lasciviam, &c. quibus meritò occinitur illud S. Cæsarii Arelat. *Gratis nobis de corporis cruce blandimur, dum exterior homo noster sanctis laboribus exercetur, & à passionibus non curatur interior. Sic est, quomodo si aliquis statuam faciat à foris auream, vel quomodo si domus magnificâ arte constructa, à foris pulcherrimis coloribus depicta videatur, & ab intus serpentibus & scorpionibus plena sit.* Et D. Chrysologus: *Tolerabilis est hostis, cùm muros arietat externos, cùm foris positus cedit aliquando conflictui; cùm verò intus est inimicus, & adversarius in ipsis penetralibus jam desævit, hîc se oppressum sentit, hîc se captivum deplorat, neque tutus aut securus esse potest, nisi ex corde per internam mortificationem magnâ vi & conatu expellatur inimicus.*

§ 12. Per quam caro spiritui subjicitur.

Petrus Blesensis ep. 10. *Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris & domesticus inimicus. Hic est ignis in gremio, serpens in sinu. Hæc est uxor hominis litigiosa, pessima caro nostra.* Cui sine periculo ruinæ & exitii, imò mortis æternæ dominium committi non potest. Ut autem obediat, & spiritui subjiciatur, efficacius remedium non est, quàm frænũ mortificationis interioris. Si aliquando v. g. in Africa, in Hungaria, in Polonia, Turcæ oppugnent aliquam urbem christianam, omnia Turcica mancipia constringuntur vinculis, & conjiciuntur in carcerem, ne aliquod obsidentibus Turcis ferant auxilium, & intus intra mœnia noceant, vel rebellionẽ concitent, cum urbis exitio. Idẽ omnino præstare tenetur Christianus, dum mysticam animæ suæ Jerosolymam à potentissimis exterioribus hostibus, imò principibus & potestatibus tenebrarum, oppugnari sentit, ut mancipium, quod intus in se alit, & alere cogitur, ita constringat, ita liget, ita reprimat ejus motus, ne hostibus oppugnantibus aliquod præbeat subsidium. Seraph. S. Franciscus: *Beatus ille servus, qui talem inimicum in sua potestate semper captum tenuerit, & sapienter se ab eo custodierit, quia dum hoc fecerit, nullus alius inimicus ei nocere potest.* Econtra certum est illud Eccli. c. 18. v. 31. *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus*; hoc est, *Si dimiseris eam in pravitatibus cordis ejus*, ut S. Hier. legit. Cassiodorus, *in voluntatibus suis.* S. Fulgentius, *in voluptatibus suis.* Regius Psaltes ps. 80. v. 12. *Secundùm desideria cordis in adinventionibus suis*; pergit Ecclesiasticus

cit.

cit. *Faciet te*, (scilicet caro tua) *faciet te in gaudium inimicis tuis, cum æterna ruina*. Sufficiant dicta pro hac Exhortatione; sequens post dies 14. proponet plura.

EXHORTATIO II.
DE MORTIFICATIONE.

Semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes, ep. 2. ad Corinth. c. 4. v. 10.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PUnctis Exhortationis prioris addit tria alia. Primum est, Mortificationem in omni loco, & tempore, in omni re, & à quovis personarum statu exercendam esse. 2. Viros sanctos æstimare & amare mortificationem. 3. Esse illam gratissimam DEO hostiam & sacrificium.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *Regula 12. Summarii de continua mortificatione.*
§. 3. *Septem proprietates veræ mortificationis ex S. Paulo.*
§. 4. *Quomodo intelligenda sit vocula*, Continua.
§. 5. *Continua tentatio ut vincatur, indiget continuâ mortificatione.*
§. 6. *Probatur id similibus.*
§. 7. *Prosecutio.*
§. 8. *Monitum S. Pauli.*
§. 9. *Variæ praxes se mortificandi.*
§. 10. *A lege mortificationis nemo excipitur.*
§. 11. *Mortificatio est vera via ad sanctitatem. Ita senserunt Viri sanctissimi.*
§. 12. *Prosecutio.*
§. 13. *Opinio S. Dorothei.*
§. 14. *S. Philippi Nerei, & Ludovici Blosii.*
§. 15. *Mortificatio gratissimum DEO est sacrificium.*
§. 16. *Et Hostia.*
§. 17. *Prosecutio.*
§. 18. *Quanti meriti sit aliquis heroicus actus mortificationis.*

PUnctis exhortationis prioris, de virtute Mortificationis, in hac addam alia tria. Primum est, Mortificationem in omni loco & tempore, in omni re, & ab omni personarum statu exercendam esse. 2. Viros sanctos æstimare & amare mortificationem. 3. Esse illam gratissimam DEO hostiam & mortificationem. *§. 1. Propositio.*

Regu-

§. 2. Reg. 12. sum. de continua mortificatione.

Regulam duodecimam summarii Constitutionum S.P. Ignatii his verbis nobis præscripsit: *Vt meliùs ad hunc perfectionis gradum in spirituali vita tam pretiosũ perveniatur, majus ac impensius studium cujusque erit, quærere majorem in Domino abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit mortificationem.* Quæ regula, meo judicio pulcherrimè explicatur, per primam exhortationis hujus propositionẽ, quòd mortificatio in omni loco & tempore, in omni re, & à quovis personarum statu sit exercenda: quod nihil aliud est, quàm continuam circumferre mortificationem. Pro vocula *Continuam*, S. Paulus ponit particulam *Semper*. *Semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes.*

§. 3. Septem proprietates veræ mortificationis ex S. Paulo.

Quam mortificationis circumstantiam, sicut & alias requisitas proprietates, ut mortificatio, de qua agimus, bene ordinata sit, eleganter expressit S. Paulus ad Rom. c. 12. v. 1. *Obsecro itaq; vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium vestrum.* Ubi Lyranus: Per ordinem tangit Apostolus septem conditiones, quæ macerationem carnis DEO faciunt acceptam. Prima est, quòd sit voluntaria, quod notatur, cùm dicitur, *ut exhibeamus*, sive ut sponte, & ultrò id faciamus. Secunda, quòd sit in carne propria, ideo dicit, *corpora vestra*, non aliena: contra illos, qui salvari se credunt solùm per mortificationem alienam, præsertim Christi Dom. Tertiò, quòd sit concupiscentiæ mortificativa; ideo dicit *Hostiam*, quæ olim in V. L. mactari debebat. Quarta, quòd sit bonorum operum productiva, ideo dicit, *Viventem*; vivens enim dicitur, quod habet in se principium motus. Quinta, quòd sit continua; sicut vitia continuò pullulant, ideo dicit, *sanctam*, id est, firmam. Sexta, quòd sit bene ordinata, scilicet ad DEI gloriam, non ad laudem propriam, ideo dicit, *DEO placentem*. 7ma, quòd sit rationabilis, sive discreta; quia indiscreta est nociva.

§. 4. Quomodo intelligenda sit vocula Continua

Itaque, quod particulam *continuam*, sive *semper*, attinet, sic intelligenda est, quòd non solùm unâ die, vel unâ septimanâ, vel uno mense, uno anno, decem annis, &c. sed quàm diu vivimus, debeamus nos mortificare. Unde S. Bernardus hanc mortificationem comparat respirationi: *Sicut enim pro conservatione vitæ necessum est, ut semper respiremus, quia aliàs homo desineret, & moreretur: ita quoq;*

desi-

desinente in nobis mortificatione, desinit vita spiritus & animæ. S. Bern. *Quoties concupiscentiæ repugnas, respiras; quoties carnem crucifigis, respiras: & hinc in te vivit spiritus.*

Necessitatem hujus continuæ mortificationis S. Prosper ita probat: *Continua carnis rebellio & inobedientia, continuam exigit pugnam & mortificationem. Cæterùm*, inquit, *in hac vita quamvis strenuè dimicemus, & adjuvante DEO catervas hostium, quibus circumfundimur, prosternamus; tamen si ab eis nolumus vinci, nunquam pugnare desinimus; nec vincentes securos faciunt, viriliter desudata jam prælia; sed magis sollicitant adversariorum rediviva certamina; ac sic, quia secundùm sacræ Scripturæ sermonem, tota humana vita tentatio est super terram; tunc est tentatio finienda, quando finitur & pugna; & tunc est finienda, quando post hanc vitam succedit pugnæ secura victoria. - Vsq; in mortem tentabimur: usque in mortem debemus nos mortificare.* §. 5. *Continua tentatio ut vincatur, exigit continuam mortificationē.*

Non desunt rursum similia ex S. literis, & SS. Patribus, quibus probatur necessitas continuæ mortificationis. Notissima est maledictio DEI super terram, Gen. 3. v. 18. *Spinas & tribulos germinabit. Et proinde etiam terra carnis nostræ*, (inquit S. Leo ser. 4. de jejun.) *nisi assiduis fuerit subacta culturis, & ligone mortificationis, citò spinas tribulosque passionum producit.* Experimur quotidie, quod mox ut per aliquod temporis spatium, ab hac auctoritate desistimus, caro in pristinum vigorem rediens, spiritui rebellet, sicut antea. S. Ambr. ser. 36. *Istæ sunt spinæ corporis nostri, quæ præfocant animas*; nec sufficit has herbas & spinas semel eradicasse; cõtinua cultura est necessaria. §. 6. *Probatur id ex similibus.*

Deinde, Hortulanus, nisi continuò resecet, amputet, & præscindat subnascentes ramusculos, ex quibus suâ industriâ formavit aliquam statuam, vel tiliam, vel pavonem, aut aliam quamvis figuram, citò illud arbustum in cespitem vel informem formam excrescit; pari ratione homo spiritualis semper manu debet tractare cultum mortificationis, quo rebelles motus, & inordinata desideria præscinduntur, ut semper in nobis manifestetur imago & forma pulcherrimarum virtutum; quod Apostolus monet, *Vt semper circumferamus in corpore nostro mortificationem IESV.* S. Bernardus ser. 58. in Cant. *Quis ita ad unguem semper omnia superflua à se resecavit, ut nil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata* §. 7. *Prosecutio.*

repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuò excitantur. Parum ergo est, semel putasse, sæpe putandum, imò si fieri potest, semper, quia semper, quod putari oporteat, (si non dissimulas,) invenies. Denique addit: *Quantumlibet in hoc corpore manens, profeceris, erras, si vitia putas emortua. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus, qui subjugari potest, sed non exterminari.* Hugo Card. super illum v. ps. 41. *Propter te mortificamur totâ die.* Cùm dicit totâ die, notat perseverantiam, quæ necessaria est in-mortificatione.

§. 8. *Monitum S. Pauli.* Maximè salutare consilium est illud S. Pauli 1. ad Corinth. c. 10. v. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Quibus verbis quandam nobis ostendit aurifodinam, ex qua animas nostras continuò locupletare, & thesaurum gratiæ augere possumus magnis meritis, ad comparandam æternam gloriam; præsertim si addatur praxis mortificationis.

§. 9. *Varia praxes se mortificandi.* V. G. Hic cibus præ cunctis aliis tuum sollicitat gustum, reprime hunc pruritum per abstinentiam. Allicit tuos oculos forma pulcherrimi flosculi, vel alterius objecti, reprime tuos oculos. Genius tuus te inclinat, ut libentiùs cum hoc, vel altero socio converseris, esto indifferens ad omnes. Est, qui tibi contradicat, sile, &c. Similes innumeræ aliæ occasiones faciunt continuam mortificationem in rebus omnibus, in omni loco & tempore.

§. 10. *A lege mortificationis nullus eximitur.* Nemo putet, se ab hac lege esse exemptum. Etenim Christus D. omnibus in universum dixit Matth. 10. v. 38. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* S. Leo ser. 9. quadr. *Nec dubitare debemus, hanc vocem non solùm ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere.* In cujus confirmationem apud S. Marcum expressè dicitur: *Convocatâ turbâ, cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget se ipsum, & tollat crucem suam.* Quod non solis Apostolis, vel discipulis, sed turbæ universæ dictum esse, scire debemus. Et quidem sub tanta obligatione, ut inde pendeat hominis vel æterna vita, vel damnatio sempiterna; ad Rom. 8. v. 12. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Econtra: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* S. Thomas: *Sequendo concupiscentias carnis, moriemini, morte culpa in præsenti; & morte*

morte damnationis in futuro. Unde sequitur, quòd sicuti quotidie, omni horâ, tempore & loco, & continuò debemus esse solliciti, ut salvemur; ita continuò nos debeamus mortificare.

Venio ad alteram propositionem hujus Exhortationis, & dico: Eximiorum & sanctorum Virorum opinio fuit, & est, per mortificationem nos venire ad culmen perfectionis, & magnæ sanctitatis. Testem adduco S. P. N. Ignatium, qui in cit. Reg. 12. claris verbis ait: *Vt meliùs ad hunc perfectionis* (quam scilicet in præcedentibus Regulis, & præsertim undecimâ Summarii descripserat,) *in spirituali vita tam pretiosum perveniatur; majus,* &c. Cùm in præsentia S. Francisci Borgiæ valde commendaretur personæ alicujus sanctitas, ipse respondit: *Talis erit, si fuerit mortificata.* Aliàs Sorori cuidam religiosæ dixit: *Tunc religiosi status exercitia bene habent, cùm diei horæ mortificationibus mensurantur, ut pene per viginti quatuor vices moriamur.* Aliàs: *Mæstum se fore, si putaret, mortem eo die sibi incurrendam, in quo privatum aliquid mortificandis sensibus non subiisset.* (Si fortassis placeat proponere S. Ignatium & S. Xaverium inculcantes suis exercitium mortificationis, inspice illorum Vitas, & pios libellos, præsertim Sanctorum illorum hebdomadas à P. Nadasi compositas.)

§ 11. *Mortificatio est vera via ad perfectionem. Ita censerunt Viri sanctissimi.*

Notabilis est Thomæ à Kempis sententia: *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris, ut mensura sanctitatis in anima à mortificatione desumenda sit.* Dubitari quidem non potest, quin eminentia sanctitatis in ardore charitatis, & amore Dei sit posita, juxta illud S. Bernardi: *Quantitas cujuscunque animæ æstimatur ex mensura charitatis, quam habet, ut quæ multum charitatis habet, magna sit, & quæ parum, parva.* At verò quâ ratione agnoscere poterimus, hunc charitatis ardorem flagrare in anima? Respondet S. Aug. *Pœna interroget, si quis veraciter amet.* Quando anima se mortificat, & abnegat, ut se Deo conformet, eiq; placeat, evidens & certissimum signum est, quòd Deum verè diligat. Vel, *si* (ut S. Paulus cit. loquitur,) *semper mortificationem IESV circumferamus.* Id est, ut Hugo Card. exponit, *quam propter IESVM patimur.*

§. 12. *Prosecutio.*

Refert S. Dorotheus medium, quo discipulū suum Cositheum ad tam sublimem eminentis perfectionis gradum evexit, hoc fuisse,

§. 13. *Opinio S. Dorothei.*

se, quòd videlicet continuam ei se mortificandi occasionem dederit, conculcando propriam ejus voluntatem, v. g. quando advertebat aliquem affectum ad vestem, librum, &c. mox imperabat, ut daret alteri. Videns, quòd sibi in aliqua re, quam affabre factam esse videbat, complaceret, eam destrui curabat. Quando eum videbat curiosum, ut aliquid sciret, nec verbum illi respondebat, &c. Cùmque in his omnibus sine turbatione se submitteret, per hoc solum exercitium quinque annorum spatio eò pervenit, ut S. Dorotheo revelatum fuerit, eum in cœlo sedere super multos alios Monachos; quod cùm alii mirarentur, siquidē ob delicatam complexionem non jejunaverat, &c. S. Dorotheus hanc unicam causam esse dixit, quia in omnibus rebus voluntatem propriam abnegare, seque mortificare consueverat. B. Laur. Justin. *In nobis igitur, & contra nos pugnare debemus, si cælorum æterna cupimus habere promissa*; juxta illud Apoc. 2. v. 7. *Vincenti dabo de ligno vitæ, quod est in paradiso.*

§. 14. *S. Philippi Nerei & Lud. Blosii*

Vita S. Philippi Nerei refert, l. 2. c. 14. n. 10. illum magni fecisse eos, qui in mortificatione omne studium suum ponebant. Juxta Lud. Bl. *Incarnata Sapientia erudiit S. Cath. Senensem, quòd vera sanctitas non consistat in arduis exterioris pœnitentiæ operibus, sed in propriæ voluntatis, ac vitiorum mortificatione.* Idem Lud. Bl. ad Florentium: *Si in te, ô homo, fervet desiderium perveniendi ad excellentem, sanctamq; vitam, si pro ea obtinenda continuò oras & laboras, certus esto, quia humiliter te abnegando, ipsam perfectionem consequeris.*

§ 15. *Mortificatio gratissimū DEO est sacrificium*

Tertiam propositionem hujus Exhortationis, Mortificationem esse DEO gratissimam hostiam & sacrificium, per quod DEI gratiam & benevolentiam nobis vel maximè conciliare possumus, probo inprimis testimonio Ludovici Blosii, ex l. inst. spirit. c. 2. *Quando quis propter DEUM sensualitati, voluntatiq; propriæ, etiam in rebus minimis* reluctatur, ac se *mortificat, rem DEO gratissimam facit. Ascetæ ergo frequenter intra se DEO dicat, propter te Domine nolo illud videre; propter te nolo illud audire, nolo illud gustare, nolo illud loqui, &c. & acceptius DEO obsequium præstabit, quàm si mortuos ad vitam revocaret.* Eleganter Cassianus coll. 15. cap. 9. *Revera majus miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxuria, quàm expellere*

pellere immundos spiritus de alienis corporibus; & magnificentius signum est, virtute patientiæ motus iracundiæ cohibere, quàm aëris potestatibus imperare: plusque est exclusisse edacissimos de corde proprio tristitiæ motus, quàm febres alienas expulisse.

Qualis verò hostia, sive quale sacrificium DEO offerat mortificatio, pulchrè exponit Origenes l.9. ad Rom.c.12. ubi specificat victimas, quas in honorem DEI, veluti mystica holocausta offerre & mactare oportet Dicit enim: *Vnusquisque rationabili obsequio DEVM honorat, si superbiam corporis sui vincendo, immolet vitulum; si iracundiam superando arietem jugulet; si libidinem vincendo in holocaustum offerat hircum; si vagos & lubricos cogitationum resecando volatus, columbas & turtures immolaverit;* juxta illud ps. 28. v. 6. *Et comminuet eas, tanquam vitulum Libani.* Ubi Rich. de S.Vict. *Nihil ita fragrat Domino in odorem suavitatis, quàm si mactetur ei vitulus propriæ voluntatis.* Bene observandum est, Glossam de illis verbis, quæ l.2.Reg.c.23. v.15. de Davide dicunt, quòd aquam, quam ex motivo mortificationis noluit bibere, *libaverit Domino*, dicens: *Sic in sacrificium aqua effusa conversa est.* Ita enim heroicus ille actus mortificationis in Davide, in conspectu DEI, valorem accepit sacrificii. Non enim DEus hanc aquam respexit, sed potiùs generosum illum virtutis actum, quo David inordinatum appetitum mortificavit, & repressit. § 16. Et Hostia.

Et quomodo corpus hostia fiet? quod jubet S. Paulus, quærit S. Chrysost. hom.20. ad Rom. Respondet: *Nihil mali videat oculus, & factus est hostia; nihil turpe loquatur lingua, & facta est oblatio. Nihil iniqui committat manus, & facta est holocaustoma;* tum subdit: *Quoniam membra tua DEO sunt sistenda, quoniam hostia sunt, omnem ab illis maculam auferto; nam si maculam habuerint, hostia jam utiq; non erunt. Neque enim offerri poterit oculus scortationi serviens; neq; manus rapiens ac defraudans; neque venter delitiis serviens, voluptatumq; desideria inflammans, nec cor iram fovens, nec lingua loquens detractiones, &c. Sacrificate sacrificium justitiæ*, ait David ps.4. v.6. Chaldæus legit: *Domate concupiscentias vestras, & reputabitur vobis sicut sacrificium justitiæ.* § 17. Prosecutio.

Præsertim si id fiat actu aliquo heroico, qualem v. g. exercuit S. Ma- § 18. Quanti meriti sit ali-

quis heroicus actus mortificationis.

S. Maria Magdalena, quæ juvencula, nobilis, formosa, totâ urbe notissima, nihilominus in unico momento se vincere, mundum pedibus suis substernere, omnes respectus humanos mortificare, ruborem ac verecundiam reprimere, & in conspectu multorum ipsam deridentium, sparsis crinibus, & cum lachrymis, suspiriis, singultibus, ad pedes Christi se abjicere non dubitavit; imò non solùm confundi, despici, derideri, verita non fuit, sed omnia ista optavit, ut Christo placeret: quod Salvatori adeo placuit, ut illã magnificis elogiis commendaverit, gratiamq; dederit, quâ auxiliante subitò ad summum perfectionis culmen ascendit. Tantum potest aliquis heroicus actus mortificationis, de quo aliàs, si detur occasio.

DE STUDIO MEDITANDI ET ORANDI, EXHORTATIONES QUATUOR.

EXHORTATIO I.
DE STUDIO MEDITATIONIS ET ORATIONIS.

Singuli præfinitum sibi tempus, - orationi, meditationi, - impendant, cum omni diligentia in Domino, Reg. 1. com. exp. 4. c. 3. §. 3. & 4.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit in quatuor punctis, quantum in vita religiosa pendeat à Meditatione & Oratione, v.g. inde pendet, 1. ut mens Religiosi illuminetur. 2. Ut caveat peccata. 3. Ut superet tentationes. 4. Ut proficiat in virtutibus.

§. 1. *Ingens laus Caroli V. Imperatoris.*

§. 2. *Meditatio & oratio juvant ad acquirendam sapientiam. Sive: Fructus meditationis est illustratio mentis.*

§. 3.

DE Carolo V. felicissimo Imperatore, (inquit P. Rho hist. virt. l. 3. c. 8. §. 1.) *Credi vix posset, quod dicã, nisi gravissimum dicti haberem auctorem S. Franciscum Borgiam, qui olim Carolo intimus, & meliorum arcanorum diu conscius, humana omnia despiciendi, facem videtur præluxisse.* Affirmabat Franciscus, Carolo quamvis armato, & bella tum maximè gerenti, nullam tamen diem abiisse, ex qua solidam horam DEO, solidè orando, precibusq; quibus assueverat, percurrendis, sepositam sibi atque exemptam non haberet. Nolo inhærere causis, quæ sapientissimum Imperatorem ad hoc permoverunt; Vobis tamen RR. PP. & charissimi Fratres, hac exhortatione proponam aliquas, ob quas prima statim Regula communium dicit: *Singuli præfinitum sibi tempus orationi, & meditationi impendant, cum omni diligentia in Domino.* *§. 1. Ingens laus Caroli V. Imperatoris.*

Ab hora meditationis nobis præscripta pendet 1. ut Religiosus Societatis acquirat sapientiam, ad illustrandam mentem, & ad illuminandum intellectum necessariam, ut fiat capax intelligentiæ divinorum mysteriorum, & ut intelligat, quid agendũ, quid omittendum sit. Certè sapientissimus Salomon modum, quo sapientiam obtinuit, claris verbis insinuavit Sap. c. 7. v. 7. *Invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ.* Nam ut B. Laur. Just. ait de orat. c. 2. *Orationis virtus hominẽ illuminat; nam & oratione meliùs solvũtur dubia, quàm inquisitione aliâ, citiùsque panduntur secreta precibus, quàm studio;* & subdit: *Danieli oranti aperiuntur mysteria, fiunt revelationes, & quod sæculi sapientibus erat clausum, illi per orationem efficitur manifestum.* Cùm Angelicus Doctor à D. Seraphico S. Bonaventura peteret videre librum, in quo maximè studeret, ostendit illi Crucifixum, in cujus meditatione se quotidie exercebat, & dixit, illius meditatio- *§. 2. Meditatio & oratio juvant ad acquirendã sapientiam.*

nis

nis fructum esse *Illustrationem supremæ sapientiæ*; quod probavit ex Jacobo c.1. v.5: *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & dabitur ei. Vt de Viris sanctis verè dici possit: Quæsiverunt sapientiam in oratione sua*, Eccles.51. v.18.

§. 3. *Fructus meditationis est illustratio mentis.* Confirmat hanc veritatem S. Chrysost. t.5. ser.57. ubi ait: *Cum studio*, (vel ut S. Ignatius loquitur, cum omni diligentia in DOMINO) *fusa oratio, est lux mentis & animæ: lux inextincta & perennis. Orationis enim instantia*, inquit S. Antonius de Padua ser. in Dom.2. post Pascha, *mentem illuminat*; unde Apocal. 21. v.23. *Claritas DEI illuminavit S. Ioannem, de lucerna, quæ erat Agnus immaculatus.* Hâc claritate, sive ab Agno Christo, & roseis ejus Vulneribus in meditatione illustrati, *abjicimus opera tenebrarum, & induimus arma lucis*, ad Rom.13. v.12. Belluacensis in spec. mor. p.10. l.3. dist.34. *Anima colloquendo cum DEO, divinitùs illustratur, & docetur in schola sub magisterio summi Doctoris. Item, anima in oratione illustrata, & elevata divinis splendoribus, in amorem DEI ampliùs inflammatur.* Hinc fit, ut anima oratione accensa, & mota ad eximios affectus variarum virtutum, efficiatur capacior & aptior ad cœlestium mysteriorum cognitionem & apprehensionem; Ecclesiastici c.2. v.10. *Diligite illum*, (scilicet in meditatione & oratione) *& illuminabuntur corda vestra.* Quæ verba Lyranus ita exponit: *Diligite, ferventiùs amando: & illuminabuntur corda vestra clariùs cognoscendo; nam amor* (& oratio) *penetrare facit intima amati.* Amor divinus in meditatione accensus, vel ut David ait ps.38. v.4. *Exardescens*, clavis est, quæ ærarium thesaurorum scientiæ & sapientiæ divinæ aperit & reserat. Quàm non gloriatur David de suo studio orandi: *Totâ die meditatio mea est*, ps.118. v.97. *In matutinis meditabor in te*, ps.62.7. *Septies in die laudem dixi tibi*, ps.118. v.164. *Ego verò orationem meam ad te Domine*, ps.50. v.8. Et quid mirum, quòd postmodùm dicat: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

§. 4. *Sensus S. Bernardi, S. Francisci, & S. Ignatii* Piè & pulchrè S. Bernardus de inter. cap. ult. *DEVM cognoscere, plenitudo est scientiæ*, (idem dicere possumus de præcipuis articulis fidei, & mysteriis vitæ Christi, v.g. cognoscere mysterium Incarnationis, &c. ad quam scientiam pleræq; meditationes à S. P. Ignatio diriguntur,) *ad hujus autem scientiæ plenitudinem opus potiùs est inti-*

mâ

mâ compunctione, quàm profundâ investigatione; suspiriis, quàm argumentis; crebris lamentationibus, quàm copiosis argumentationibus; lachrymis quàm sententiis; oratione, quàm lectione; gratiâ lachrymarum, quàm scientiâ literarum. S. Seraphicus Franciscus interrogatus, *An sui Religiosi applicandi essent studiis Theologicis?* respondit: *Mihi quidem placet, dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse, quàm studuisse legitur, orationis studium non omittant.* Hunc puto fuisse S. P. Ignatium, dum hanc Regulam scripsit, p.4.c.3.§.3.& 4. Singuli præfi-,, nitum sibi tempus, &c. de reliquo, etiam cum omni diligentia in,, Domino poterunt vel studere, vel laborare, vel conversari, &c.,, dummodo hora meditationis bene impendatur, ut mane statim,, sapientiam nobis necessariam à DEO impetremus.

Caput 10. l.1. Vitæ Patrum, ait: *In oratione* (& meditatione) *potiùs, quàm in ullis aliis rebus situm est, ut quis ad SS. Trinitatem appropinquet, & contempletur:* idem verissimum est de aliis mysteriis. Meditatio in illorum contemplatione nos illuminat. Seraph. S. Franciscus de die septies orans, manibus ac brachiis in modum Crucis protensis, toto corpore sublevatus à terra, nubeculâ quâdam circumdatus fulgebat, ut illustrationis, & elevationis mirabilis intra mentem, mira circa corpus elevatio esset testis. Si similes mentis de cœlo desideramus illustrationes, insistamus orationi; præsertim sub hora matutinæ meditationis, multùm inde pendet. §. 5. *De Seraphico S. Francisco.*

D. Chrysolog. ser. 43. In virtute orationis Joannes fit Angelus,, in carne, cœlestis in terra, capit, tenet & complectitur Trinita-,, tem. Et nos Fratres, si volumus Moysis gloriæ, Eliæ vitæ, Joannis,, virtutibus, omnium Sanctorum meritis applicari, (vel dicam ego, si in sancta Societate JESU perfectioni volumus incumbere, omni diligentiâ in Domino, insistamus orationi. §. 6. *Testimoniū S. Chrysologi.*

2. Ut aliquis Religiosus, præsertim in Societate JESU, in tam variis occasionibus & periculis cõstitutus caveat peccata, & à quotidianis defectibus præservetur; hoc inquam, in Societate pendet ab hora meditationis mane benè instituta, & ferventi studio orationis. *Oret Religiosus*, inquit S. Chrysol. ser. 43. *& jacula peccati, diaboli tela, vitiorum cuneos, mala carnis*, (S. Paulus vocat stimulum carnis) *& voluptatum laqueos, non timebit.* S. Isidorus: *Non est mirum, si* §. 7. *Meditatio & oratio nos præservat à peccatis.*

frequenter labatur, *qui studium orationis non frequentat. Hoc est remedium ejus, qui vitiorum incitamentis æstuat; quoties quolibet vitio tangitur, toties se ad orationem subdat; quia frequens oratio vitiorum impugnationẽ extinguit.* B. Laur. Just. de orat. cap. 2. *Sicut aquâ ignis extinguitur, ita concupiscentiarum vitiosarum impetus oratione superatur.* D. Chrysost. t. 1. hom. 68. *Qui omni animi curâ preces adhibent,* (audin'? omni diligentiâ in Domino) *non patiuntur aliquid precatione indignum in se admittere; sed DEUM veriti,* (audis? timor DEI in religioso Societatis pendet à matutina oratione) *omnes repente improbi hostis conatus repellunt.* Tom. 2. ho. 4. ait: *Impossibile est, hominem, quâ decet alacritate precantem,* (omni diligentiâ in Domino) *& assiduè DEUM orantem, unquam in peccatum incidere.* T. 6. hom. de orat. *Fieri non potest, non inquam fieri potest, hominem, eo quo par est, studio precantem,* (omni diligentiâ in Domino) *& continuò DEO supplicantem, aliquando peccare.* Quòd si nonnunquam contingat, aliquem ab inordinatis appetitibus seductum (neque enim in mortali hoc corpore sumus Angeli, vel impeccabiles) labi in peccatum; oratio tamen est auxiliatrix, quæ nos statim reducit in portum, & locum tutum; Isaac Presbyter: Oratio refugium est auxilii, & fons salutis, „ & confidentiæ thesaurus, & lumen iis, qui in tenebris sunt, & por- „ tus liberans à tempestate.

§. 8. *Impetrat peccatorum emendationem.*

Admiratione dignum est, quod legitur de S. Philippo Nerio. Advertit aliquem pœnitentẽ à se discedere, sine proposito emendationis in re gravi; itaque abeunti dixit: *Ito in pace, & certus esto, quòd DEUM pro te rogabo, & eò usque preces pro te fundendas continuabo, donec à lubrica hac consuetudine veraciter recesseris.* Et reverà ita contigit; post paucos dies rediit pœnitens, totus alius. Nos quoque sæpe labimur in defectus, de quorum emendatione & correctione quasi desperamus; sed rogemus DEUM, insistamus meditationi & orationi, & emendatio infallibilis sequetur. Certè Ninivitarũ *oratio tantum potuit, ut cùm turpissimam & improbissimam vitam duxissent, ea tamen in civitatem ingressa, omnia commutarit.* Luc. 18. ait Christus D. de quodam dæmonio, *quod ejici non possit, nisi in oratione:* tales prorsus sunt aliqui defectus in domibus Religiosorum, in Collegiis, tam inveteratæ malæ consuetudines, ut difficile sit sperare emen-

dation-

dationem. Sed corrigite errorem, *In oratione*, hoc est, ejus virtute & efficaciâ, talis emendatio non tantùm est possibilis, sed facilis. *Oratio* (S. Ephrem) *est iracundiæ frænum, animi elati repressio, odii ob acceptas injurias medicina, invidiæ destructio, impietatis correctio.* D. Chrysost. Sæpe contingit, ut quæ studio nostro corrigere non „ possumus, ea per preces efficere valeamus.

§. 9. *Meditatione & oratione vinci possunt omnes tentationes.*

3. A meditatione & oratione matutina, bene, & cum omni diligentia in Domino peractâ, pendet, ut diaboli, & aliorum hostium tentationes facillimè vincamus. Matt. 26. 41. *Orate, ut non intretis in tentationem.* Luc. 22. v. 31. ait ad Apostolos: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; sed ego rogabo Patrem; & vos orate, ne nocere possit.* S. Bern. ser. 49. de modo bene viv. Oratio frequens „ diaboli jacula submovet; oratio quotidiana diaboli tela exsuperat; „ oratio est prima virtus adversus tentationum incursus; oratio su- „ perat tentamenta inimicorum, vincit dæmones, superat immun- „ dos spiritus. Per orationem vincuntur dæmonia. Oratio omnibus „ diabolis malis prævalet. „ Eleganti similitudine utitur S. Bernardin. ser. in Rogat. Meritò manè oratio optima est, propter mysterium „ suum: nam signat gratiæ infusionem, quæ maximè in illa hora à fi- „ delibus per orationem acquiri potest; quia sicut in aurora fugiunt „ latrones, sic tunc per orationem infusæ gratiæ fugiunt dæmones. „ Sicut in aurora lupi, vulpes & aliæ feræ se abscondunt. Ps. 103. v. 20. *Posuisti tenebras, & facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ*; de mane verò ait: Ortus est Sol, & congregatæ sunt, & in cubi- „ libus suis collocabuntur. Sic in nocte tentationes multiplicantur, „ & invalescunt; sed in aurora, per gratiam in oratione infusam di- „ scedunt. Oratio, telum acerrimum est, ad dæmonum impetum „ propulsandum. Iterum D. Chrysost. Facillimè improbissimi dæ- „ mones te contemnent, & implicabunt, qui oberrant assiduè, & „ occasionem captant, observantes, ut si quem deprecatione desti- „ tutum deprehendant, sine mora corripiant. Quare si septos nos „ precibus viderint, continuò tanquam fures resiliunt; neque enim „ ante faciem orantium stare possunt; dissipantur, fugiunt, sicut fu- „ mus deficiunt. B. Laur. Just. Nihil profectò sic terret Leviathan, „ sicut orationum crebra instantia; atque deprecantium devota „

 suspi-

ſuſpiria: æquè orationis, quàm gehennæ crematur incendio. „ B. Macarius: *Si dæmones fuerint fortes robore, montibus haud diſſimiles, ab oratione comburuntur, veluti cera ab igne.* B. Laur. Juſt. *Oratio eſt animæ ſanctæ ſubſidiũ, Angelorum ſolatiũ, diabolo ſupplicium.* S. Baſilius ſuper illa verba: *Qui docet manus meas ad præliũ. Dum enim ad precandum illas in tentationibus extendo, inimicos vinco.* Ita Exod. 17. Moyſe perſeverante in oratione, Amalecitæ à filiis Iſraël fuerunt debellati.

§. 10. *Bina comparationes pulchra, cũ teſtimoniis SS. Patrum.* Elegans eſt comparatio D. Chryſoſt. t. 1. h. 68. de precat. *Vt urbs minimè ſepta, facilè in hoſtium poteſtatẽ venit, ita ut nemo illos propulſare poſſit; ſic precatione animum non communitũ facilè diabolus in ſuam redigit poteſtatẽ; facilèq; contaminat omnium turpitudine flagitiorum. Primùm enim, cùm viderit animam precibus circumſeptam, veritus robur ac vim, quam preces illi ſuppeditant, propiùs non audet accedere.* Non poſſum omittere aliam comparationem S. Bonav. in diæta ſal. tit. 2. c. 5. Eſt orans ſicut ille, qui à Rege in obſidione quærit, vel pe-„ tit ſuccursũ. Nam ſicut ille, qui tenet caſtrum Regis, ſi obſideretur, „ ab inimicis, reputaretur infidelis, niſi caſtrũ Regi denuntiaret ob-„ ſeſſum, vel peteret ſuccursũ, vel niſi exſpectaret à Rege auxilium, „ vel ſi poſt auxiliũ redderet hoſtibus caſtrum; ſic cùm hoſtes viſi-„ biles & inviſibiles obſident animã tentationibus, ſtatim debemus, „ Regi Regum mittere nuntiũ orationis, & obſidionẽ denuntiare, „ ſicut faciebat Propheta, qui dicebat: *Conciliũ malignantium obſedit me, Deus enim non differt auxiliũ mittere.* De Rege Joſaphat ait S. Jo. Damaſc. c. 30. Jacebat in oratione im̃obilis, & clamabat ad Domi-„ nũ: *Exurge Domine, adjuva me!* Belluacenſis: Igitur hômo prudens, „ contra omnes tentationes, tribulationes, afflictiones, deſolationes, peſtes, & miſerias, à quocunque contingat inferri, ſcilicet homi-„ ne, vel dæmone, ſcutũ orationis opponat, quia oratio eſt refugiũ, „ ſingulare contra omnia mala, quæ ſolent accidere. „ B. Laur Juſt. Nihil tam validum reperitur ad hoſtium noſtrorum conteren-„ dam rabiem, quàm orationis perſeverans opus.

§. 11. *Iuvat meditatio & oratio, ut in exerciti* Reſtat quartũ Punctũ Exhortationis; oratio & meditatio, eſt inſtrumentũ ad acquirendas virtutes, & dux ad vitæ religioſæ perfectionẽ. Oraculũ Seraphici S. Franciſci fuit: *Orationis gratia Viro Religioſo firmiter eſt deſideranda, ſine qua nihil in DEI ſervitio proſperabitur,*

bitur, nec aliquid ab ipso consequetur. An humilitatē, &c. sine oratione, *Non.* S. Bernardus virtutes alicujus Religiosi, in domo religiosa comparat cum pulchris floribus, in aliquo horto, in quo crocus & nardus, fistula & cinnamomū, myrrha & aloë, - rosæ & lilia narcissi & hyacinthi, &c. suavissimum exhalant odorē; ita descripsit Sponsa hortū sui Sponsi; sed bene advertit, fuisse in eodē horto *fontem, & puteum aquarum viventiū, quæ fluunt impetu de Libano.* Sed cùm per hos flores virtutum significetur jucunda, decoraque plantatio; per fontem intelligitur oratio, cujus aquis virtutes irrigantur. Alimento orationis virtutes nutriuntur. D. Chrysost. *Fieri quidem non posse, ut sine precibus vita cum virtute ducatur, perspicuū esse omnibus existimo.* Item: *Quando aliquem cerno, qui non precari assiduè in magnis numeret detrimentis, omnium illum virtutum acerrimum cultorem,* DEI*que templum esse conjicio.* L. 2. de orando DEUM. Cùm alibi fusè tractem hanc materiam. *virtutum sinimus excellentes.*

Finio exhortationem, & dico cum S. Bernardo ad Cler. c. 21. *Pulsate ad portas Religionum, & interrogate, an ibi inter illos vigeat oratio? & an eadem continua & fervens existat, & si id verum esse inveneritis, sanctos illos esse, eorumq́; institutum in flore permansurum esse, dicite. Econtra verò, si orationis nulla habeatur ratio, misera quoque erit talium Religiosorum conditio.* (Pulchrè hæc applicari possunt alicui Collegio Societatis JESU.) S. Chrysost. *Vt corpus Solis lumine, sic anima orationum radiis illustratur. Si ergo cæci calamitas est, Solem non posse aspicere, quanta tandem est Religiosi jactura, non assiduè DEVM precari, Christiq́; splendorem in animum precibus inferre?* §. 12. *Observationes pulchræ ex S. Bern. & S Chrysostomo.*

EXHORTATIO II.

DE MEDITATIONE ET ORATIONE.

Singuli præfinitum sibi tempus, - orationi, meditationi, - impendant, cum omni diligentia in Domino, Reg. 1. com. ex p. 4. c. 3 §. 3. & 4

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EST continuatio prioris. Ab oratione pendet 1. Ut unionem & familiaritatē cum DEO obtineamus. 2. Ut in omni tribulatione

& adversitate, in periculis & insidiis Satanæ, reperiamus auxilium. 3. Ut placemus irã DEI. 4. Ut fruamur pace & serenitate cõscientiæ.

§. 1. Exordium & Propositio.

UT Religiosus Societatis JESU necessariam in via spirituali instructionem à DEO obtineat, ut caveat peccata, ut superet tentationes, ut in exercitio virtutum proficiat, necesse est, ut juxta Regulam primam Cōmunium, definitum meditationi & orationi tempus, impendat cum omni diligentia in Domino. Hæc fuerunt puncta prioris Exhortationis; in præsenti prosequar eandem materiam.

§. 2. Per orationem familiariter agimus cum DEO, & cum illo unimur.

Primum punctum sit hoc. Unio & familiaritas cum DEO, quæ est finis vitæ spiritualis, pendet ab oratione nostra; ad cujus dignitatem pertinet, quòd eâ mediante, cum divina Majestate, quæ lucem inhabitat inaccessibilem, familiaritatem, & peculiare cōmercium habeamus cum DEO. D. Chrysost. t. 1. hom. 68. *Iam verò DEI benignitatem quis non admiretur, quis non suspiciat, cùm tantum honorem hominibus deferat, ut orantes consuetudine sua dignetur. Etenim revera orationis tempore cum DEO colloquimur.* Quis quæso cum aliquo Rege familiariter agit & colloquitur; cuinam Princeps aliquis amicus & familiaris est, cui non ab eodem Rege vel Principe magni & peculiares exhibeantur favores, & gratiæ? Fieri omnino longè difficiliùs potest, ut qui supplices ad DEUM accedunt, & ad colloquium ejus admittuntur, non magna nanciscantur beneficia. Quantum proinde sit, hominem in divinum colloquium venire, nemo est, qui nesciat. Tantam dignitatem quis verbis assequatur? *Si ii,* (ita pergit S. Chrysostomus,) *qui sapientibus hominibus familiariter*

riter utuntur, ex assiduâ consuetudine illorum prudentiæ participes fiunt celeriter; quid de iis dicendum est, qui divinâ consuetudine fruuntur, & cum DEO ipso colloquuntur. Bellovacensis: Multùm gaudet pauper homuncio, quando potest loqui cum Principe; solus cum solo, & de magnis negotiis secundùm desideria cordis sui. Quantò magis nos vermiculi, vel pulvis & cinis, ut Abraham dixit, gaudere debemus, quòd per orationem cum DEO tam familiariter agere possimus, secundùm desideria cordis. S. Ephrem de orando DEO: *Oratio est colloquium cum DEO, par cum Angelis honor.* Honorificentissimè dicitur de S. Michaële Arch. quòd assistat ante Dominum, *habens thuribulum aureum, cum suavissimo incenso*: & quantus nobis vermiculis exhibetur honor, dum, quoties oramus, ad idem munus & officium admittimur!

Redeo ad S. Chrysostomi discursum: Considera, quanta tibi, concessa est felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari, §. 3. *Prosecutio.* cum DEO, cum Christo miscere colloquia; optare quod velis, quod desideras postulare. Bellovacensis sæpiùs cit. Honorabile est officium orandi, quia qui orat, cum DEO loquitur: magnus honor est, loqui frequenter cum magno aliquo Principe, major cum Rege, multò fortius cum Rege Regum. Magna est orationis dignitas, quia ipse DEUS, & tota curia cœlestis, intenta est audire orationes nostras, & delectantur in eis. Oculi Domini super justos ejus, & aures ejus in preces eorum. Ubi S. Jo. Damasc. Quò fit, ut Patres, hominis cum DEO conjunctionem, orationem esse definiant, eamque Angelorum opus, ac futuræ lætitiæ prældium appellent; siquidem in hoc potiùs, quàm in ullis aliis rebus situm esse cœlorum regnum censent, ut ad SS. Trinitatem appropinquet, eamque contempletur. Quam quidem ad rem, cùm precandi assiduitas mentem velut manu ducat, non abs re, beatitudinis illius prældium, ac veluti effigies quædam appellata est.

P. Bartolus in Vita S. Ignatii satis describere non potest unionem & familiaritatem, quam habuit cum DEO. Avulsum & liberum à creaturis habebat pectus, unum amans & appetens DEUM, & in eo uno, universa. Nihil erat in humanis, cujus voluptate aut desiderio tangeretur; & perinde habebat, iis prorsus carere, quàm illis §. 4. *Quàm familiaris & unitus DEO fuerit S. Ignatius, mediante oratione.*

ne, ita & homini Christiano, multò magis Religioso, absque ora- „
tionis munimine aliquid agere non licet. Egredientem igitur de „
hospitio, armet oratio; regredientem de platea comitetur; cum „
ambulante ambulet; cum operante collaboret; nec priùs corpus- „
culum requiescat in strato, quàm anima precibus reficiatur. „ Pul-
chrè S. Bernardus ser. 5. de quadrag. Qui sumus nos, aut quæ forti- „
tudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus? hoc „
est, quod quærit DEUS, ut videntes defectum nostrum, & quod non „
est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam totâ humilitate „
curramus. Propterea rogo vos fratres, ut semper ad manum ha- „
beatis tutissimum orationis refugium.

Placet mihi simile, quod lego apud S. Chrysost. t. 1. hom. 68. *Quòd si quis animi nervos appellaverit preces, mihi profectò verum dicere videtur; etenim ut corpus nervorum beneficio constat, currit, stat, vivit, compactumque est, iisque incisis omnes corporis numeri dissolvuntur; sic animi per sanctas preces & conglutinantur, & constant, cursumque habent pietatis facilem, & jucundum.* Similem comparationem inter cibum & orationem instituit S. Ambrosius l. 2. de Abel & Cain, c. 6. *Corporis virtus exercitatione augetur frequenti; at inexercitata minuitur & labitur; similiter animæ fortitudo exercitationis assiduitate solidatur, ut labor ipse disciplina sit, non oneri futurus, sed usui. Hunc cibum menti nostræ deferamus, qui multâ attritus meditatione, ac politus, cor hominis sicut cæleste manna confirmet.* S. Bonav. ex S. Aug. *Sicut carnalibus cibis alitur homo exterior, sic devotis orationibus homo interior pascitur & nutritur.* S. Chrysost. *Ampliùs quàm panis alit, ampliùs medetur, quàm pharmacum.* S. Jo. Climacus orationem vocat, *Nutrimentum animæ.* Repeto ex his superiores consequentias, v. g. opus est nobis oratione, &c. vide §. 5.

§. 6. *Simile S. Chrysost. & S. Ambrosii*

Placet mihi quoque aliud simile, & pulcher discursus ex eodem S. Chrysostomo, hom. 67. ib. Nos verò decet, in precibus perpetuò vivere; ita enim licebit nobis vitam hominibus dignam a- „
gere. Nam quicunque DEUM non precatur assiduè, neque divino „
colloquio frui cupit, mortuus est, & animâ sensuq; penitus caret; „
illud enim maximum stultitiæ, & stuporis argumentum, si pre- „
catio non amatur, si non animæ mors esse existimatur, DEUM „

§. 7. *Aliud S. Chrysost.*

precando non venerari. Ut enim corpus hoc nostrum, cùm animus abest, mortuum est, & fœtidum, ita nisi animus ad deprecationem se excitat, mortuus est, miser & fœtidus. Atqui quâvis morte acerbius putandum esse, precatione spoliari, Daniel nos docuit, qui mori maluit, quàm tribus diebus à precibus retardari. Hom.68. Si te ipsum precatione spoliaveris, perinde feceris, acsi piscem ex aquis extraxeris, ut enim hic aquâ vivit, sic tu precationibus.

§.8. *In periculis hostium est fugiendum est ad oratio[n]e[m]: exemplo Juditha.* Quod initio hujus puncti obiter insinuavi, in gravibus periculis nobis confugiendum esse ad orationem, nos docuit generosa heroina Juditha; cùm enim Bethulia gravi obsidione cincta, ad extrema redacta hostium potestati se se dedere decrevisset, ipsa consilio huic se se opponens, mirabili modo potentem hostem debellare cogitavit. Sed ad quodnam se se contulit armamentarium? c.9.v.31. *Ingressa est oratorium suum*; quænam petiit arma? hoc petiit: *Nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum DEUM nostrum.* Ita Judith (S. Aug. ser.28. de temp.) *Orationis arte, arma victricia fabricavit, quibus contra hostem confligeret, ut pavescentes viros fœmina vindicaret. Ubi enim assiduis orationibus pulsatur cœlum, potentia semper calcatur armorum.* Quod infelix Holofernes, fœminæ manu decollatus, fuit expertus. Principium, progressus & finis tam insignis victoriæ, à Juditha reportata, fuit oratio, prout ex historiæ decursu liquidè videre licet.

§.9. *Estheris.* Enimverò totius populi Israëlitici exterminium & strages, operâ scelestissimi Aman conclamata & publicata fuerat, quando Mardochæus pro populo suo sollicitus, Esther Reginam interposuit; quæ, licèt aliud sub pœnâ capitis prohibitum esset, ne quis non vocatus ad Regem accederet, nihilominus audacter, & confidenter regium penetrale ingressa, condemnationis, & latæ sententiæ revocationem, nec non optimè meritum persecutionis supplicium facillimè obtinuit. Sed antequam Regem accessit, dixit Mardochæo, c 4.v.16. *Vade, & congrega omnes Judæos, quos in Susan repereris, & orate pro me.*

§.10. *Et Judæ Machabæi.* Cùm Rex Antiochus l.1. Mach. c.3.v.57. ingentem exercitum ad desolandam Jerosolymam congregasset, Judas Machabæus suos anima-

animavit, ne hostium multitudinem timerent, sed potiùs in DEI auxilium per ferventem orationem animosè confiderent. *Vt essent parati ad prælium, & ut orarent.* Pugnarunt, vicerunt, hostem profligarunt, *Et facta est salus magna in Israël in die illa.* D.Chrysost. ser. de Moyse: *Quantò purior, frequentiorq́, fuerit celebrata oratio, tantò celerior veniet inimici vindicta. Hostis, dum oras, premitur: dum cessas, erigitur.*

Sed dum in similibus hostium periculis, sive animam, sive corpus concernant, nos videmus constitutos, reflectere nos debemus, an fortassis justus DEUS belli & hostium furore nos puniat, ob iram, quam ob commissa scelera contra nos concepit; quam iram ut placemus, efficacius remediũ non habemus, quàm ut oremus. *Oratio divinæ Iustitiæ ligat manus.* B.Laur. Justin. de orat. c. 2. *Oratio DEVM mitigat, & velut quoddam scutum, ab ira DEI nos protegit. Nam oratio posita est, per quam ira DEI suspenditur, vindicta differtur, venia procuratur.* S.Bonav. *Est oratio similis scuto, quod divinæ indignationi debemus opponere; nam sicut prohibet ictum lanceæ, vel sagittæ, sic oratio servat à lancea, vel à sagitta sententiæ iræ DEI. Vnde dicitur de Aaron, quòd proferens scutum orationis, restiterit iræ DEI.* Quando l. 2. Reg. c. 24. v. 16. *Angelus evaginato gladio iræ DEI Ierosolymam incepit percutere peste, - mox misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum, sufficit nunc, contine manum tuam.* Quis DEUM tam subito placavit? David, cernens hunc Angelum, confugit ad orationem, *& obtulit holocausta pacifica,* (hoc est, humilem & ferventem orationem,) *& propitiatus est Dominus.* Ps. 105. v. 23. ait Psaltes: *Dixit, ut disperderet eos; si non Moyses electus ejus stetisset in conspectu ejus, ut* (orando) *averteret iram ejus, ne disperderet eos.* Vide adhuc p. locum de Moyse in Mansio, in Tit. Oratio, f. 768.

§. 11. Oratio DEVM iratum placat.

Unde fit, hanc pœnam à DEO inflictam esse gravissimam, quando iratus facit, ut non oremus, ut de DEO per orationem placando, non cogitemus. Ecquis enim tum iratum DEUM placabit? quis convertet ad misericordiam? Pulchrè S.Hier. l. 2. in Jer. c. 7. super illa verba: *Tu ergo noli orare pro populo hoc,* ita scribit: *Ne videatur rogans Poëta non impetrare, quod postulat, præcipit DEVS, ne pro populo peccatore & nullam agente pœnitentiã deprecetur. Quòd autem dicit, Et non*

§. 12. Graviter DEVS nos punit, dum facit, ut non oremus.

jus puncti propositionem Mansius sic format, *quòd oratio nobis aperiat cælum in terra*; de quo vide fol.777.Tit.Oratio.

EXHORTATIO III.
DE MEDITATIONE ET ORATIONE.

Singuli præfinitum sibi tempus, - orationi, meditationi, - impendant, cum omni diligentia in Domino, Reg. 1. com.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AGit de duabus perfectæ orationis qualitatibus. 1. Ut sit pura & munda, impolluta à peccatis. 2. Ut ejus soror & comes sit mortificatio.

§. *1. Propositio.*

§.*2. Vt oratio DEO sit acceptabilis, requiritur puritas conscientiæ.*

§.*3. Quare altare incensi formatum fuerit ex auro purissimo.*

§.*4. Elegans descriptio thuribuli aurei, per quod repræsentatur oratio.*

§. *5. Oratio instar fumi incensi fugat peccata, & sanat animæ vulnera, & purificat.*

§. *6. Item lætificat animam electam, dummodo aliquas habeat proprietates.*

§.*7. Conglobata eorum repetitio, quæ hactenus dicta sunt.*

§. *8. Peccata venialia enervant efficaciam orationis.*

§. *9. Itaq; orantis anima ab his sordibus purgari debet, & mundari.*

§.*10. Orationis soror & comes debet esse continua mortificatio.*

§.*11. Quod declaratur variis similibus.*

SCire & cognoscere dignitatem, valorem, & eximios fructus Orationis, de quibus hactenus in binis egi Exhortationibus, non est satis. Scire quoque & cognoscere oportet, qualis illa esse debeat, vel quales exigat proprietates, ut DEO grata, & nobis sit proficua. Vel, ut juxta mentem S. P. N. Ignatii de nobis dici possit, quòd præfinitum meditationi & orationi tempus impendamus cum omni diligentia in Domino. *§. 1. Propositio.*

Hæc diligentia exigit inprimis, ut simus memores moniti, quod nobis reliquit B. Laur. Just. de orat. c. 3. *Accedere volentes coram terre-* *§. 2. Vt oratio DEO sit*

ſunt orationes Sanctorum. Item cap.8.v.3. ubi *Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureũ, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium, ſuper altare aureum, quod eſt ante thronũ DEI. Et aſcendit fumus de orationibus*. Omnia, quorum fit mentio, Angelus, altare, aurum, incenſum, Sancti, thronus DEI, cytharæ, phialæ, & præcipuè Agnus, cujus in ſimilibus viſionibus expreſſa fit mentio, & roſeus ejuſdem ſanguis, denotant puritatem illius, qui coram conſpectu DEI, eidem preces & orationes vult offerre. Orando aſſumit homo officium Angelorum, æquum eſt, ut Angelicâ puritate id faciat.

§. 4. *Elegans deſcriptio aurei thuribuli, per quod oratio repræſentatur.*

Non poſſum explicationẽ, quam ſuper hunc locum affert Bellovacenſis, ſilere: Thuribulũ iſtud eſt cor devotum, inferiùs clau-„ ſum ad terram, ſuperiùs apertũ ad cœleſtia. Carbonibus ardenti-„ bus plenum, id eſt, fervidis affectionibus inflamatum, ſuper quos „ carbones imponendum eſt incenſum, id eſt, ſuper affectiones ar-„ dentes, mundanda eſt oratio. „ Hoc autem thuribulum dicitur *aureum*, quia hæc omnia debent ex charitate procedere, quæ per au-„ rum deſignatur. Charitas autem expellit peccatum. Et quia talis oratio eſt multum grata DEO, ideo ſequitur, & aſcendit fumus incenſorum de manu Angeli coram Deo. Fumus iſte extricat omne genus dæmoniorum, Tob.6. Unde Moyſes per orationem abſtulit ſerpentes, Num.21. *Ora pro nobis, ut tollat DEUS à nobis ſerpentes, oravitq́; Moyſes pro populo.* Serpentes venenoſi dici poſſunt dæmones, qui per orationis efficaciam fugantur: Serpentes dici poſſunt inordinati affectus & concupiſcentiæ, quæ ante & per orationem debent occidi & mortificari. Serpentes dici poſſunt peccata quævis venialia, (peccatum mortale eſt venenoſus draco) à quibus ante & per orationem cor orantis debet mundari.

§. 5. *Oratio inſtar fumi incenſi fugat peccata, & ſanat animæ vulnera, & purificat.*

Hic fumus incenſi, ſive puræ & immaculatæ orationis, aliam quoque habet efficaciam, ut ſanet infirmitates animæ. Heſychius: *Uti enim Medici eo contra varios morbos uti ſolent, oculorumq́; ægritudines curare, ſiccare catharros, & vulnera. Hoc eodem modo oratio plurima operatur. Hæc quippe maximè animæ paſſiones ſanat; hæc intelligibilium oculorum ſanant vulnera. Vadam ad montem myrrhæ*, inquit Sponſa Cant.4. v.6. *& ad collem thuris*; & cœleſtis Sponſus ſtatim

non ſine myſterio de anima electa ſubdit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; quia ubicunque oratio per incenſum ſignificata, & myrrhâ mortificationis conjuncta locum habet, anima confeſtim efficitur pulchra, pura & immaculata. Gillibertus Abb. ſer. 28. in Cant. *Iure tota pulchra vocatur, & ſine macula, quam orationis ardor incanduit. Tota pulchra es, maximè horâ orationis, horâ incenſi*; cujus natura ea eſt, ut in altum ſe de humilibus extollat, ſpirans optimè, & ſe ſe nobis in ſenſum immittat, cum mira quadam ſuavitate, quâ DEUS & Angeli, & nos ipſi oblectamur. Quis ex Vobis eſt, qui ſub oratione & meditatione, non ſæpiùs expertus ſit conſcientiæ bonæ & mundæ oblectationem? quis ex nobis meditatur vel orat corde mundo, puris manibus, & ardenter, qui non guſtet ſaporem caſtitatis, humilitatis, charitatis, &c. Certè DEUS talia promiſit pſ. 59. v. 6. *Filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, adducam in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*, Joan. 16. v. 24. *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.*

§. 6. *Item lætificat animam electam, dummodo aliquas habeat proprietates.*

De Sponſa, ſive de anima ſancta, de qua Sponſus quærit: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus?* ait D. Greg. M. l. 2. in Ezech. ho. 22. *Sancta quippe Electorum Eccleſia* (vel quævis anima electa) *cùm ab hoc mundo in ſanctis precibus ardenti amore ſe erigit, per deſertum, quod deſerit, aſcendit. Qualiter verò aſcendat, adjungit: ſicut virgula fumi ex aromatibus: qui fumus naſcitur de incenſo, de quo Pſalmiſta ait: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum.* Aſcendit, quia dum in oratione ſola cœleſtia poſtulat, ſecreta progreditur, uſque ad montem ſanctum DEI, in quo lætificantur animæ ſanctæ. Sed cupio nos eſſe memores conſilii, quod S. Bernardinus nobis ſuggerit t. 4. in ſer. 4. Cin. *Niſi oratio ponatur ſuper igne Crucifixi, nil prodeſt, quia ignis eſt Chriſtus. Vnde, ſi vis facere orationem, mentalem, vel vocálem, pone in igne, qui eſt in thuribulo Crucis Chriſti, dicens ſicut Eccleſia in fine orationum, per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum Filium tuum, & iſto modo omnem orationem DEVS acceptat.* Talis oratio, ardens igne Crucifixi, *replet mentem exultatione*, (B. Laur. Juſt.) *animam illuſtrat ſupernis ſplendoribus, & complet viſcera ſuavitate melliflua. Item: Cor illuminat, devotionem parit, deprecantem replet dulcedine.* Orig. *Orationes ex corde puro, & conſcientia bona, DEVS verè ſuſcipit ut fragrantiam ſuavitatis.*

Ex

§. 7. *Conglobata repetitio eorum, quæ hactenus dicta sunt.*

Ex his omnibus, quæ dixi de aureo altari, de aureis candelabris, de aureis phialis, de aureo thuribulo, de incenso, de viginti quatuor Senioribus, de Angelis, de throno Agni, de divina Majestate, de Agni Vulneribus, & effuso sanguine, de suavitate odoris, de ardentibus carbonibus, de charitate, de fumo orationum, de serpentum internecione, de dæmonum fuga, de sanatione vulnerũ, de medela morborũ, de monte myrrhæ, de colle thuris, de Sponsæ pulchritudine, de orationis candore, ejusdem ardore, de igne Crucifixi, de thuribulo cordis JESU; de lætificatione, exultatione, gaudio, de solatiis, quibus recreatur orantis anima; hæc inquam omnia, cogitate esse signa, ex quibus colligere possumus, an meditationes & orationes nostras peragamus, sicut decet. Verbo, oratio nostra debet esse pura & munda. *Itaque dum oramus*, (S. Ephrem *sic nosmetipsos consideremus, tanquam præsentatos Domino Majestatis.* (Ecce præludia, quæ suis Meditationibus præponit S. Ignatius.) *Intelligamus, coram quo constituti simus; sicut enim Angeli magno cum metu & tremore adstant Creatori, hymnum ei decantantes, ita & nos debemus tempore orationis atque psalmodiæ, corde puro, & cum reverentia atque timore coram DEO consistere.*

§. 8. *Peccata venialia enervant efficaciam orationis.*

Sed ex his omnibus sequitur & aliud, nimirum peccata venialia, præsertim actualia, deliberata, voluntaria, malâ consuetudine roborata, & ob ardorum passionem vegeta & robusta; idem dicendum est de passionibus inordinatis, quæ in anima firmas posuerunt rationes; talia inquam, sunt maculæ, quæ aureum altare cordis, quæ aureas phialas, &c. maculant & polluunt; tales imperfectiones affundunt aquam, quâ ardor charitatis extinguitur; sunt venenum, quod inficit suavissimum balsamum orationis; sunt absynthium, sive fel, quod corrumpit suavissimum mel, & manna orationis.

§. 9. *Itaq; orantis anima ab his sordibus purgari & mundari debet.*

Itaque audiendus est S. Greg. M. l. 10. moral. c. 11. qui ait: *Semper ante orationem sollicitè debemus circumspicere, an quid in nobis sit, quod sub oratione nostra possit reprobari; talemq; se mens exhibere festinet, qualis apparere Iudici, in ipso orationis tempore exoptat.* Cùm mentem reatus conscientiæ accusat, & macula inquinat, spei fiducia protinus frangitur. Diffidit namque accipere se posse, quod appetit, &c. præsertim si meminerit S. Joan. dixisse ep. 1. c. 3. v. 21. *Charissimi, si cor*

nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM, & quidquid petierimus, accipiemus, quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. Orationes puræ esse non possunt, cùm fœda est anima. S. Bonav. Anima est purganda ab omni illicita „ delectatione cordis; nunquam enim bene orat, qui carnalia cogi-„ tat, sive, quem caro delectat; unde nec impetrat à DEO, quod postu-„ lat. Cùm multiplicaveritis petitiones vestras, non exaudiam; ma-„ nus enim vestræ sanguine plenæ sunt; In sanguine carnalem dele-„ ctationem intellige. In sanguine, iram intellige, &c. „ Pulchra est connexio inter vocem & faciem, cujus Sponsus facit mentionem, cùm Cant. 2. v. 14. ait ad Sponsam: *Ostende mihi faciem tuam, & sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Ubi notandum est, quòd ad percipiendam suavitatẽ vocis, faciei quoq; dignitatem præexigat. S. Bonav. ser. 5. de Pent. *Facies animæ conscientia est; tua ergo vox in orando, & laudando dulcis est in auribus DEI, si facies decora est.* Dulcedo talis vocis orantis & psallentis resonat, & ascendit in altum, usque ad delitias paradisi. *Econtra verò non est speciosa laus in ore peccatoris, qui habitat in sepulchris. Cujus enim vita exasperat Deum, lingua non delectat, sed terribiliter increpatur à voce divina: Quare tu enarras justitias meas?* S. Bern. ser. 49. de modo bene viv. Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc in „ eo est ferrum; ita nihil proficit oratio illius, qui odium habet in „ corde. (Fiat pulchra inductio per alia peccata venialia, & immortificatas passiones.)

§. 10. *Orationis soror & comes debet esse continua mortificatio.*

Talis conscientiæ puritas, tam venusta animæ facies ad orationem requisita, acquiri & conservari non potest, nisi per exercitium mortificationis. Ob quam causam Sponsus ait, priùs se iturum ad collem myrrhę, tum ad montem thuris. Ut sciamus orantem ad devotam orationem disponi per mortificationẽ. S. Greg. M. *Eos namq; DEUS familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum, ad alta proficere, & per mundas & utiles orationes, suaviter redolere perspicit.* Hugo Card. *Ad montem myrrhæ vadunt, qui carnem suam mortificant.* Multò magis hæc dicenda sunt de orante, qui montem Calvariæ ascendunt, ut ibi cum Christo mẽbra iniquitatis affigant cruci. O si quotidie sub præfinita hora orationis matutinæ, unum saltem

qua-

quadrantẽ huic impenderemus exercitio, meditando, cogitando, quomodo pro reliquo die in omni loco, tempore, negotio, occupatione, conversatione, reliquisq; actionibus memores esse velimus mortificationis. Hoc juge & continuum studium mortificationis est optima dispositio & præparatio ad sanctam orationem. Cùm S. Ignatius de quodam audiret, quòd vir esset magnæ orationis, subjunxit Vir sapientissimus: *Ergo & vir est magnæ mortificationis, maximè illius, quæ in voluntatis propriæ abnegatione consistit. Mortificatio enim*(Alvarez de Paz) *dum peccata vitat, & ab illis abstinet, illicitaque fugit, lucem ad meditandũ & contemplandum impetrat; nam Isaias ait: Quem docebit sapientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Ribadinira l.4.c.5. Vitæ S.Fr.Borg. *Optimo jure suspectam habuêre sancti Patres orationẽ, cui soror & comes non adest continua mortificatio. Quando enim vivis adhuc desideriis corporis, nec affectibus debellatis, oratio hostiũ suorũ erit triumphatrix.*

In hoc discursu pulchra similia mihi suggerunt SS. Patres. Lignum aridum, omniq; humore liberum, aptum est, ut ab igne consumatur; sic mens ab amore temporalium mortificatione purgata, disposita est, ut cœlesti illustratione & calore formetur. Certè in rebus naturalibus non est difficultas, ut forma introducatur; sed in disponendo subjecto ad illam recipiendam, quot non conatus facit ignis in ligno viridi, ut humilitatem absorbeat: quantus fumus? &c. sed postquam lignum dispositum est, momento ignis ardet. (Fiat pulchra applicatio.) Orig. *Maxima sensibus nostris inest capacitas, cùm mortificatio Christi circumfertur in corpore nostro mortali.* Deinde, sicut in membrana pergamena, nisi bene rasa & expolita fuerit, scribi nequit, ita nisi cor ab affectibus inordinatis purificatũ fuerit, ad recipiendum in se characteres, id est, illustrationes, lumina, sanctasque inspirationes, aptum non erit. Similiter, quando aqua turbida est, intra se alienas effigies non recipit: ita quoque cor orantis, nisi mundum & tranquillum fuerit, veluti lucida crystallus, DEUM, & alta fidei mysteria, clarè non videbit. Matt.5.v.8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ubi S. Aug. *DEUM vis videre? priùs ergo cogita de corde mundando, & quidquid ibi vides, quod DEO displicet, tolle.* Præterea, sicut oculi corporis à pulveris atomo obtene-

§. 11. *Quod declaratur variis similibus.*

brati, vel obfuſcati, ab alio quodam humore noxio, ad diſcernẽdos colores non ſunt idonei; ita quoque ſpiritualis mentis noſtræ, & intellectus oculi, niſi per mortificationem tollantur tales atomi, & exſiccentur tales humores, in meditationibus & orationibus noſtris parum illuminabimur.

Finiam exhortationem eleganti dicto Cardani lib. 13. de ſubtil. Si roſa ſpinifera non ſit, nec etiam erit odorifera., Idem de oratione dicere poſſumus: niſi floſculus tam pulcher, qualis eſt oratio, armetur ſpinis mortificationis, non erit odorifera. Idem dic de incenſo, non exhalabit fragrantiam, niſi contritum, & ſuper carbones concrematum fuerit. Sicut etiam ad elaborandum ferrum non ſufficit admoveri ignem, ut in aliquam figuram formetur; niſi inſuper malleorum ictibus contundatur; ita quoque cor noſtrum per orationis calorem emolliri non ſufficit, niſi adhibeatur malleus mortificationis ad elaborandam animam, tollendo ab eo qualitates noxias, quas habet, ad figurandum virtutes, quibus indiget. Verbo, Orationis ſoror & comes debet eſſe mortificatio.

EXHORTATIO IV.

DE MEDITATIONE ET ORATIONE.

Singuli præfinitum ſibi tempus, orationi, meditationi, impendant, cum omni diligentia in Domino, Reg. 1. com.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

EXigit ulteriùs ad perfectam orationem, ut ſit attenta, humilis, charitate fervida, continua, conſtans & perſeverans.

§. 1. *Cùm oratio ſit negotium magni momenti, meritò ſumus ſolliciti, ut ſciamus, qualis eſſe debeat oratio noſtra.*

§. 2. *Ad orationem requiritur attentio.*

§. 3. *Quæ triplex eſt.*

§. 4. *Et declaratur pulchro ſimili ex S. Ambroſio.*

§. 5. *Exponitur ult... requiſita attentio.*

§. 6. *Proſecutio ex SS. Patribus.*

§. 7. *Oratio debet eſſe humilis.*

§. 8. *Exemplo Chriſti D.*

§. 9. *Orationes & meditationes peragendæ ſunt ex motivo divini amoris.*

§. 10. *Proſecutio.*

§. 11. *Oratio debet eſſe continua.*

§. 12. *Ardens & perſeverans.*

Reve-

§. 1. *Cùm oratio sit negotium magni momenti, meritò summè solliciti, ut sciamus, qualis esse debeat oratio nostra.*

REverendi Patres, ne miremini, me iterum in quarta Exhortatione velle agere de oratione; cùm reverà oratio sit negotiũ magni momenti, vel pretiosa occupatio; Ita sensit sapientissimus Imperator Carolus V. de quo P. Rho in hist. virt. l. 3. c. 8. §. 1. refert, *Quòd magni Regis Legato per Internuntium urgenti, ut ad alloquium admitteretur, res magni momenti afferre se*, responderit, *Nec ego quidem nunc leviter sum occupatus, qui cum DEO ago*. Si idem nobis sit sensus, conabimur sine dubio, ut juxta Regulam à S. P. N. Ignatio nobis præscriptam, præfinitum meditationi & orationi tempus, cum omni diligentia quotidie impendamus in Domino, & solicitè inquiramus, quomodo quotidie orationem nostram peragamus. Blosius de S. Gertrude scribit: *Virgo hæc aliquando in spiritu intellexit, verba orationis, cum omni diligentia, seu sancta devotione fusa, esse veluti splendidissimas gemmas, vel vernantissimos flores*; At verba orationis negligentiùs, & ex consuetudine, sine interna devotione expleta, esse tanquam gemmas & flores obscuriores. Ita aliquando S. Bernardus cum suis recitans Matutinũ, in choro vidit Angelos notantes & scribentes singula, quæ Religiosi orabant, & quomodo oratio ab eis perageretur: quorundam verba, literis aureis, aliorum argenteis, aliorum atramento; plurium etiam aquâ in tabula scribentes, juxta intentionem & spiritum, quo singuli orabant. Ut nostræ meditationes & orationes sint lucidæ gemæ, vel vernantes rosæ, vel ut ab Angelis notentur literis aureis, dixi nuper, debere illas offerri corde mundo, & conscientiâ purâ. Dixi, orationis nostræ sororem & comitẽ debere esse mortificationem, supersunt conditiones & circumstantiæ, vel qualitates adhuc plures; aliquas præcipuas Vobis proponam hâc Exhortatione.

§. 2. *Ad orationem requiritur attentio.*

Ut aliqua meditatio vel oratio sit gemma, vel rosa, & ab Angelis aureis mereatur notari characteribus, exigit insignem attentionem, & seriam ad tanti momenti negotiũ, ad tam pretiosam & Angelicam occupationem, totius hominis interioris & exterioris applicationem. Ideo Psaltes 46. v. 8. nos monet, ut *psallamus Deo nostro, ut psallamus Regi nostro, ut psallamus sapienter*. His enim verbis nobis cōmendat intelligentiam, attentionem, applicationem mentis, & devotionem interiorem; quasi diceret, (ut interpretatur Dionysius

Carthuſ.) *cum interiori mentis ſapore, cordialiq́; guſtu, Deum laudate, & orate, non cum vago & arido corde; quatenus ſicut guſtus corporis ſingulas alimenti particulas diſcernit,* (*advertite pulchram ſimilitudinem,*) *ſapit ac dirigit; ita interior animæ guſtus, ſingula verba Spiritus ſancti attendat, guſtet, atque revolvat. Hoc modo pſallere, eſt verè & ſapienter pſallere, quoniã ſapientia dicitur, quaſi ſapida ſcientia. Pſallam & intelligam*, ait David, *qui intellectus ſine attentione queri non poteſt.*

§. 3. *Quæ triplex eſt.* Bene autem notavit S. Bernardinus, eſſe triplicem in oratione attentionem. *Prima ad verbum. Secunda ad ſenſum. Tertia ad objectũ.* Prima attentio procuranda eſt ad verbum, id eſt, ad vocalem prolationem, & formationem verborũ, ſcilicet in illis erremus, & ſanctiſſima verba corruptè proferamus. Secunda attentio debet eſſe ad verborum ſenſum: quæ duplex attentio orationem vocalem concernit; tertia verò mentalem; quæ debet eſſe ad objectum, quod eſt DEUS, quem oramus, & ad rem, quam oramus vel meditamur.

§. 4. *Et declaratur pulchro ſimili ex S. Ambroſio.* Hanc requiſitam attentionem eleganti ſimili declarat S. Ambroſius l. 2. de Abel & Cain, cap. 6. *Hunc cibum menti noſtræ deferamus, qui multâ attritus meditatione, ac politus cor hominis ſicut illud cæleſte manna confirmet. Quod non otioſè tritum ac politum accipimus, eò quòd cæleſtium Scripturarum alloquia* (& fidei, vel vitæ Chriſti myſteria) *diu terere debemus, toto animo & corpore verſantes, ut ſuccus ille ſpiritualis cibi in omnes ſe venas animi diffundat. Vt ita* (S. Bern.) *trajiciatur in viſcera, ut tranſeat in affectiones tuas, & in mores tuos.* Ut ita attenta meditatio, ex mente S. Auguſtini, *ſit cogitatio frequẽs, curioſa, & ſagax, ut obſcura inveſtiget, & occulta ad notitiam trahat;* talis cogitatio parit ſcientiam, quâ homo ad ſui notitiam illuſtratur; deinde compunctionem, quando ex conſideratione malorum ſuorum, cor intenſo dolore tangitur, &c. quæ omnia aliorum myſteriorum meditationi facilè applicari poſſunt, ut intelligamus, qualis ad orationem requiratur attentio; qualem videtur habuiſſe Pſaltes, cùm dicit pſ. 76. 6. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus ſum nocte, cum corde meo.* Ita, *exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Iſaias ait c. 38. v. 15. *Recogitaſſe ſe omnes annos in amaritudine animæ ſuæ; & ideo gloriatur, Deum eruiſſe animam ſuam, ut non periret in æternum.*

De

De hac attentione videtur fuisse sollicitus S. Bern. cùm dixit l. de dilig. DEO. *Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite, ascendamus ad montem, ubi Dominus videt, & videtur. Ante montem orationis ascendamus, alligandus est asinus;* alligandæ sunt omnes vanæ cogitationes, curæ, sollicitudines, anxietates, &c. ut soli, liberiùs orationi insistamus, & mentẽ liberam ad cœlestia evehamus. In particulari monet S. Bonav. ante & sub oratione purgandam esse animã à tribus. Primò à mentis elatione. Secundò, à carnis delectatione. Tertiò, ab exteriori occupatione. Nunquam enim poterit oratio DEO esse grata, si oranti adfuerit elatio mentis, si delectatio carnis, si cogitatio rei familiaris, & sæcularis. S. Bern. *Bona est oratio, quando animũ superfluæ cogitationes non conturbant. Longè quippe à Deo animus, qui in oratione cogitationibus sæculi est occupatus. Si mens totam domum, vel etiam forum pervagetur.* §. 5. Exponitur ulteriùs requisita attentio.

Consideret ergo fidelis anima, orationem esse quoddam familiare colloquium cum DEO, (Bellovacensis) *Cogitet ergo, atque perpendat, quàm reverenter, humiliter & attentè debet loqui cum summo Principe, quàm timorati cum summo Iudice, quàm familiariter cũ amico; quàm dulciter cum sponso dulcissimo. Totâ igitur attentione, & toto affectu, & mentis adnisu loquatur homo cũ Deo, sine mentis evagatione.* De S. Seraphico Francisco ait S. Bonav. *Psalmos cum tanta mentis, & spiritus attentione dicebat, quasi Deum præsentem haberet.* S. Ephrem ait: *Cùm in oratione constiteris, coram quo assistas, cognosce. Sitque anima tua, & cor tuum totum cum Deo; hoc est, memoria tota debet esse cum Deo, intellectus totus, voluntas tota, omnes potentiæ totæ cum Deo.* Meditaris fortassis Christum D. pendentẽ de cruce? itaque memoria tua, hoc est, omnes cogitationes tuæ, intellectus tuus, hoc est, omnes discursus tui, toti sint cum Christo crucifixo (hoc modo poterit fieri pulchra inductio per alia mysteria,) & hoc est, orare vel meditari attentè. Agere hîc possem fusè de distractionibus, quæ debitam attentionẽ impediunt, earũq; remediis; verùm propero ad alia, quæ in hac exhortatione Vobis adhuc proponere cogitavi, & monere, §. 6. Prosecutio ex SS. Patribus.

Ut oraturi simus memores verborũ S. Bern. ser. 4. de modis or. *Omnino oportet nos orationis tempore, curiam intrare cœlestem, illam utiq; curiam, in qua Rex Regum stellato sedet solio, circumdante illum innumerabili & ineffabili spirituum cœlestium exercitu. Quantâ ergo cum reverentiâ, quanto timore,* §. 7. Oratio debet esse humilis.

timore, quantâ illuc humilitate accedere debet è palude sua procedens & repens ranuncula vilis? quàm tremebundus, quàm supplex, quàm denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo Majestati gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio justorum & congregatione, assistere poterit miser homo. Ducite in memoriam præludium S. P. N. in exercitiis de peccato, ut tremendo Judici nos sistamus veluti perduelles, ligatos catenis; & intelligere poterimus, quos actus profundæ demissionis in oratione à nobis exigat idem S.P.N. Memores simus dicti S. Chrysost. *Orationis vehiculum esse humilitatem.* Ideo (S. Bernardinus) *debet oratio fieri cum reverentia, reverentia ista est humilitas interior & exterior; utraque exaudibilem reddit orationem.* Juxta illud Eccles.35 v.21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat, & Dominus non elongabit.* S.Bonav. *His duabus alis, miseriâ hominis, & misericordiâ DEI Redemptoris, oratio sublevatur. Cognitâ autem nostrâ miseriâ, necessariò humiliamur, & ita humiliati, cum confidentia per orationem ad DEVM confugere possumus.* Idem: *Habet nescio quid latentis virtutis vox dulcis & humilis, ita ut iratorum impetus frangat, & ad mansuetudinem ducat. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Simili voce, in oratione, facillimè DEUM mitigabimus, & ad misericordiam inclinabimus. S. Bonav. *Dominus plus pensat unam humilem supplicationẽ pœnitentis peccatoris,* (v.g. illam Publicani, DEUS, propitius esto mihi peccatori,) *quàm innumerabiles actiones alicujus justi, de se præsumentis.* S.Vincentius Ferrerius ser.6. in Dom.5. post Trinit. *Cogitate, quando oratis, cum quo loquimini. Humiliate vos, quia quantò humiliùs orabitis, tantò plus oratio ascendet.* S.Bern.ser.4. de quad. *Quæ fidelis & humilis, & fervens oratio fuerit, cælum sine dubio penetrabit; unde certum est, quòd vacua redire non poterit.*

§.8. Exempla Christi D.

Addo unicum huic puncto de requisita ad orationem humilitate; scilicet quæstionem S. Cæsarii Arelat.hom.34. *Quid indigebat Christus, ut taliter supplicaret?* non cupio jam ut cogitetis, quomodo Christus D. oraverit solus in cubiculo; neque quomodo oraverit, quando integras noctes perseveravit in oratione in montibus, (fac similes inductiones,) hoc rogo, ut illũ consideretis, quomodo post institutam SS. Eucharistiã, egrediens è cœnaculo, & scandens collem Oliveti, & ibi toto corpore prostratus, in agone, in sanguineo sudore, oraverit ad DEUM Patrem suum? Perpendite bene omnes humi-

humiliati JESU circumstantias. Sed, indiguitne Christus, ut taliter supplicaret? Respondeo cum citato S. Cæsario: *Non indigebat Christus, sed nobis exemplo suo, orationis remedia præparabat. Ita orat Misericordia, & non ita vult orare Miseria? Ita orat Charitas, & non vult humiliari Iniquitas. - Ita orat Iudex, & non ita vult orare reus & peccator? -- Prostratus in terra ita orat Medicus, & non inclinatur ægrotus. Cùm itaque omnis actio Christi, sit nostra instructio, æquum est, ut exemplo Christi D. oremus humiliter.*

Puritati conscientiæ, mortificationi, attentioni, humilitati, & omnibus aliis requisitis ad perfectionem orationis, sive ad assequendam methodum bene orandi, debet accedere, ut orationem vel meditationem peragamus ex motivo charitatis & amoris erga DEUM. Hoc monet Apostolus, *ut omnia nostra in charitate fiant*. Si omnia, ergo etiam & primo loco oratio. Sanctæ Gertrudi revelavit Christus D. minimas etiam actiones, charitatis sigillo & charactere insignitas, magni esse pretii apud æternum tribunal. Quantò magis erit oratio sigillo hoc insignita. Atque hujus rei ratio ex ipsius charitatis natura petenda est. *Fides enim & spes*, ut notat S. Thom. *etsi in Deum tendant, semper tamen ad nos ipsos, bonumq́; nostrum reflectuntur*; nam ex fide veritatum æternarum cognitio ad nos redit. Ex spe boni alicujus exspectatio animũ delectat & sustinet. Charitate totus homo in DEUM abit, in illo figitur, & tanquam centro suo conquiescit. Hinc fit, ut actio à sola charitate profecta, ut notat Nazianzenus, divinũ quidpiam hauriat, & quodamodo deificetur. Optat proinde S. Chrysost. nos ad omnes omnino actiones hoc Dei placendi desiderium studiosè adferre, & potissimam beatitudinis nostræ in hac vita partem in hoc puncto consistere, hancq́; debere esse omniũ actionum nostrarũ amussim & regulam arbitratur. Quæ potissimùm nobis circa orationes & meditationes nostras, observanda esse judico, ut per charitatẽ reddantur pretiosæ, imò divinæ.

§. 9. *Orationes & meditationes peragendæ sunt ex motivo divini amoris.*

Amoris hujus sub meditatione effectus, S. Theresia exposuit comparatione ejus cum fonte, quem videmus aquam perenniter effundere, & simul arenulas in fervente fundo commovere. Ita contigit animæ in meditatione amore divino accensæ, semper in motu est, & novis ardoribus rapitur ad nova pro amato excogitanda & agenda.

§. 10. *Prosecutio.*

genda. Nunc cœlo empyreo, ubi DEus summis laudibus continuò effertur, nunc similis aviculæ cupit esse, quæ totum orbem circumvolitans, amoris & laudis canticum ubique insonet. Nunc cum S. Augustino instar candelæ ex aromatibus compositæ, quæ referendis DEO gratiis, & laudationibus ac honoribus ingeminandis lentè consumatur; nunc cum S. Gertrude, optanti amoris igne colliquescere, & ad instar liquoris odoriferi affundi ad pedes Christi. quando potero finire exhortationem, si similes amoris affectus sub oratione à S. Ignatio, à S. Francisco, à B. Aloysio, & aliis elicitos? Sufficit mihi modò Vobis insinuasse, orationes & meditationes nostras debere inflammari à flammis divini amoris.

§. 11. *Oratio debet esse continua.*

Ultima perfectæ orationis conditio, sive qualitas & proprietas orationis est, ut sit continua, constans, & perseverans. Testē habeo S. Bonav. *Oratio debet esse continua, ut sicut nunquam deficit pugna, sic nunquam cessemus petere misericordiam. Nunquam miles existens in pugna, deponit arma ante obtentam victoriam. Arma nostra sunt orationes.* Consentit Thomas de Kempis: *Sine intermissione orate.* Quare? *quia ubique sunt tribulationes & tentationes, ubique insidiæ & immissiones per angelos malos: ubique insurgunt prælia multa, intus timores, foris pugnæ. Nulla dies sine labore, nulla absque mortis horrore, &c.* ideoque continua oratio est summè necessaria, contra omnia mundi pericula, tanquam fortis lorica contra hostium jacula. *Qui non orat, non pugnat; & qui viriliter non resistit, citò vincitur, & coronam perdit.* Itaque, &c. Vide hanc materiam fusè & pulchrè tractatam apud Mansium, Tit. *Oratio*, fol. 798.

§. 12. *[illegible] ardens & perseverans.*

Dum toties, & tam seriò Christus D. nobis inculcat, *ut petamus, quæramus, pulsemus,* (Corn. Jans.) *quasi congerie sententiarũ, commendat, fidentem, instantem, & ardentē precationem. Nam petere fiduciam in oratione necessariam significat: quærere verò diligentiam. Pulsare, ardorem & perseverantiam.* S. Vincent. Ferr. ser. 1. Dom. 4. post Pent. *Petite! scilicet ore, & dabitur vobis. Quærite! scilicet corde, & invenietis. Pulsate! scilicet perseveranter.* Pulchrè S. Aug. *Postulasti, & non accepisti? vel quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel destitisti.* Apostoli in oratione manserunt perseverantes, donec descendit super eos Spiritus S. Finio cum Bellovacen-

vacensi: *Ad DEI beneficentiam obtinendam & retinendam, necessaria sunt præsidia sedula & perseverantis longanimis orationis, in quâ tanta sit fides, ut speret anima; tantus amor, ut omnia, quæ petit in oratione, se sentiat obtinere. Tam benigna humilitas, ut in omnibus non suam, sed DEI præoptet fieri voluntatem, habeatq; cordis puritatem & perseverantiam.* Ecce synopsis utriusque ultimæ exhortationis!

DE EXAMINE CONSCIENTIÆ BENE PERAGENDO, EXHORTATIO UNICA.

Singuli præfinitum sibi tempus, suæ conscientiæ bis quotidie examinandæ, impendant cum omni diligentia in Domino, Reg. 1. communis.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit varia, de causis, ob quas S. P. Ignatius sollicitè suis præcepit Examen conscientiæ; de variis eximiis ejus fructibus & effectibus; & de modo illud peragendi.

§. 1. *Quàm circumspectus circa se fuerit S. Ignatius. Vnde utrumque examen conscientiæ nobis præscripsit.*

§. 2. *Examen conscientiæ eò dirigitur, ut homo agnoscat se, qualis sit; præsertim quoad defectus.*

§. 3. *Cum magna sollicitudine, quod similibus declaratur.*

§. 4. *Aliud simile.*

§. 5. *Examen conscientiæ generat magnam sollicitudinem, ut incedamus cautè.*

§. 6. *Exemplo B. Aloysii, & aliorum.*

§. 7. *Examinis conscientiæ varia praconia, fructus & effectus.*

§. 8. *Prosecutio. Miscentur modi, quibus debet peragi exercitium Examinis conscientiæ.*

§. 9. *Continuatur superiorum paragraphorum discursus, de causis, ob quas instituitur examen conscientiæ.*

§. 10. *Insignis modus examinandi conscientiam.*

INter alia, in hoc Viri Religiosi è Soc. JESU consistit perfectio, ut se ipsum semper habeat in oculis, ut se ipsũ severi examinis inspe- *§. 1. Quàm circumspectus circa se fue-*

 ctione

rit S. Ignatium. Unde utrumque examen cōscientiæ nobis præscripsit.

ctione consulat; ad notandum, an fortassis aliquid insit in cogitationibus, in verbis, in factis, quod DEO non satis placeat. quâ in re summopere excellens fuit S.P.N. Ignatius. Nulla illi fluebat hora, quin se se colligeret, & quidquid dictum, actum, cogitatũ, sigillatim ad Lydium lapidẽ vocaret, ad magis placendũ DEO, & ut ita horam sequentẽ majori fervore offerret DEO. In quacunq; anima DEI ardet amor, ibidẽ splendet & magna lux, & in hac, quid DEO placitum, aut secus cernitur; unde magnus oritur ambitus amovendi à se nævum quantumvis levem, (etsi viro sancto nihil sit leve, si DEO displiceat,) & minimã imperfectionem. Itaq; S.P.N. Ignatius, præter hanc sui inspectionẽ, tam crebram & sedulam, duplex prolixiùs quâvis die præscripsit examen, particulare & generale, mediâ die, & vespere ante somnũ peragendũ tanquam potens medium; ad animi scorias brevi tempore absumendas, obtinendamq; puritatem conscientiæ illibatam; si tamen præscriptis ab eo regulis peragatur. De examine generali in hac exhortatione erit mihi sermo, quod S.P.N. non sine gravibus causis nobis præscripsit.

§. 2. Examen conscientiæ eò dirigitur, ut homo agnoscat se, qualis sit; præsertim quoad defectus.

Ex pœnis peccati originalis, una ex præcipuis est, quòd intellectus hominis facilè iis obscuretur tenebris, & ita obfuscetur, & obscuretur, ut errores, defectus & peccata sua non agnoscat, sicut deberet. S. August. *Anima amando se & mundũ, quodammodo perdit se, nec facta sua novit, imò justificat iniquitates suas.* Ideo necessaria est homini lux de cœlo, & à Spiritu S. quâ tenebras discutiat, ostẽdatq; qualis sit, & quantis sordibus interiora scateant, ut horrorem, odiumq; sui concipiat, & ad sanguinem Christi, quo lavetur, convolet, fiatq; in illa, quod idem S. Aug. declarat: *Ostenditur sibi, & displicet sibi; confitetur fœditatẽ, desiderat pulchritudinẽ, & quæ ibat effusa redit confusa.* Nec persistit animus in hac confusione, sed ad tollendam confusionis materiam inardescit; amori enim divino (quo nos omnes flagrare existimo,) proprium est, omne, quod amato displicet, odio prosequi, & confestim collectis viribus in id incumbere, ut longiùs ab amati aspectu citiùs removeatur, & nunquam ampliùs in ejus oculos incurrat. Et quò major amor est, eò vehementius odium exurgit, & eò ardentius propositum emendationis.

§. 3. Cum mag-

Quod libri Ascetici pulchris similibus declarant: *Hortulanum vide,*

vide, qui horti sui pulchritudinem affectat: tribulum unicum, aut herbulam unicam inutilē ferre non potest; manè sub ipsum Solis ortum, ipse hortū ingreditur, areolas attentis oculis examinat; quidquid superfluum aut noxium, evellit. Si talpæ foramen offendit, si nidum nocivorum vermium, continuò ad investigandum illos, necandumq́ue, omne studium & operam confert. Tales hortulanos nos vult esse S. Ignatius, dum tanto studio nobis præscribit examina conscientiæ. Hortus est cujusvis anima; S. verò P. N. adeo amavit cordis puritatem, ut nec minimam spinam in illo debeamus tolerare: itaque necesse est, &c. (fiat pulchra applicatio.)

na sollicitudine, quod similibus declaratur.

§. 4. *Aliud simile.*

Virgo, vel Sponsa, vel Regina aliqua, vestium elegantiæ, corporisq; ornatui valde addicta, si togam pretiosam, quam amat, alicujus culpâ & negligentiâ comaculatam reperiat, in auctorem subitò querelis invehitur, & omni studio nititur, ut macula tollatur. Idem agit amor puritatis conscientiæ; sumus Reginæ & Sponsæ cœlestis sponsi, cui assistimus in vestitu deaurato; in quotidiano examine conscientiæ attendendum nobis est cum omni diligentia, ne vestis tam pretiosa maculetur, & si maculata sit, ut in sanguine Christi abluatur, fiatque pulchrior & pretiosior. Ex quo nascitur in futurū odium erga peccatū infinitū, tanquam rem ingratam & infestā DEO. quod odium, quantumvis magnum in nobis sit, si tamen comparetur cum illo, quo DEus contra peccatū fertur, umbra est, & arenula, cum Oceani vastitate comparata. Quia Filius DEI ex amore infinito, aliena peccata in se suscepit, tam severè illud castigavit, ut Filio unigenito, sanctissimo, innocentissimo non pepercerit, sed atrociter castigaverit. Tale odium debemus concipere in examine conscientiæ adversus quosvis, etiam levissimum peccatū; tantusq; cujusvis culpę horror nobis debet ingenerari, ut malimus mori, quàm rursum peccare; & sic ad DEI similitudinē propè accedimus. S. August. *Odium enim peccatorum nos incipit facere similes DEO, quia hoc odimus, quod odit DEUS;* Itaque ad hoc nos reflectamus, an in examine conscientiæ cordialem concipiamus fugam omnis peccati, & ex hoc odio, ex hac fuga, colligite, an illud bene peragamus.

§. 5. *Examen conscientiæ generae*

Neque sine fructu hoc fiet. Quemadmodum enim delicata Virgo, quæ per viam spinis obsessam, aut lapillis obsitam incedere co-

 gitur,

magnam sollicitudinem, ut incedamus cautè.

gitur, sedulò observat, ubi pedem figat; & dum fortè aliquid pungens offendit, exclamat & dolet: & qui lutulento itinere novis calceis, pretiosisque tibialibus ingreditur, ne luto se aspergat, & commaculet, attentis oculis, & subsaltibus crebris invigilat; ita animus DEO placendi cupiditate inflammatus, loca, occasiones, occursus, familiaritatesque omnes devitat, quibus vel minimam peccati auram, fumumque insufflandum suspicatur: mavultq; hominum linguis, dictisque vapulare, quàm modicâ peccati labe infici, DEIque amantissimos oculos offendere. Hic est eximius fructus peracti examinis conscientiæ, cui S. Ignatius quotidie ante prandium, & vespere ante somnum, cum omni diligentia in Domino, integrum quadrantem nos vult impendere.

§. 6. *Exemplo B. Aloysii, & aliorum*

B. Aloysius Gonzaga, inchoatam narrationem coram magnæ auctoritatis personis, ausus fuit interrumpere, ob umbram tantùm levioris culpæ, quam timebat, ne incurreret. Nec quantumcunque rogatus, sermonẽ prosequebatur. Ex hoc eodem timore, ne folium quidem chartæ, socio mutuum dare voluit, alioquin ad officia charitatis paratissimus. P. Balthasar Alvarez in publico hominũ, fœminarumq; consessu, super imaginẽ B. Virginis extractam ex Breviario, oculos toto tempore defixit, ne aberrantes cõjectu temerario maculam aliquã contraherent, &c. solliciti amoris sunt hi effectus, qui vel minimum nævum NUMI exosum, magno studio, contentioneque fugit, ut divinis oculis, iisque purissimis magis placeat.

§. 7. *Examinis conscientiæ vera præconia, fructus & effectus.*

Eximios examinis hujus bene peracti fructus & effectus eleganti conglobatione descripsit B. Laur. Justin. sui interioris hominis perscrutator sedulus, (ego per talem perscrutatorem intelligo illũ Religiosũ, qui quotidie bis, ita jubente regulâ, examini definitũ tempus cum omni diligentiâ impendit in Domino, nimirum, agendo DEO gratias, implorando DEI gratiam, & Spiritus S. illustrationem, conscientiam discutiendo, dolendo, & proponendo emendationẽ) talis inquam perscrutator fit quotidie *ad virtutũ exercitia alacrior, ad resistendũ peccato robustior, ad misericordiam promerendam aptior, atque ad percipiendũ charismata meliora habilior.* Hoc examen conscientiæ perficiendum est bene, *quod, procul dubio, quantò quis exercuerit frequentiùs, & ferventiùs, tantò erit DEO propinquior. Nemo*

valet

valet exercitii hujus propalare præconia, & dicere, quantam homini afferat utilitatem. Hoc exercitium *veniam facilè impetrat, gratiam promeretur, humilitatem nutrit, cælum aperit, iram DEI coërcet, pacem reddit, & offensam Majestatem citò propitiat, dummodò debito modo fiat.* Poni huc possunt duodecim fructus, quos S. Bernardinus Senensis t.2. ser.27. a.3. descripsit, diffusus in laudes confessionis; ego ejus verbis utor in laudem Examinis conscientiæ, si debito modo fiat. Primus fructus est, *Mentis illuminatio. 2. Misericordiæ impetratio. 3. A morte suscitatio. 4. A diabolo, & passionibus inordinatis liberatio. 5. Animæ purgatio. 6. Cum DEO animæ purificatio. 7. Conscientiæ alteratio 8. Diaboli confusio. 9. Peccatorum remissio. 10. Pro peccatis satisfactio. 11. Gratiæ augmentatio. 12. DEI glorificatio.* Et hæc omnia in eò altiori gradu, quò major est diligentia, quâ exercitium hoc peragimus.

Pergit B. Laur. Just. *Confessio,* (ego dico conscientiæ discussio,) *charitatis est index, humilitatis germen, gratiæ radius, electionis præsagium, conscientiæ decus, cōpunctionis filia, spei mater, orationis nutrix, & abolitio delictorum.* B. Petr. Dam. ser. de S. Mich. *Nihil Deo gratiùs est, quàm accusare, quod fecisti.* Ad hoc instituitur examen conscientiæ. Quid æquiùs, quàm ut se ipsum puniat, qui peccavit? ad hoc instituitur examē conscientiæ. Aspiciamus ipsi, & DEO patefaciamus vulnera nostra, & à DEO mox accipiemus remedium. Nullum post SS. Sacrificium & orationem) DEO gratius possumus offerre sacrificium, quàm spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatū. Ad hunc finem instituitur examen conscientiæ. Origenes in c. 9. Exodi: *Habeat quivis in se defixū altare, in quo continentiæ & mortificationis cultro, superbiam quasi taurum immolet; iracundiam quasi arietem jugulet, luxuriam, & omnē libidinem tanquam hircos & hædos litet.* Ad hoc instituitur examen conscientiæ. B. Laur. Just. *Quis explicet? quanta apud DEUM sit efficacia sacrificiū hominis, culpam propriam agnoscentis, facinora confitentis, & indulgentiā ex animo sincero à Domino supplicantis.* Hæc fiunt in examine conscientiæ. Et ita citò (S. Bern.) *tremendū Judicē convertimus in piissimū Patrē*; quod clarè patet in filio prodigo, & S. Maria Magdalena, de qua Cajetanus ait, *Novū & inauditum genus oblationis, & sacrificii, pro peccatorū venia, adinvenit hæc mulier, proculdubio à Spiritu S. inspirata.* Quid fecit? *agna-*

§. 8. Prosecutio. Comprehēduntur modi, quibus peragi debet exercitium examinis conscientiæ.

agnovit peccata sua, advolvit se ad pedes Christi, flevit, &c. (fiat p. descriptio,) discamus à S. Maria Magd. quid sub examine conscientiæ agere debeamus. (habes p. locum &c.)

§. 9. *Continuatur superiorum paragraphorum discursus, de causis, ob quas instituitur examen conscientiæ.*

Sententia S. Augustini cit. *Peccata nostra, sive magna, sive parva sint, impunita esse non possunt, quia vel homine pœnitente, vel DEO vindicante plectuntur. Cessat autē divina vindicta, si pœnitentia præcurrit humana.* Ideo ergo S. Ignat. jubet, *ut quotidie bis definitū examini tempus, impendamus cum omni diligentia in Domino, ut nulla dies prælabatur, quâ cōmissas culpas non castigemus, ne Deus cogatur nos punire. Alterutrū est necessariū.* Bene quoque nos monet S. Ambr. apol. 1. c. 2. de David. *Sancti autem Domini,* (dicam ego Viri Religiosi) *qui consummare piū certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi forte, ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores resurgunt ad currendū, pudoris stimulo, majora reparantes certamina, ut non solùm nullū attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis- & novi fervoris - incentiva cumulasse.* Ecce magni ponderis motivum, & causam, ob quam S. Ignatius præcipit quotidie bis examen conscientiæ. (fiat p. dictorū applicatio.) *Quis renuat, ut se sistat suæ consciētiæ, velut coram aliquo tribunali, judicandus in secreto, ne ad Christi tribunal, severo & terribili examine judicetur in publico;* S. Aug. *Discute conscientiam tuā, ascende tribunal mentis tuæ, noli tibi parcere, examina te, loquatur tibi medulla cordis.* quærit S. Th. de V. N. *alterutrū est necessariū.* Itaque examen nihil aliud est, quàm quoddā tribunal gratiæ; ut in illo &c. Isaiæ c. 38. v 15. ait Propheta: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* S. T. V. N. *Recogitabo tibi annos, in quibus peccavi;* & S. Bern. *Recogitabo, id est, iterum cogitabo, & quotidie cogitabo, ne aliquid fortè oblitus sim, & ne aliquid invindicatum & indiscussum remaneat.* Ad hoc à nobis quotidie instituitur examen conscientiæ, &c.

§. 10. *Insignis modus examinandi conscientiam.*

De sedulitate adhibenda quotidie, in peragendo examine cōscientiæ, ita ait Cass. coll. 1. c. 12. *Omnes igitur cordis nostri recessus jugiter perscrutandi sunt, & ascendentiū in eos vestigia, indagatione sagacissimâ retractanda.* De qua indagatione gloriari videtur Psaltes ps. 118. v. 6. *Non cōfundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis,* q. d. quia sollicitè, continuòq; vacavi meæ cōscientiæ, quia (ut ps. 76. v. 7. ait) *exercitabar, & scopebā spiritū meū, ideo nullā timeo confusionē.* Ubi S. Aug. de

de Davide, *quia tulit se intro, & propterea, quæ in secretario suæ mentis egit* (quænam egerit vide in Psalmis pœnitentialibus) *liber triumphavit.* Verba illa Davidis, perspicere, exercitare, scopare, ita ex Symmacho vertit S. Hieron. *Perscrutabar, & annos æternos memineram, & meditabar, & nocte cum corde meo argumentabar, & rimabatur spiritus meus.* Idem S. Hier. putat, juxta versionem græcam, exprimi aliquod verbum, quod significat *ferreum instrumentum*, sive *sarculum*, quo hortulanus utitur, ad eradicandas malas herbas. *Propriè in agriculturâ dicitur, in sarriendo, id est, in sarculando; & quomodo ibi quæruntur herbæ, quæ scienter fecit & David Sarculo, similes sunt scopæ, quæ omnem pulverem, atq; omnes auferant aranearum telas, sordesq; mundant.* Quæ omnia in animâ operatur Examen Conscientiæ. *Itaq;* (finio cum Hugone de S. Victore) *Redi ad cor tuum, & subtiliter discute te ipsum, considera, unde venis, quò tendis, quomodo vivis, quid agis, quid omittis, quantum quotidie proficis, vel deficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus tangeris, quibus tentationum machinis à maligno spiritu acrius impugnaris, & cùm totum interioris & exterioris hominis statum plenè cognoveris, non solùm qualis sis, sed qualis esse debeas, tunc de cognitione tui poteris sublevari ad cognitiones altiores.*

EXHORTATIO UNICA.

DE CONFESSIONE BENE PERAGENDA.

Singuli statuto die confiteantur, Parte 3. Constit. c. 4 §. 11. Regula 3. Com.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

1. Affert causas ob quas intensum studium, debemus adhibere, ut ritè confiteamur. 2. Agit de conditionibus bonæ Confessionis, præsertim dolore, & proposito emendationis.

§. 1. *SS. Patres, cum magnâ facundia, nobis suadent usum Sacramenti Confessionis.*

§. 2. *Confessio, ob varias causas, vocatur negotium arduum, & magnum.*

§. 3. *Eximii fructus Sacramenti Confessionis, pendent à dolore, & Contritione.*

§. 4. *Prosecutio, per alios fructus Confessionis, si bene peragatur.*

§. 5. *Bonæ Confessionis conditio est dolor de peccatis.*

§. 6. *Considerationes piæ, & variæ ad concitandum dolorem.*

§. 7. *Pulcra praxis bene confitendi.*

§. 8. *Alia conditio necessariò requisita, & propositum emendationis.*

§. 9. *Brevis admonitio: ut pro epilogo fiat pulcra repetitio exhortationis.*

§. 1. Sancti Patres cum magnâ facundia nobis suadent usum Sacramenti Confessionis.

MAgnâ vi aureæ Eloquentiæ Sancti Patres, nobis suadent frequentem usum Sacramenti, pœnitentiæ & Confessionis v. g. B. Laur. Justinianus de dis. & perf. mon. c. 19. *Quicunq; deliquisse se meminit, ad confessionis remedia, quantò citius potest recurrat. Nam delicti confessio, veniam impetrat, gratiam promeretur, cælum aperit* S. Bern. *subitò cum peccasti, vadas ad confitendum*: *quia*

quia quemadmodum cum in domo accenditur ignis, subitò exclamas; ita cum peccasti, subitò vadas ad clamorem confessionis ad extinguendum peccatum. S. Th. de Villa N. in Dom. 3. quadrag. *si quando, prout est humana fragilitas in peccatum cecideritis, illicò surgite, statim ad confessionem properate. Hoc Dominus per Prophetam peccatoribus suadet, dicens, nunquid qui cadit, non adjiciet ut resurgat.* S. Greg. M. *Peccatum, quod pœnitentia non diluit, mox suo pondere ad aliud trahit.* Idem Th. de Villa N. ib. *O qualis audacia! quæ oblivio! quod mentis gelicidium! quis stupor ecce ardet infernus, sub pedibus inhians, atque ad devorandam miseram animam apertus, etiam peccator deputatus est ad illum, & solum pendet ex tenui filo vitæ præsentis, quod tam facile rumpitur, & miser rides! concedit securus & gaudet, neque est sibi cura de remedio.* Quod est unica pœnitentia & Confessio, sed non est mihi sermo cum gravibus peccatoribus; Peccata venialia puto S. P. N. Ignatium potissimum habuisse præ oculis, cum p. 4. constit. c. 4. § 3 & 4. unde Regula tertia communis desumpta est ait, *singuli statuto die confiteantur.* Cum autem S. Th. de Villa N. dom. 4. quadrag. benè monuerit, circa usum hujus Sacramenti nos debere procedere, *sicut in negotio arduo, & magno*; in hâc exhortatione paucula proponam, quæ in quotidiano seu usu hujus Sacramenti, nos observare debere judico. Attendite!

Peccatorum Confessionem, quam ad minimum singulis octo diebus peragere solemus, non sine causa vocavi *negotium arduum & magnum*, ad quod bene peragendum omnes vires mentis & corporis impendere debemus: Cum enim Concil. Trident. Sess. 14. c. 1 dicat; *Sacramentum confessionis pro lapsis post baptismum à Christo D. institutum esse, ut per illud, beneficium mortis Christi frequenter applicetur*: cum S. August. asserat, relapsos aliter salvos fieri non posse; nisi confiteantur, cum sanguis Jesu Christi, in illo Sacramento nos emundet ab omnibus peccatis nostris: cum Confessio sit precium beatæ immortalitatis; cum S. August. exclamet: *O grandis DEI misericordia! O infinita clementia! O admirabilis dilectio circa nos! quotidie peccamus; nihilominus Christus D. de pharmaco nobis providit, quo vulnera nostra celerrimè curantur, scilicet per Confessionem* S. Chrysost. hom. 20. in gen. §. 2. *Confessio ob varias causas, vocatur negotium arduum & magnum.*

 Sed!

Sed! num grave aliquid à nobis requirit? contritionem vult cordis, confessionem ruinæ, & non solum largiter vulnerum curationem, & à peccatis munditiem, sed & eum qui innumeris peccatorum sarcinis gravatur, & justificat & ita quàm celerrimè curat, cum in Sacramento confessionis, vi sanguinis Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. nomine omnia peccata nobis remittuntur. Cùm S. Th. de Villa N. Dom. 3. quadr. exclamet, *O mirabilem commiserationem! O ineffabilem dignationem!* quod *Confessio peccatoris* (si sit qualis esse debet) *peccatorum momento reducat ab inferno, & restituat paradiso*, quod Christus D. potestatem, quam à Patre accepit, communicet alteri homini peccatori, cum potestate absolvendi à peccatis, & quod iste facit in terra, firmum & ratum habeatur in cœlo: ob talia & similia, Confessionem merito appello *negotium magnum & arduum*, quod cum seriâ applicatione peragere debemus.

§. 3. *Eximii fructus Sacramenti Confessionis, pendent à Contributione vel dolore.*

Suppono vobis constare, duo prima puncta debitæ præparationis ad Confessionem consistere in gratiarum actione, pro acceptis beneficiis, & imploratione gratiæ Spiritus S. quâ quis illuminatus, illo modo suam examinet conscientiam, de quo fusi egi in exhortatione priori; quod examen est tertium punctum hujus exercitii. Quibus suppositis moneo, ut accessurus ad tribunal confessionis, vel potius ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, animum suum serio applicet, ad actualiter, non habitualiter & virtualiter tantùm, ad eliciendam contritionem & serium propositum emendationis S. Aug. l. 50. hom. 2. *Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi Iudex, torqueat te timor* (addo ego, torqueat te contritio, torqueat te confusio & compunctio, torqueant te spinæ peccatorum, ut sentias te peccasse) *& sic erumpat confessio: & dic* DEO tuo cum Davide, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco* dic cum Filio prodigo, *Pater peccavi in cælum & coram te.* Dic cùm Publicano, *DEUS propitius esto mihi peccatori*; cum Maria Magdalena prosterne te ad pedes Christi, & plora. S. Basilius in Ps. 32. *Vult tui miserere Iudex, teq; miserationibus suis complecti, modo post admissa, humilem te factum, & contritum, & malefacta plurimùm deplorantem te videat.* Figuram Christi D. recipientis con-

contritum peccatorem, fuit benignissimus Pater filii prodigi (quod ex notissimâ & affectuosâ illa historia, pulcrè ostendi poterit. Dixit enim Pater ad servos suos &c. Ita humilis Contritio, (B. Laur. Justin) *Deum placat, reconciliat pœnitentem, mundat cor, onus aufert, mentem lætificat, criminum exsolvit debitum, veniæ spem nutrit, & cælum reserat*; etiam illi, qui jam stabat ante fores inferni.

Ab hâc contritione, pendet ille Sacramenti pœnitentiæ fructus, qui dicitur, *quies animæ sive, serenitas & tranquillitas conscientiæ. Vermem enim illum, & remorsum intus rodentem conscientiam, nihil ita mortificat, sicut confessio. Etiamsi doleas, & pœniteas, & jejunes, & eleemosynas facias; non sic quietatur conscientia, & peccatorum onere sublevatur, sicut si contritus ad hoc Sacramentum accedas.* S. Th. de Villa N. dom. 4. quadrag. *Probate obsecro* (ante confessionem & sub illâ eliciendo intimam cordis contritionem) *& videbitis quanta sit reformatio vitæ, quanta veniæ apud Deum fiducia, quod levamen cordis, quæ personæ mutatio, quanta utilitas in resistentia peccatorum, in facilitate bonorum operum, in correctione morum, in devotionis augmento, in teneritudine spiritus, in vivacitate intellectus, in puritate conscientiæ, in lætitia animæ, in spiritus pinguedine.* Ecce amabiles & suaves fructus, Confessionis, quæ cum contritione peragitur. Per talem confessionem (S. Bonav.) *statim inveniemus faciem Christi placatam, portam cæli reseratam, coronã regni magnificatam, nam cùm Sacramentum pœnitentiæ ex opere operato gratiam conferat, quoties dignè suscipitur, toties gratia augetur, & ex consequenti, gloria.* In hoc felix fuit ille latro, qui *per brevem pontem Crucis, de patibulo in regnum, de supplicio ad paradisum translatus est: sed vidisti prius perfectam ejus confessionem, & contritionem? quomodo in cruce se exuerit à peccatis. Non tamen ante ausus est dicere, memento mei, antequam per confessionem præteritæ iniquitatis sarcinam deponeret.* Quibus permissis S. Aug. Ser. in Parasc. confessionem deprædicat, dicens, *vide quanta res sit confessio! confessus est; & Paradisum aperuit, & tanta fiduciæ robur accepit, ut de latrocinio regnum peteret.* Ser. 30. ad frat. *O sancta, atq; admirabilis confessio! tu obstruis os inferni, & aperis paradisi portas.*

§. 4. *Prosecutio, per alia fructus Confessionis, si ritè peragatur.*

§.5. Bonæ Confessionis conditio, est dolor de peccatis.

Bonæ confessionis conditionem pulcrè expressit Job. c.10. v.1. *Tadet animam meam vita mea; dimittam adversum me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, noli me condemnare.* Verbum, *tadet significat odium & detestationem peccati, & displicentiam de eo, quod displicet Deo*; ex quibus sequitur amaritudo, dolor & tristitia animæ quod peccaverit; qui dolor si procedat ex motivo divini amoris, quod summo bono, & infinitæ Majestati, & bonitati tanta illata sit injuria, dicitur Contritio. Qui verò culpas suas detestando cogitat, restat ut eas in eâdem animæ amaritudine loquatur, ut hæc ipsa amaritudo puniat, quidquid lingua accusat. S. Isidorus in exhort. ad pœn. *Habe spem in tali confessione, in quâ constantissimè solidatus, noli desperare, sed perfectâ utere fiduciâ, quâ, rasâ & abolitâ de corde nequitiâ, possis postulatione præmissâ, ab omni morte criminum reviviscere, & omni colluvione peccatorum, interjectâ confessione, purificari.* Illâ videlicet confessione, quæ propter offensi Creatoris dilectionem perficitur. Confessionem sine dolore non esse proficuam, pulcro simili declarat, S. Greg. M. l.8. mor. c. 11. *Qui mala quidem, quæ perpetravit, insinuat, sed eadem fiere recusat; quasi subductâ veste vulnus detegit; sed torpenti mente, medicamentum vulneri non apponit.* Contritio, apostema tangit, aperit & saniem emittit, & per hanc punctionem conteritur cor humanum, & virus peccati exprimitur, ut tum alia emplastra, sanguinis Christi, & divinæ misericordiæ applicari possint.

§.6. Considerationes, piæ, & variæ, ad concitandum dolorũ.

Requisitus autem dolor ad bonam confessionem triplex esse potest. (Hugo de S. Vict.) *acer, acrior, acerrimus. Acer, quia Creatorem offendisti, imperatoriæ Majestatis dexteram, & minas non timens. Acrior quia cum Creatore Patrem etiam ad iram provocasti, qui tibi ministrat siderum cursus & fructum ubertatem &c. Acerrimus! qui pertransit animam, quod beneficia contempseris ejus, qui dolorem Crucis sustinuit, ne tu dolorem sustineres inferni. Citò, Citò!* (S. Th. de Villa N.) *reclusus in Oratorio solus, coram Crucifixo, considera DEI bonitatem, clementiam & amorem erga te, & multiplicem, & longanimem ejus beneficentiam, & dona, quæ tibi tradidit, quæ tradere paratus est, & geme! tunde pectus, & dic cum Publicano; DEUS propitius esto mihi peccatori.* Pergit S.

Th. de

de Villa N. *Considera, quomodo te sustinuit, & exspectavit cum multa patientia; quomodo pro offensis multa bona dedit; offensus rogat, ut redeas ad illum: & considera, tuam duritiem, pertinaciam, ingratitudinem, & pravitatem, quàm malè respondisti, tam bono Patri; quomodo contemnis monentem, despicis vocantem; & sine timore pro nihilo habes illum offendere, & mille injurias facere! quot ardent in inferno! quibus DEUS vitæ filium, justo judicio, post paucas duntaxat noxas letales, commissas, in juventute abscidit, & ardent in inferno. Te post tot annorum prævaricationes, in hanc usque horam & momentum, exspectat DEUS, ut misereatur tui! & talia cor tuum non compungunt? Et pergis, odisse illum, qui te suo sanguine redemit? Hæc & similia profundè considera, attentè & morosè, & si lapis non es, certè movebitur cor tuum, in meditatione tuâ exardescet ignis, amoris, & doloris calore succenderis.* Ita dispositi, debemus accedere ad Confessionem.

Discursum hunc dolore claudat S. Bernardinus Senensis. t. 4. Ser. 20. *Peccator, quando est ante Confessionem, debet considerare se fore in conspectu DEI; & debet ire, cum humilitate, quemadmodum si mereretur mori; & iret ad petendam veniam vitæ, ab illo, qui potest donare, multò magis cùm majori humilitate quispiam Confessario se sistere debet, pro obtinenda vita æterna; pensando, offensiones factas DEO, & tantam ingratitudinem; ut eò intensior oriatur dolor & contritio, antequam à sacerdote accipiamus absolutionem.* §. 7. *Pulcra praxis piè confitendi.*

Necessariam quoque bonæ confessionis conditionem nobis præscribit Ecclesiasticus c. 21 v. 1. *Fili peccasti? & confessus es, et doluisti de peccatis? non adjicias iterum.* Quod saltem quoad propositum est necessarium S. Th. de V. N. in Dom. 4. quadr. *Oportet ante confessionem, firmum et verum continendi à peccatis propositum perquirere; et an verè illud habeas discutere. Quo naufragio multæ animæ perierunt, et submersi sunt.* St. Bonavent. Ser. 2. in dieb. rogat. *Necesse est ut in confessione tuâ intendas dimittere & emendare peccata tua; & facere de cætero, quod DEO placet.* Item *dicitur vera confessio, quæ est cum proposito emendandi; non solùm oris, sed etiam cordis, de qua dicit* §. 8. *Alia conditio, necessario requisita, est, propositum emendationis.*

dicit David. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. S. Bernardinus Ser.t.4.Ser.45. *si vis cognoscere, quando tu es bene confessus, considera si te pœnitet de omni peccato, tam commisso, quàm committendo,* ut quivis dicere possit post confessionem, cum David Ps.17.v.38. *Persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant, confringam illos, nec poterunt stare, cadent subter pedes meos, comminuam eos, ut pulverem, ante faciem venti.* (Ex his poterunt formari pulcri affectus) S. Augustinus vertit: *Persequar affectus meos carnales, ne ab iis comprehendar, sed apprehendam illos, ut absumantur. Frustratoria enim est illorum pœnitentia, qui quâdam consuetudine tracti, frequenter confitentur, sed statim revertuntur ad vitia, & bibunt calicem confusionis, usq; ad facem, & fiunt novissima talium peiora prioribus.* S Hilarius. *Vera peccati pœnitentia est, ab eo, quod poenitendum intellexeris, destitisse.* S. Aug. Ser. 66. de temp. Magnum est *salutis medicamentum; non iterare quæ impiè gessimus, nec priores vulnerum cicatrices resauciare.*

§. 9. *Brevis admonitio juxta quam poterit fieri pulcra repetitio hujus exhortationis.*

In quo advertere oportet, hæc non tantùm de peccatis letalibus, sed etiam venialibus intelligenda esse, præsertim apud Religiosos è Soc. Jesu, &c.

EXHORTATIO I.

DE DILECTIONE INIMICORUM.

Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, Matth.5.v.45.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit motiva, quæ nos movere possunt ad exercitium tam arduæ virtutis, v.g. Præceptum Christi D. Ejusdem exemplum. Quod nos faciat similes, & ejusdem filios adoptivos.

§.1. *Pro-*

Quæ de caritate erga proximum, de tam eximiæ virtutis, dignitate, excellentiâ, utilitate, necessitate, ejus actibus, fructibus & effectis dicta sunt, applicare possumus in particulari, dilectioni inimicorum, & eorum, qui nobis malè volunt. Quo posito, in hâc exhortatione vobis proponam aliqua motiva, quæ nos movere possunt & debent, ut diligamus, inimicos. *§.1. Propositio.*

Primum motivum, est, quod hæc dilectio nobis à DEO & Christo D. præcipiatur. Matth. 5. v. 44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Ego* (inquit Cassianus l. 20. c. 23.) *Deus factus homo, auctoritatem habens præcepta de novo condere, impertinentia resecare; dico vobis auditoribus primis, ut vos dicatis subsequentibus cæteris*, dico, mando, præcipio, volo, jubeo, ut diligatis inimicos Ps. 2. v. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem Sanctum ejus, prædicans præceptum Domini.* Diligite inimicos vestros. Homuncio! *Quid cessas? quid subterfugis?* (S. Chrysost.) *quid detrectas? Deus ista facienda præcipit. Rex jubet.* Non vides, quod quando Dominus vult, elementa omnia in contrarium mutant essentiam, & à suo sese impetu continere: ut ignis non urat, ut stent fluvii & mare, ut terra & montes concutiantur si velit; quiescant, si jubeat. Nihil dicam de reliquis creaturis, *§.2. Inter motiva, quæ nobis suadent, dilectionem inimicorum primum est Præceptum Christi D.*

quasi *ad vocem Creatoris sint obedientes.* Nunquid feroces leones frequentissimè Sanctis Martyribus pepercerunt. Tu ferox leo! quid contra hostem concutis jubas? quid acuis dentes? cur explicas ungues! siste! parce! Creator tuus, Dominus tuus, Rex tuus ita jubet. Compone motus & ferocem impetum! refræna furorem! adhuc reluctaris? adhuc resistis? DEO tuo? Domino tuo? Regi Regum, qui mandat ut parcas! Leo parit! & tu ratione insignitus, obedire non vis? si legem Cæsar vel Rex aliquis, ut omnes inimici mox in gratiam redirent, aut capite plecterentur, quid putas? an non omnes festinarent ad mutuas reconciliationes? sic arbitror. Ast si insuper idem Rex, dimidium imperii sui iisdem offerret, post initam reconciliationem; quis vestrum non obediret suavi præcepto. Et nos nihilominus Deo veniam dare præcipienti, imò & orandi, quin & filiationem cœlestem promittenti, deque regni æterni acquisitione assecuranti, nec non omnia innumera peccata remittenti, volumus contumaciter resistere, dum ignoscere nolumus. Ita capitis tui times truncationem, & inferni ignes non times? Ignosce nisi velis ut justus Judex ignoscere nolentem deturbet ad inferos. Tam est potens, ut quovis momento id facere possit.

§. 3. *Imitari debemus obedientiam militis erga Ducem.*

Disciplina militaris hoc exigit, ut quamprimum belli dux, post peractam pugnam exercitui suo, perstrepente buvinâ, signum dat receptui, & ulterius hostem prosequi, prohibet momento exercitus sistat, licet ferociter ulterius in hostem desævire posset. Ita l. 2. Reg. c. 2. v. 28. *Insonuit Ioab buccinâ, & stetit omnis exercitus, neq; persecuti sunt ultra Israël, neq; inière certamen.* Fieri potest, ut vos quoque habeatis occasionem persequendi hostes! videre mihi videor vestros gladios, avidos, ut sanguinem fundatis &c. sistite quæso; *Rex exercituum, Dominus fortis, et potens in prælio*, Christus JESUS, aliam insonat buccinam, *ego autem dico vobis ut diligatis inimicos vestros*; Væ militi! qui huic Duci resistit, & impositam legem transgreditur. Quem quæso putatis fuisse sensum superbissimo Amano, cum Mardochæum, hostem suum, in regio equo, & veste, cum tam insolitâ pompâ ducere debuit per urbem.

Fecit

Fecit tamen, quia Rex Assverus imperavit. Nos imperanti Christo obedire nolumus!

Cum Jacob Patriarcha Genesis 31. una cum familiâ suâ discessisset clanculum ex domo soceri sui, hic furibundus & æstuans desiderio vindictæ, persecutus est illum diebus septem, & comprehendit eum in monte Galaad. Sed quo eventu? Socer, pacificis & mansuetis verbis eum fuit allocutus, dicens. *Cur ignorante me fugere voluisti? nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio et canticis, et tympanis, et cytharis.* Sed unde tam repentina mutatio? Respondet Sacer textus, *vidit in somnis dicentem DEUM. vide ne quicquam asperi loquaris contra Iacob.* Cave, ne quicquam asperi loquaris; JESUS Rex tuus præcipit. Habes occasionem vindictæ, ut illi à quo læsus es, detrahas, ut calumniam ipsi obtrudas in faciem? Cave, ne feceris! Christus prohibet, mandat, ut diligas inimicum. §.4. *Vis divini præcepti.*

Cass. l. 10. c. 23. *Et quis potest conquari de mandato Altissimi Domini? Quis causabitur reluctans facere, quod novimus DEUM velle? Quis dicet impossibile, quod mandat æqua Iustitia, summa Veritas & æterna; & ad quod faciendum offert gratiam?* S. Basilius in reg. 65. Interrog. 176. *Sine dubio non præcepisset hoc, qui bonus ac justus est, nisi etiam facultatem, quâ id faceremus esset largitus.* S. Augustinus Ser. 35. in append. de diversis. *Multi, præcepta DEI sua imbecillitate non gratiæ viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere, non odisse inimicos, cæterum diligere, plus præcipi, quàm humana natura patiatur, sed sciendum illis est, Christum D. non præcipere impossibilia, sed perfecta, quæ alii fecerunt.* §.5. *Præceptum de diligendo inimico, non est impossibile.*

Ex quibus advertere possumus, alterum motivum hujus dilectionis, quod est Exemplum Christi, D. & Sanctorum virorum. Rup. ab. *Audiri debet præceptum, quod Præceptoris roboravit exemplum: Ecce, Filius DEI præceptor, & Doctor de cælo venit, quod præcipit, fecit; quod docet opere ostendit. Dilexit inimicos, nam cum inimici essemus, reconciliavit nos DEO.* S. August. Ser. 180. de temp. *Et tu dicturus es, & quomodo ego hoc possum, quod Dominus potuit? quare hoc dicis? attende ubi hoc faciat; attende quia in Cruce hoc fecit, non in cælo. Semper enim Deus in cælo, cum Patre; in Cruce autem* §. 6. *Alterum motivum Exemplum Christi.*

tem pro te homo, ibi se imitandum proposuit omnibus. Nolite timere, ipse est, qui præcepit & fecit, roboramini, & estote viri fortes. S. Thomas de Villa Nova Ser. in fer. 6. Cin *Quanta quotidie facimus pro amicis, quot à nobis alienatos & invisos, orantibus amicis in gratiam recipimus, ut illis placeamus.* O Christiane! facis hoc pro amico, & non facis pro DEO? qui hoc consulit, præcipit, & docet exen plo suo. Nonne quivis cum David dicere deberet. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum*; Quibus verbis & quâ actione ostendit David, quantum divinæ gratiæ valeat auxilium, ad reprimendam iram, quantumvis à Saule tantam pateretur persecutionem, ut posset sumere vindictam: præsertim cùm sciret eum postea eadem moliturum, & mortem, ut prius machinaturum. Nihilominus pepercit, & nobilissimam reportavit victoriam.

§ 7. *Victoriam Davidis à Saul reportatam, eleganter describit D. Chrysost.*

David egressus è speluncâ, cùm tantâ gloriâ, cum quantâ tres pueri, egressi sunt de camino ardente: nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic non conflagravit, iræ incendio. Et illis quidem foris nihil nocuit ignis; hic verò cum intus haberet carbones accensos, cum foris videret diabolum, caminum incendentem, idque variis modis; ab inimici conspectu, ab exhortatione militum, à facilitate perficiendi cædem, à solitudine eorum, qui possent Saul auxiliari, à præteritorum memoriâ, à futurorum periculorum metu &c, & tamen David non exussit! Tantum in illo potuit Divinæ gratiæ auxilium, quod nobis non negatur, dummodo Christi præcepto obedire, & ejus exemplum imitari velimus. Proclive est, & corruptæ naturæ conforme, ut fomes peccati talem ignem in nobis accendat, ut adjiciat accensos carbones, ut illos exsufflet diabolus, ut conspectus inimici nos exstimulet, ut ocasio vindictæ non desit, neque socii qui vindictam suadeant, &c. sed superanda sunt omnia, tale incendium sanguine Christi Crucifixi, facillimè potest extingui.

§ 8. *Per Dei gratiam possumus imitari Christum D et diligere inimicos.*

S. Aug. Ser. 254. de temp. *Dura sunt hæc, diligere inimicos, bene facere illis, qui oderunt, & orate pro persequentibus, dura sunt! sed omnia possumus in eo, qui verbis, & exemplo, & gratia sua nos conforat.* ad Phil. 4. v. 11. sufficit ut tantum velis, & jam virtus illa opus suum

ex-

explorat. Si verò hoc opus est laboriosius, & labor operosior; eò etiam est major merces, & corona gloriosior. Et erit factu facile, si intelligamus, quod cum beneficium inimico impendimus, non solum illi, sed Deo præcipienti, & Christo D. exemplo suo id docente, impendimus. Quod ut faciamus, multa caritas erga DEUM, in pectore nostro, debet ardere. DEO verò, & Christo Domino, nihil tam jucundum est, quàm malum pro malo non reddere. S Chrysostomus. *Et hoc manifestum, quod multa magnaq; sint, quæ justorum vitam exornant: hoc tamen præ cæteris efficit, ut clarissimi evadant, si mansueti vivant, & erga illos placidi sint, à quibus injuriis afficiuntur.* Exemplum habemus Christi Salvatoris nostri, quàm ipse erga calumniatores & convitiantes Pharisæos, fuerit mansuetus, & benignus, & ausus fuerit dicere. *Discite à me, quia mitis sum.*

Tertium motivum dilectionis erga inimicum variis aureis sententiis ita nobis proponunt Sancti Patres. D. Chrysost. hom. 20. in Matth. *Nihil est, quod nos DEO sic similes faciat, ut, lædentibus esse placabilem, & injuriam facientibus, indulgere.* Ideo Christus D. postquam Matth. 5. dixit, *diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro calumniantibus & persequentibus vos*; immediate subjungit, *ut sitis filii Patris vestri qui solem suum oriri facit, super bonos & malos.* Et, *estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Quantum in hâc dilectione proficimus, tantum accedimus ad DEI similitudinem. Iterum D. Chrysost. *Proinde congruum est, ut quando quis contumelia nos afficit, sustineamus mansuetè, considerantes, quod DEI imitatores mititas facit.* Quò sensu cum magno mysterio, quæsivit David, Estne aliquis, qui remanserit de domo Saul? ad quid? ut faciat cum *eo misericordiam Dei*, quia scilicet, qui hosti parcit, divinam imitatur misericordiam: ex quibus verbis advertere possumus differentia, quæ inter humanam, & divinam intercedit misericordiam, quod nostra ad amicos tantùm se extendit. Misericordia Domini præsertim ad inimicos: quam imitamur, dum etiam inimicos diligimus.

§. 9. *Motivum 3. Dilectio inimicorum nos facit similes Deo.*

Audiendus est piissimus Idiota l. 1. de contempl. ubi Christum Salvatorem suum ita alloquitur. *Magnum est, dulcissime Domine*

§. 10. *Profecmin.*

mine IESV Christe, si erga hominem, qui nihil mali, mihi fecit, sum benevolus & pacificus, sed Domine, illud multò majus est, & magnificentissimum pietati tum longè similius, si meum diligam inimicum, & ei, qui malum mihi intulit, & adhuc inferre vult, si possit: bonum semper velim, & faciam, si possim, à tua gratia & bonitate hoc procedit. Nihil tibi in natura similius est, quàm homo, qui malevolis & inimicis se laedentibus placabilis est; qui enim diligit inimicum, imitatur te, qui dilexisti nos, cùm adhuc inimici essemus.

§. 11. *Eadem dilectio nos facit filios Dei.* Motivum 4. Per veniam & dilectionem inimicis exhibitam, filios DEI nos efficimus, ideo autem Filius DEI naturalis, factus est homo, ut nos secundum adoptionem, filii DEI esse possumus. S. Greg. M. *Omnia dona excedit hoc donum, ut DEVS hominem nominet filium* (ut sitis filii Patris) *& homo DEVM nominet Patrem*; jubente Christo D. *Pater noster, qui es in cælis.* Filii autem sumus diligendo inimicos. S. Joan. Apostolus. *In hoc manifesti sunt filii DEI, & filii diaboli*; nam filii diaboli sunt, qui imitantur illum in odio. Filii DEI sunt econtra, qui etiam inimicos diligunt, imitantes ipsum DEUM, qui cum inimici essemus, ultro nobis obtulit reconciliationis gratiam, tantâ dilectionis abundantiâ, ut proprio filio suo non parceret, sed pro nobis omnibus traderet eum.

§. 12. *Testimoniũ S Fulgentii.* Iterum repeto, arduam & difficilem esse hanc dilectionem; Veruntamen, (S. Fulgentius Ser. de caritate DEI & proximi) *cum diligendos præciperet inimicos, amarum forsitan erat, quod audienti jubebatur, sed, sit quæso dulce, quod obedienti promittitur, teneatur igitur dulcedinis hujus in corde suavitas, & amaritudinis illius superabitur difficultas; qui enim dilexerint inimicos suos, & benefecerint iis, qui eos oderunt, filii DEI erunt.* Quid verò accepturi sunt isti filii DEI? Apostolus enuntiat, dicens: *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filii Dei; si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* S. Augu*st*. *Quanta gratia e quod nos, qui servi Dei digni non sumus, inimicorum dilectione filii Dei efficiamur.*

§. 13. *Elogium Alexandri M.* *Fili mi! estne fortassis aliquis, qui te odit, qui te persequitur, qui tibi maledicit &c. & tu nihilominus vivis, ne amarè contra illum loquaris; tu pro illo oras, &c. dicam tibi aliquid solatio plenum. Cum*

aliqui

aliqui legati, (ita refert Q. Curtius) *varia protulissent in laudem Alexandri M. tandem unus in epilogo voluit omnia comprehendere,* & dixit, *tu Philippi es filius,* ego dicam, tu qui oras pro inimico, tu! qui diligis inimicum &c. Tu es filius Dei, & JESU Crucifixi.

Triumphat hic iterum eloquentia SS. Patrum. Vener. Beda in c. 6. S. *Lucæ. Null- major, potest esse merces, quàm filios hominum terrigenas, effici filios Altissimi, qui in cælis est.* Cassianus. *Nescio, quid amplioris præmii possit habere, in adversarios diffusa dilectio, quàm si adoptiva cum Vnigenito, ab æterno, filiatio, & sequatur hæreditas æterna.* Paulus de Palatio in c. 5. Matth. O mortalis, quorum pectora honoris ambitio vexat, accurrite! *En via summi honoris comparandi. Ego quidem non memini, quo loco Christus vocavit filios Dei, nisi hic, nam supra dixit, Filii Dei vocabuntur ii, qui pacifici sunt, & in hoc loco, inquit, ut sitis filii Patris vestri.* Realitas autem major est, quàm denominatio. *Estote ergo* (ad Eph. 5. v. 1.) *imitatores Dei, sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit se pro inimicis.* S. Leo Ser. 11. *de quadr. Deponantur omnium discordiarum, odiorumq; certamina, ne putet se quisquam fore filium Dei qui fraternam pacem redintegrare neglexerit.* Apud summum Patrem non habetur in numero filiorum, qui non est in numero fratrum. S. Aug. Ser. 254. de temp. *Ecce dura jussit, amara jussit, sed vide quæ promisit. Promittitur tibi pro his duris, ut sis Filius Altissimi; Cogita Patrem & agnosce hæreditatem. Porro, ut sit Deus Pater noster nulla certior est germani filii nota, quàm bonitate, caritate, ac beneficentia ei esse consimilem.* S. Bernardinus; *dilectionis hujus sublimitas finalis est, ut homo à Deo, ut filius in honorem erigatur, & sublimetur, quasi iis omnibus jura filii obtineat, in paternâ hæreditate. Magna gloria, & honor fit homini, & est, magnanimitate, injuriantes & injurias superare.* §. 14. *Alia testimonia SS. Patrum*

Plura similia motiva dilectionis erga inimicos, v. gr. quod sit magni meriti, quod obtineat peccatorum remissionem, & varia dona à DEO, & similia. Vide apud Mansium, Titulo, De inimicis, eorumque dilectione, multa, pulcra, & varia. Item invectivas in illos, qui nolunt ignoscere. §. 15. *Admonitio.*

EXHOR-

EXHORTATIO II.

DE DILECTIONE INIMICORUM.

Diligite inimicos vestros, Matth.5.v.44.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRoponit varios modos, diligendi inimicos; exemplo Christi Dom. Jacobi, Josephi Patriarcharum, S. Stephani Proto M. & aliorum.

§.1. *Propositio.*
§.2. *Modum perfectissimum diligendi inimicum, docuit nos Christus D. verbo & exemplo.*
§.3. *Hic modus diligendi, sapit aliquid divinum.*
§.4. *Iterum proponit exemplum Christi D.*
§.5. *Quod docuit, fecit, orando in Cruce pro inimicis.*
§.6. *Prosecutio.*
§.7. *Emphasis latens, in verbo, Ignosce.*
§.8. *Hanc dilectionem, nobis commendavit, Christus Dominus moriens in Cruce.*
§.9. *Modum insignem diligendi inimicum, docuit nos Patriarcha Iacob.*
§.10. *Et Patriarcha Ioseph.*
§.11. *Prosecutio.*
§ 12. *Et S. Stephanus.*
§.13. *Et alia Persona Sancta.*
§.14. *Et S. Catharina Senensis.*
§.15. *Et alia insignis Heroina.*

§.1. *Propositio.* S Augustinus, S. Chrysostomus, aliiq; Sancti Patres, suis Tractatibus, homiliis & sermonibus variis, præposuerunt hunc titulum, *De amando vel diligendo Deum, sive, de modo amandi & diligendi Deum.* Huic exhortationi ego hoc præfigam thema, de modo diligendi inimicum. Puto enim vos, recenti tenere memoriâ

moriâ tenere ea, quæ exhortatione priori, de motivis tam eximiæ virtutis vobis proposui.

Modum autem diligendi inimicum, perfectissimum Christus D. nos docuit verbis & exemplo. Quando S. Petrus Evangelicam legem cœpit annuntiare, satis ostendit, in quâ vellet primos Christianos Christum D. potissimum imitari, ep.1.c.2.v.20. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* *Et nominat illa vestigia.* *Quia cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* Inter tot injurias, & contumelias, ne verbum quidem respondit, imò nec inter flagellorum, spinarum, clavorum & Crucis dolores, crucifigentibus se fuit indignatus, ut nobis daret exemplum, nullam irrogatam injuriam ulciscendi; Exemplum dedit nobis, ut sequamur vestigia. Esse potest, ut verba inimici tui, quibus te mordet, videantur tibi flagella vel spinæ; ut linguam ejus sentias, veluti aliquem clavum; ut ejus conversatio sit tibi Crux; sequere vestigia Christi, sustine, sile, & noli indignari. Christus D. hoc fecit. Et ejus exemplo S. Paulus, cùm dixit ep.1. ad Corinth.c.4.v.9. *Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus.* S. Aug. in Ench.c.73. *Illud magnificentissimæ bonitatis* & virtutis est, addo, hæc est perfectissima Christi D. imitatio; hoc est, sequi vestigia ejus, *ut tuum quoq; diligas inimicum, & ei qui tibi malum vult, etsi potest facit, tu bonum semper velis, faciasq; cum possis, quoniam perfectorum sunt ista filiorum DEI, quo quidem usq; caritas nostra se debet extendere.*

§. 2. Modum perfectissimum diligendi inimicum, docuit nos Christus D. verbo & exemplo.

Confirmat hoc B. Petrus Damianus Ser. 2. de exalt. S. Crucis. *Magnum quidem, & ultra hominem est, asperitatem verberum & verborum* (hoc est, ut supra insinuavi, flagella, spinas, clavos & Crucem Christi Crucifixi) *non solum pati, sed & non reddere: illud verò majus est, & divinum quid sapit; benefacite his qui oderunt vos.* Estnè qui te flagellat, benefac illi si potes. Est, qui te coronet spinis? benefac illi &c. hi actus benefaciendi, etiam in parvis, (v.g. quia sumus in sanctâ Societate JESU, si tali cum gustu inservias mensâ, si cum gustu illi offeras haustum, vel in aliquo officio caritatis pro illo suppleas &c.) hi actus sapiunt aliquid divinum.

§. 3. Hic modus diligendi, sapit aliquid divinum.

§.4. *Iterum proponit exemplum Christi D.*

Sic Christo D. assimilamur, (Euthymius in c.5. S. Matth.) *qui innumeras ab inimicis suis passus injurias, ipsos amabat & beneficia ipsis conferebat, linguarum sagittis petitus, & tandem ab iis crucifixus, pro ipsis orabat*, & D. Chrysost. hom. 33. in Matth. *Christum videmus, his aliisq; contumeliis & injuriis affectum, non modò ultum non fuisse, sed nec commotum quidem, quippe qui etiam post hæc maledicta urbes & vicos Iudææ circumiret prædicans Evangelium & curans omnem morbum, mansuetudinem ostendens, & hâc ratione maledicentiam illorum redarguens.* Quis nescit, quâ patientiâ in passione, convitiorum probra, contumeliarum ludibria, & insultantium sputamina, exceperit, *quia ad hoc descendisse se dixerat* (S. Cyprianus) *ut voluntatem Patris faceret, ut ideò inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia divinæ Majestatis expressit, paternam quoq; patientiam,* (*Deiformiter pravis benefaciens.* S. Dion. Ar.) *tolerantiæ tenore servavit*; debuissentque ejus hostes, vel maximè DEI Filium agnoscere, quia patientiam hujusmodi, solus homo, & non DEUS, non perpetrasset. Sed fecit talia, *relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Quisquis itaque, contra inimicum, in corde odium non reservat, & inimicis suis, non solùm malum pro malo non reddit, sed etiam diligit, & benefacere non desinit, certus esse potest de misericordiâ Domini, ut liberâ conscientiâ, ante tribunal dicere possit. *Dimitte, quia dimisi.* Certus quoque sit, se insistere vestigiis Christi D. *Integræ, absolutæ & magnæ perfectionis* gradus est, *Odium amore compensare.*

§.5. *Quod docuit fecit, orando in Cruce pro suis inimicis.*

Necdum possum discedere à Christo D. qui si unquam, ut Act. 1. dicitur, *fecit & docuit*, hoc verum est, de præcepto dilectionis, quod nobis imposuit, etiam erga inimicos. Verba clara sunt, Matth. 5. v. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et fecit hanc caritatem, quam docuit: tacuit, siluit, patiens fuit; tandem in Cruce elatâ voce clamavit, *Pater ignosce illis.* Cur clamavit, nunquid ut alias in silentio orare potuit pro inimicis? S. Aug. *Potuit! sed tu non haberes exemplum.* Clamavit itaque Christus, cum in cruce pro suis inimicis oravit, ut nullus, se id non audivisse dicere posset, & ut per omnes futurorum sæculorum cursus, hoc exem-

plum

plum nobis addat calcaria, ut curramus per vestigia ejus. Plerumq; concionatores, cum affectum, quem præcipuè concitare intendunt, proponunt, id faciunt elatâ voce, & cum clamore; hoc fecit Christus D. moriens in Cruce, cum clamore & validâ voce, dixit, *Pater ignosce illis*, ut sequamur vestigia ejus.

Sed! *Qualis est hic* (exclamat & quærit S. Ans. in libello, quem vocat incentivum amoris (*qui in omnibus pressuris suis, ne semel os aperuit, ut aut quereretur, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum, adversus maledictos canes illos proferret? Sed verbum benedictionis, quale à saeculo non est auditum, super inimicos suos effudit, super eos, qui manus & pedes clavis cruci affixerunt, qui caput perforarunt spinis, qui ipsum blasphemabant, & maledicebant.* Acuebant Pharisæi suas linguas, veluti sagittas; ipse tamen petit illis ignosci. Qualis hic sit quæritis? respondeo est Christus Filius DEI qui quod verbo dixit, & docuit, etiam in Cruce, exemplo probavit: nobis illud relinquens, ut sequamur. §. 6. *Prosecutio.*

Latet in petitione Christi, alia aurea doctrina, quod injuriarum illatarum nullam faciat mentionem, neque enim ait, Ignosce illis, qui me flagellarunt &c. non! sed *ignosce*. Ut nos doceat, non examinare offensas, non ponderare illatum circumstantias quis nos lædat, in quo lædat, quàm innocentes &c. lædat. Sed, *oblivioni omnia tradere, & toto corde, & pleno ore, atq; efficaci opere indulgere.* Ecce modum, quo, exemplo Christi D. debemus diligere inimicos. S. Bernardinus. *Signum est perfectissimum & meriti maximi, si injuriantem corde diligis, si ore gratiam pro eo à Domino poscis, in oratione, & opere etiam utiliter deservis. In his, reluctantem animum vincere, & diligere, & orare, & benefacere inimico, Celsitudo est caritatis*, inquit S. Greg. N. §. 7. *Emphasis latens in verbo, Ignosce.*

Si fortassis tamen alicujus animus adhuc reluctaretur, illi in memoriam revoco c. 50. genesis, ubi sacer textus refert, quod fratres Josephi, quia timebant illum post mortem Patri adhuc sumpturum vindictam, ad pedes ejus prostrati, dixerunt v. 16. *Pater tuus, præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, ut obliviscaris scelerum fratrũ tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te.* Quid ni igitur & nos, Redemptori, Patrique §. 8. *Hanc dilectionem nobis commendavit Iesus moriens in Cruce.*

quenostro, obtemperabimus, qui nobis antequam moreretur, præcepit, *Diligite inimicos vestros*, &c. & cum moreretur, ipso exemplo docuit, quod & quomodo debeamus diligere inimicos.

§. 9. Modum insignem diligendi inimicos, nos docuit Patriarcha Iacob.

Auream praxin diligendi inimicos, nos docuit Patriarcha Jacob, de quo S. Augustinus ait, Ser. 168. de temp. *Considerandum, quanta in Beato Iacob fuerit caritas, ut odientem se fratrem suum maluerit in longinquis regionibus fugere, quàm vicem odii repensare: quem sicut vitare scivit, ita odisse nescivit, & reversus multis muneribus, ut cum sibi placatum faceret, honoravit.* S. Ambr. l. 2. de Jacob c. 6. ait, *Perfectus, qui cogitabat de reconciliatione fraternâ, ita ut humilitate invitaret, officiis acquireret, muneribus quoq; eandem emendam putaret.* Et S. Cyprianus de bono pat. *Iacob fugatus à fratre* (ob innumeras illatas molestias, & inveteratũ odium,) *de terrâ suâ patienter excedit, & majore patientiâ postmodum supplex adhuc, magis impium, & persecutorem, muneribus pacificis ad concordiam redigit.* Advertite, quos actus dilectionis erga inimicos nos docuerit S. Jacob. *Inimico modestè cedere, non repensare vicem odii, illum honorare, placare eundem muneribus, & variis actibus mutuæ dilectionis; serio cogitare de reconciliatione, invitare humilitate, acquirere officiis, & quovis precio emere affectum, amorem, & amicitiam inimici.* Hæc est celsitudo perfectæ caritatis.

§. 10. Et Patriarcha Ioseph.

In Josephum, virtutis hujus pulcerrimum speculum, oculos quoque conjicite. S. Aug. Ser. 168. de temp. de illo ait: *Pro fratricidii crimine, impiis & inimicis fratribus suis, non odii amaritudinem, sed caritatis dulcedinem repensavit. Osculabatur enim singulos, & per singulos flebat.* S. Cyprianus. *Ioseph venundatus à fratribus, non tantum patienter ignoscit, sed gratuita frumenta venientibus, largiter & clementer impertiit.* D. Ambr. *Iure mirandus! ut læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret injuriam, sed gratiam pro contumeliâ solveret.* Iterum S. August. Ser. 83. de temp. *Miramini Iosephi castitatem; aspicite nunc benignitatem. Pro odio reddidit, caritatem, & cum videret fratres suos, imò inimicos ex fratribus, cumq; ab eis agnosci vellet, dilectionis affectum, pro dolore testatus est ad eos; Osculabatur singulos, & per singulos flebat, & irriguis fletibus paventium corda perfudit.* Odium fratrum, caritatis lacrymis abluit.

Omnes

Omnes germano corde dilexit, nec recordatus fuit illum, à quo dejectus fuerat in lacum, à quo litigatus &c. sed pro malis bona restituit. O celsitudinem caritatis!

Unum actum Josephi silentio præterire non possum; quod nimirum ita siluerit, nullam faciendo mentionem, de injuria à fratribus sibi illatâ. Potuisset omne negotium Regi significare, potuisset contra fratres totam Pharaonis aulam concitare, poterat narrare scelera in se commissa, &c. nihil horum fecit, omnia occultavit, tantùm dicens *furto abductus sum de terrâ hebræorum.* Imò fratres excusavit, illis dicens. *Non vos hæc mihi fecistis, sed DEI erga me providentia hæc fieri permisit. Quid ergo est, inimicum diligere* (quærite S. Ambrosius) *quàm nihil asperum quærere adversus illum?* Hoc est, *illum amare, ea illi optare, per quæ DEUM habeat propitium.* Ecce pulcerrimam occasionem, in quâ ostendere possumus nos diligere inimicum! possent v.g. aliis referre illatas injurias; posses alios qui tibi bene volunt, contra illos concitare; posses revelare eorum defectus, posses illis varie nocere, sed sile! nullam fac apud alios injuriarum mentionem (ecce iterum locum pro pulcrâ inductione.) Hæc est celsitudo caritatis. §.11. *Prosecutio.*

Nihil dicam de Moyse, de Davide, & aliis eximiis viris in Vet. Test. In novo, in unicum S. Stephanum, veluti pulcerrimum speculum hujus virtutis, oculos conjicite. Adversarii ejus (Act. c. 7. v. 54.) *dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum, impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes extra civitatem lapidabant.* S. Greg. Nyss. de S. Steph. *Manus lapidibus armabant, obtutu, anhelatione, dentium collisione sævitiam præ se ferentes. Ipse verò, tanquam fratres aspiciebat, tanquam Angelos Dei facie coruscans, nullâ maledictione commotus. Ipse, clamavit voce magnâ dicens, Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Dion. Carth. *Hoc verbo prolato mox spiritum exhalavit.* Utinam accendamur hoc exemplo S. Stephani, ut eodem modo diligamus inimicos, Corde, linguâ, opere. Act. 7. v. 35. §.12. *Et S. Steph.*

O si imitaremur illam Sanctam! si volumus, imitari possumus, quæ, ut Taulerus refert, interrogata, quonam modo ad tan- §.13. *Et alia Persona sancta.*

tam pervenisset perfectionem & sanctitatem, instigante Spiritu Sancto, respondit; *Eos, qui mihi molesti, vel infesti erant, singulari amore dilexi; atque illi à quo læsa fueram, peculiare semper beneficium contuli, quod alias ei non contulissem. Contuli autem ex amore IESV, purè propterea, quod me voluerit lædere.* O celsitudinem dilectionis! Consideremus quæso hæc verba hujus Sanctæ personæ, & occurrent nobis pulcerrimi modi, quibus inimicos poterimus diligere.

§.14. Et S. Catharina Senensis. Quantum in hoc triumphavit Caritas in S. Catharina Seneasi! Vetulæ alicui laboranti gangrænâ, læto vultu illi inservivit. Cum nauseam ob fœtorem & fœtida ulcera sentiret, adeo vicit naturam reluctantem, ut saniem ex ulcere suxerit. *Licet ab ægra cogeretur audire convitia, tamen à servitiò non desistit, licet à vetulâ sciret se per totam urbem diffamari, non tantum à ministerio non cessavit, sed majori cum caritate, illi inservire studuit;* Contigit autem, ut cum in cellam suam se subduceret, & coram Cœlesti sponso suo, de hâc sibi irrogatâ infamia conquereretur, & lamentaretur, amarissimas fundens lacrymas, Christus D. visibiliter illi apparuerit, tenens in dexterâ Coronam auream, margaritis & gemmis ornatam, in sinistrâ verò Coronam ex acutissimis spinis contextam, eique dixerit; *Sciendum tibi est, quod pro diversitate temporum ambabus hisce coronis redimiri debeas. Eligito igitur illam quæ magis placet, hoc tibi persuadens, quod si spineam acceperis, aurea corona in vitâ futurâ tibi sit reservanda.* Et Catharina, exporrectâ manu, statim spineam coronam accepit, parata ad tolerantiam omnium injuriarum. Et tu fili mi, audi consilium Auct. Op. imperf. *Si injuriam pateris, noli præsentem injuriam aspicere, sed considera gloriam, quam pro mercede accepturus es. Amplectere spineam Christi D. coronam, amplectere inimicos tuos, qui tibi cum spinis offerunt rosas & gemmas, in æternitatem perennituras.*

§.15. Et alia insignis Heroina. Finem huic exhortationi imponat insignis Heroina, appellata Cajeta. Cujus filium, cum Nobilis quidam occidisset, & ideo à magistratu quæreretur ad carcerem, sed alium locum refugii non reperiret, ad occisi Matrem confugit; & illa, constanti animo, sublevatis in cœlum oculis, benedictum *sit*, inquit, *nomen Domi-*

ni,

ni, sicut Domino placuit, ita factum est; & ut erat generoso & Christiano spiritu prædita, non modò à vindictâ abstinuit, sed ejus saluti consulens, in abditissimo loco servavit occultum. Puto hanc Heroinam fuisse DEO & angelis jucundissimum spectaculum. Quæso Reverendi Patres, Carissimi Fratres, estote generoso spiritu præditi. Si fortassis aliquis vos lædat, cohibete vindictam, fugite ad Christum Crucifixum, & in roseis ejus Vulneribus abscondite illos, qui vos lædunt. Orate cum S. Xaverio, *te ego Iesu Christe, Deus cordis mei per acerbissimos mortis tuæ cruciatus, oro & obtestor, ut intuearis cicatrices, & Vulnera, quæ æterno Patri assidui ostentas, fac ut huic à quo læsus sum, sint salubria. Vel O Iesu Christe! obsecro te per quinque illa vulnera, quæ tibi in Cruce amor nostri inflixit, subveni huic meo inimico, quem precioso sanguine redemisti, Ego, O mi IESV amore tui omnibus ignosco* implora gratiam Spiritus Sancti, ut patheticum tibi suggerat affectum dilectionis erga inimicos.

Si desideres exemplum domesticum, vide vitam S. Ignatii, à P. Bartolo conscriptam, reperies ibi pulcra.

DE

DE DEVOTIONE ERGA SACRIFICIUM MISSÆ.

Exhortationes binæ.

EXHORTATIO I.

DE DEVOTIONE ERGA SACRIFICIUM MISSÆ.

Altare facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra, Exod. 20. v. 24.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AGit de sacrificii hujus excellentiâ, dignitate, utilitate, necessitate, & aliis ejus qualitatibus, quod sit Eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium.

§. 1. *Testimonia quorundam SS. PP. de sacrificiis missæ sublimitate.*

§. 2. *Prosecutio.*

§. 3. *Prosecutio.*

§. 4. *Prosecutio.*

§. 5. *Testimonia SS.* PP. *de missæ utilitate.*

§. 6. De *ejusdem in Ecclesiâ necessitate.*

§. 7. *Per sacrificium missæ laudamus DEUM, & agimus illi gratias.*

§. 8. *Idem sacrificium est propitiatorium.*

§. 9. *Et quidem ex institutione Christi.*

§. 10. *Similitudo Osorii.*

§. 11. *Sacrificium missæ simul est impetratorium.*

§. 12. *Piissima cogitatio.*

§. 13. *Observatio quædam Theologica.*

Initio

INitio unius aut alterius exhortationis, de devotione erga SS. Sacrificium Missæ, puto præmittenda esse aliqua dicta SS. Patrum de sublimitate & excellentiâ hujus sacrificii; v.g. illud ex B. Laur. Justin. Ser. de corp. Christi. *Nullum acceptabilius DEO posse offerre sacrificium, ad ejus gloriam, sive ad exsolvendum laudes, & gratias, sive ad impetrandam indulgentiam, vel ad gratiam & gloriam promovendam quàm Corporis & sanguinis Christi Sacrosanctum mysterium.* Quæ namq; Patri æterno potuit esse laus, vel satisfactio, dum arietes, boves vituli, & similia animalia fuerunt in Veteri lege oblata; respectu Agni Immaculati, qui in altari quotidiè offertur & immolatur? Pulcrè idem Sanctus: *Trutinæ committite omnia alia opera meritoria, orationes, jejunia, &c. hinc illa: exinde verò solum collocate sacrificium incruentum reperietisq; nullam inter hoc, & illa, v.g. mille tauros, &c.* dari proportionem: cum in hoc sacrificio offeratur ipse Filius DEI. Suarez. disp. 79. Sect. 91. *Quando sacerdos offert hoc sacrificium, Pater æternus intuens donum illud, non sistit in sacerdote, sed in illo respicit personam Filii sui, quem repræsentat, & ideo acceptat illam purissimam oblationem, ut summè gratam, & acceptabilem sibi.* Zachariæ 9. v. 17. *Quid enim bonum ejus est, & quid pulcrum ejus?* q.d. In quonam putatis DEUM singularem monstrare complacentiam, satisfactionem, maximeque amabiles percipere delicias, nisi in frumento datorem, & vino germinante Virgines, quæ verba de hoc sacrificio intelligenda sunt, quod juxta Melchisedech DEO offertur sub speciebus panis & vini. Clara est decisio Concilii Tridentini *una eademq; est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui se ipsum tunc in Cruce obtulit.* S. Cyprianus ep. 63. *Sacerdos in altari vice Christi fungitur* (potest hic fieri devota digressio ad præcipua mysteria Passionis, v.gr. sacerdos ad altare, pro Christo D. æterno Patri, offert sanguinum sudorem &c.) S. Chrysost. hom. 83. super S. Matth. *Qui tunc in illâ cœnâ confecit* (scilicet corpus & sanguinem Christi) *ipse nunc quoque operatur. Cum videris sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam.*

§. 1. *Testimonium quorundam SS. PP. de sacrificii missæ excellentia & sublimitate.*

Patheticè ait S. Bonav. t. 7. de institut. Novit. p. 1. cap. 11. *Non minus videtur DEUS facere in hoc, quod quotidie dignatur de cœlo*

§. 2. *Prosecutio.*

DE DEVOTIONE ERGA SACRIFICIUM MISSÆ.

Exhortationes binæ.

EXHORTATIO I.

DE DEVOTIONE ERGA SACRIFICIUM MISSÆ.

Altare facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra, Exod. 20. v. 24.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

AGit de sacrificii hujus excellentiâ, dignitate, utilitate, necessitate, & aliis ejus qualitatibus, quod sit Eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium.

§.1. *Testimonia quorundam SS. PP. de sacrificiis missæ sublimitate.*
§.2. *Prosecutio.*
§.3. *Prosecutio.*
§.4. *Prosecutio.*
§.5. *Testimonia SS.* PP. *de missæ utilitate.*
§.6. De *ejusdem in Ecclesiâ necessitate.*
§.7. *Per sacrificium missæ laudamus DEUM, & agimus illi gratias.*
§.8. *Idem sacrificium est propitiatorium.*
§.9. *Et quidem ex institutione Christi.*
§.10. *Similitudo Osorii.*
§.11. *Sacrificium missæ simul est impetratorium.*
§.12. *Piissima cogitatio.*
§.13. *Observatio quædam Theologica.*

Initio

INitio unius aut alterius exhortationis, de devotione erga SS. Sacrificium Missæ, puto præmittenda esse aliqua dicta SS. Patrum de sublimitate & excellentiâ hujus sacrificii; v.g. illud ex B. Laur. Justin. Ser. de corp. Christi. *Nullum acceptabilius DEO posse offerre sacrificium, ad ejus gloriam, sive ad exsolvendum laudes, & gratias, sive ad impetrandam indulgentiam, vel ad gratiam & gloriam promovendam quàm Corporis & sanguinis Christi Sacrosanctum mysterium.* Quæ namq; Patri æterno potuit esse laus, vel satisfactio, dum arietes, boves vituli, & similia animalia fuerunt in Veteri lege oblata; respectu Agni Immaculati, qui in altari quotidiè offertur & immolatur? Pulcrè idem Sanctus: *Trutinæ committite omnia alia opera meritoria, orationes, jejunia, &c. hinc illa: exinde verò solum collocate sacrificium incruentum reperietisq; nullam inter hoc, & illa, v.g. mille tauros, &c.* dari proportionem: cum in hoc sacrificio offeratur ipse Filius DEI. Suarez. disp. 79. Sect. 91. *Quando sacerdos offert hoc sacrificium, Pater æternus intuens donum illud, non sistit in sacerdote, sed in illo respicit personam Filii sui, quem repræsentat, & ideo acceptat illam purissimam oblationem, ut summè gratam, & acceptabilem sibi.* Zachariæ 9. v. 17. *Quid enim bonum ejus est, & quid pulcrum ejus?* q.d. In quonam putatis DEUM singularem monstrare complacentiam, satisfactionem, maximeque amabiles percipere delicias, nisi in frumento datorem, & vino germinante Virgines, quæ verba de hoc sacrificio intelligenda sunt, quod juxta Melchisedech DEO offertur sub speciebus panis & vini. Clara est decisio Concilii Tridentini *una eademq; est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui se ipsum tunc in Cruce obtulit.* S. Cyprianus ep. 63. *Sacerdos in altari vice Christi fungitur* (potest hic fieri devota digressio ad præcipua mysteria Passionis, v.gr. sacerdos ad altare, pro Christo D. æterno Patri, offert sanguinum sudorem &c.) S. Chrysost. hom. 83. super S. Matth. *Qui tunc in illâ cænâ confecit* (scilicet corpus & sanguinem Christi) *ipse nunc quoque operatur. Cum videris sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam.*

§. 1. Testimonium quorundam SS. PP. de sacrificii missæ excellentia & sublimitate.

Patheticè ait S. Bonav. t. 7. de institut. Novit. p. 1. cap. 11. *Non minus videtur DEVS facere in hoc, quod quotidie dignatur de cælo*

§. 2. Prosecutio.

descendere super altare, quàm cum de cælo descendens naturam humani generis assumpsit factus homo. Et ideo hoc est memoriale totius dilectionis suæ, & quasi quoddam compendium omnium beneficiorum suorum, quod nobis reliquit: Incarnationis, & Redemptionis, & glorificationis, & justificationis figuram in hoc inclusit. Quid sublimius de hoc sacrificio dici potest?

§. 3. *Prosecutio.* Et Conc. Tridentinum Sess. 22. c. 1. *Etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum, repræsentaretur, ejusq; memoria in finem usq; sæculi permaneret, sacerdotem secundum ordinem Melchisedec se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini* DEO *Patri obtulit.* Quid sublimius? quid affectuosius? quid efficacius ad concitandam nostram devotionem?

§. 4. *Prosecutio.* Seraphicus S Franciscus. *Totus homo paveat! totus mundus contremiscat, quando super altare, in manibus sacerdotis est Christus Filius Dei vivi! O admiranda altitudo! O sublimitas humilis! quod Deus sic se humiliat, ut pro nostrâ salute, sub modicâ panis formulâ se abscondat.* P. Suarez. cit. Missa *est expressa quædam, & viva imago Passionis Christi, & consequenter Incarnationis & aliorum Christi mysteriorum, quibus nihil altius & excellentius esse potest.* Sacrificium hoc habet infinitatem quandam in genere sacrificii, non tantùm ex parte rei oblatæ, sed etiam ex parte offerentis, non minus quam habuit sacrificium quod Christus per se obtulit in cœnâ, nam est prorsus idem, & ejusdem dignitatis. Nam quod nunc interveniat ministerium sacerdotis, & quidpiam valde materiale, quod non diminuit moralem æstimationem, seu valorem oblationis. Hæc breviter de sacrificii missæ sublimitate, dignitate, & infinitâ excellentiâ.

§. 5. *Testimonia SS. Patrum de missæ utilitate.* De ejus utilitate (ut breviter aliquid de illa dicam) dicit S. Chrysost. *Tantum valet celebratio missæ, quantum mors Christi in Cruce, unde* Doctor Angelicus ait; *In quâlibet missâ invenitur omnis fructus,*

fructus, & utilitas quam Christus in die Parasceves operatus est in Cruce, cum morte sua. Itaque rursum committite trutinæ; hanc Crucem, spinas, clavos, &c. & inde unum sacrificium missæ tantum valet, quantum priora. Certum enim est, quod missa non solùm sit memoria, & repræsentatio illius cruenti sacrificii, verum etiam Christus ipse intervenit, tanquam agens principale ac præcipuus sacrificans, qui semetipsum obtulit in cœnâ ac in Cruce; ac proinde missa est ejusdem valoris. Concil. Trident. cit. *In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruenter immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruenter obtulit.* Quid nobis utilius DEO offerri potest? Pulcrè S. Bonav. *Missa, tam plena est mysteriis, sicut mare guttis, sicut Sol atomis, sicut firmamentum stellis, sicut cælum empyreum Angelis.*

Sublimitati & utilitati missæ, de ejusdem necessitate addo unicum testimonium Ruperti Abb. de div. off. lib. 2. cap. 10. *Aufer à cœtu Ecclesiæ quotidianas Salvatoris nostri hujusmodi exequias, & vide quàm meritò dicat ipse Salvator. Quæ utilitas in sanguine meo? Refrigescente enim ea, quæ in hoc mundo nunc ubiq; calet ejus memoria, refrigescet universa caritas muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis justi Abel, qui per traditum tanti sacrificii ritum, quotidie laxat os bibentis, & vociferantis terræ, scilicet Ecclesiæ, maledicitur coarguens Cain, & maturam indignè fusi sanguinis vindictam reposcens. Calente ergo memoria tam celebri, caritas Christi concalescit.* Horresco itaque, & contremisco, quoties considero miserabilem illorum statum, qui nullam de sacrificio hac habent æstimationem, qui nullâ in illud feriuntur devotione, quibus parum interest an missæ frequenter intersint, an non, etiam diebus DEO sacratis. Dulci è contra profundor voluptate, dum illos aspicio, qui tantum mysterium æstimant ut par est, & solliciti sunt, ut possibili devotione illud offerant, vel illi intersint. §. 6. *De ejusdem in Ecclesiâ necessitate.*

Alii quoque effectus & fructus hujus sacrificii, nobiles sunt & eximii. Inprimis nullum habemus aptius medium ad laudandum DEUM, & ad agendum illi gratias pro innumerabilibus beneficiis, quàm sacrificium missæ; una quæ cum regius psaltes esset sollicitus dum quæsivit, *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit* §. 7. *Per sacrificium missæ laudamus Deum, & agimus illi gratias.*

 mihi,

mihi, Ps.115.v.12. mox oculos conjicit in futurum aliquando hoc sacrificium, & respondit, *Calicem salutaris accipiam, & sacrificabo illi*, ubi B. Laur. Justin. Ser. de corp. Xi. *Sane nullo alio sacrificio honorificentius colitur & laudatur DEVS quàm per altaris immaculatam hostiam, quàm praecipuè ob divinæ laudis exhibitionem complendam, Ecclesiæ suæ Christus offerendam instituit*, & ut mediante hoc sacrificio jugiter illi agamus gratias. Cujus figura fuit Levit. 6. v. 12. *Ignis in altari semper ardens*, ubi Philo ait l. de off. vict. *Quia perennes Dei gratiæ nec deficiunt, nec intermittuntur, sed interdiu noctuq; hominibus se præbent; altaris sacra flamma figurat, semper instaurandam gratiarum actionem, ne quando extinguatur*. Ut non extinguatur, hoc suadet Rupertus Ab. l. de glorificatione Trinitatis, *dulciter illud memoriæ nostræ occurrat, quod dum de Christo Domino refertur, quod in ultima cœna in manus acceperit calicem, statim dicatur, quod elevatis oculis in cœlum ad DEVM Patrem suum omnipotentem, ei gratias egerit*. Itaque infert, quivis *sub missæ sacrificio, IESV Christi Passionem sibi proponat, amanti compassione eam commemorans, atq; animo revolvens, & humili cum devotione, gratias illi agat, qui pro nobis homo fieri, & turpissimam mortem pro nobis sustinere voluerit, eamq; Patri cœlesti, & te ipsum simul offerens: sicut & ipse moriens fecit, atq; etiam nunc facit in vita æterna, coram cœlesti Patre suo*. O si hâc intentione, & tali devotione, exemplo Christi D. quotidie DEO offerremus, hoc sacrificium laudis & gratiarum actionis.

§. 8. *Idem sacrificium est propitiatorium.*

Alter fructus est, quod sacrificium missæ, sit propitiatorium, quod in remissionem peccatorum nostrorum, & ad iram DEI placandam, à Christo D. institutum est: clarè de hoc & elegantissimè, & devote Conc. Trid. ita discurrit Sess. 22. c. 2. *Sancta Synodus sacrificium illud verò propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit*. Proinde inquit Osorius t. 4. de missa. *Si DEVM placare vis, placa eum, munere dato ingenti: offer illi Christum, ejus merita & satisfactionem. Plus illi Patri placuit, quàm tu displicere potueris*,

tueris, & universus mundus, dic ergo Patri indignus ego sum veniâ : sed ecce Filium tuum, quem mihi dedisti, tibi offero : qui plus tibi placuit, quàm ego displicuerim, majora sunt ejus merita, quam peccata mea. Affectuosa est cogitatio doctissimi Mansii. Si in monte Caluario quispiam peccatis onustus, sacrificio cruento Crucis præsens adfuisset : & contento corde cùm pio latrone dixisset, *Memento mei IESV!* quidputatis ? an à Xo. Domino fuisset repulsus ? nefas est, hoc cogitare. Idem cur non fiet quotidie in sacrificio missæ ; cum idem Redemptor, qui tunc sacrificatus fuit in Cruce sit ille ipse, qui quotidie in missa offertur æterno Patri in remissionem peccatorum ; dummodo nos &c.

Suam intentionem Christus D. quando sacrificium missæ instituit, his verbis insinuavit, *hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ideo (inquit Lud. Blesius) *crimina atque peccata oblatis his Domino sacrificiis debentur. Idcirco Passio ejus in his commemoranda est, quâ redempti sumus, & sæpius recitanda, atque hac Domino offerenda ; talibus hostiis delectabitur, atque placabitur Dominus, & peccata dimittit ingentia. Nihil enim in sacrificiis majus esse potest, quàm Corpus & sanguis Christi, nec ulla oblatio, hâc potior est, sed hac omnes præcellit.* S. Ambr. hanc infert consequentiam Sacr. c. 3. *si quotiescunq; effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum sumitur, debeo illum semper sumere* (saltem spiritualiter) *ut semper mihi peccata dimittantur.* In quibus tamen, hæc theologica circumstantia observanda est, quod sanguis Christi peccata deleat, non sicut causa proxima, sed, si dispositos inveniat, obtinendo gratiam, virtute illius veri sacrificii, & donum contritionis, atque justificationis, per quam debentur peccata : *pulcrè Suarez sacrificium Crucis non efficienter & immediatè justificavit sed tantum impetratoriè & meritoriè, alioquin continuo omnis homines effecti essent justi. Eodem modo sacrificium missæ, non justificat hoc immediatè sed impetrat, ut ex merito sacrificii missæ detur gratia, &c.* quem modum elegenter ita exponit S. Paulus ad Hebr. 9. 11. *si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emendationem carnis : quantò magis sanguis Christi qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum DEO, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.*

§. 9. *Et quidem ex institutione Christi*

§.10. *Similitudo Osorii.* Servit mihi similitudo Osorij. Quando quis graviter læsit alium, curat, si ejus amicitiam desiderat, & peccati veniam, aliquid ei gratum offerre; quo læsus injuriam remittat, & offensori reconcilietur. Sic Jacob dixit, *Placabo eum muneribus.* Ita cum nos in Deum graviter peccaverimus, ut ei reconciliemur, indigemus sacrificio. Christus verò est sacrificium expiationis, *hoc enim facto*, ait August. *solent servi delinquentes veniam consequi, si filios carissimos Dominis objiciant quibus ira mitigatur, sic orabat Psalmista Respice in faciem Christi tui.*

§.11. *Sacrificium missæ simul est impetratorium.* Alii sacrificii missæ effectus est, quod sit impetratorium, de quo eleganter Osorius t.4. *Solet, qui beneficium aliquod ab alio impetrare desiderat, muneribus datis ejus voluntatem lenire & disponere: sic ergò æterni Patris voluntatem cura tibi conciliare, Christi oblatione, ut nihil tibi neget eorum quæ petis. Et obsecro, qui gratis & sine ullo precio, innumera bona concedere solet, qui pro minimis maxima donat, quid tibi negabit Christum offerenti? obtulit Abraham filium, & continere se non potuit, quin diceret, benedicens, benedicam tibi &c. quid negabit offerenti Christum? Quid amplius Ecclesia dari potuit ut petat confidenter? quàm Christus, quem offerre possit, in eorum precium, quæ petit.*

§.12. *Piissima cogitatio.* *Vir fuit pietate insignis*, inquit sæpius citatus Osorius, *qui dicere solebat: videtur mihi, quod petitur, nihil esse cum missæ sacrificium offero, tanta enim res est, quæ Deo offertur, ut nihil reputandum sit omne, quod à Deo petitur.* Finge te adfuisse Cruci Christi, quando sanguinem fundebat pro mundo, quando latro exauditus est, si cum sanguine Christi collato, propter illam dona à DEO petivisses, quâ obsecro fiduciâ obtinendi postulares? Hâc fiduciâ in missâ tibi petendum est. Idem enim sacrificium ibi offertur, idem sanguis, eadem merita DEO proponuntur.

§.13. *Observatio Theologica.* Finio hanc exhortationem, pulcrâ observatione Card. Bellarmini t.2.l.2 c.3. de sacrif. m. *Sacrificium Crucis fuit meritorium, satisfactorium & impetratorium verè & propriè; quia Christus tunc erat mortalis, & mereri, & satisfacere poterat. Sacrificium missæ, propriè solùm est impetratorium, quia Christus nunc immortalis nec mereri, nec satisfacere potest. Cùm autem dicitur propitiatorium, vel satisfactorium*

rium, id intelligendum est, ratione rei quæ impetratur. Dicitur enim propitiatorium, quia impetrat remissionem culpæ: satisfactorium, quia impetrat remissionem pœnæ: meritorium, quia impetrat gratiam, quâ mereri possumus. Si illuminatus intellectus intelligat, quæ hactenus dixi de sacrificio missæ, movebit sine dubio voluntatem, & reliquas hominis potentias, tum interiores, tum exteriores, ut peculiari devotione, cultu & reverentiâ prosequantur tremendum hoc mysterium; de quibus in exhortatione sequenti.

EXHORTATIO II.

DE DEVOTIONE ERGA SACRIFICIUM MISSÆ.

Altare facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, &c. Exod. 20. v. 24.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

INtellectus illuminatus, ut apprehendat & credat puncta prioris exhortationis, facit ut sacerdos sacrificium missæ offerat DEO, cum cordis puritate, cum attentione & devotione, cum humilitate & amoris, atque cœlestium desideriorum ardore.

§. 1. *Propositio.*
§. 2. *In sacerdote requiritur puritas cordis.*
§. 3. *Ratio Theologica ex P. Suarez.*
§. 4. *Imitari debemus prudentiam serpentis.*
§. 5. *Timendum est, ne IESVS à sacerdote impuro avertat faciem.*
§. 6. *Requiritur in sacrificante attentio & devotio.*
§. 7. *Quæ sub missâ variis considerationibus foveri potest.*
§. 8. *Quàm excellens in illâ fuerit S. Ignatius.*

§. 9.

§.1. Propositio. PRoponet vobis, hæc exhortatio, aliquas observationes, vel monitiones, ad quas advertere debet sacerdos, qui pie & devotè DEO vult offerre sacrificium missæ.

§. 2. In sacerdote qui missam vult offerre, requiritur puritas cordis. Concilium Trid. Sess. 22. hoc monet. *Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum, à Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, ponendum esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur* Ita quivis sacerdos vivere debet, ut accessurus ad altare cum Davide dicere possis ex Ps. 5. v. 8. *Ego autem in multitudine misericordia, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, in timore.* Cajetanus legit, *in multitudine gratia* & quod inde sequitur, in *mundite* & *puritate cordis*, sive, accedat ad altare, *Corde immaculato.* Dion. Carth. pulcram affert rationem. *DEUS acceptans sacrificium ipse est secundum naturam divinam offerens se ipsum, secundum naturam assumptam. Et quoniam ipse Iesus Christus est totus sanctus, & sanctitas, idcirco sacrificii hujus minister, qui tenet vicem Christi, debet esse totus sanctificatus, omnia, quæ circa* Sacramentum *hoc sunt, debent esse sacra, & sacrata, ut Ecclesia, altare, calix vestes &c. multò magis sacerdos, ut nihil sit, quod non spiret sanctitatem, & munditiem, quò etiam plerumque diriguntur missarum collecta, orationes, & versus ex psalmis.*

§. 3. Ratio Theologica ex P. Suaretz. Simili modo discurrit Suaretz t. 3, de Sect. q. 83. a. 1. disp. 77. sect. 1. *Oblationis dignitas ex offerentis dignitate maximè pendet, juxta illud, Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Propterea hoc etiam quodammodo postulat dignitas rei oblata in hoc sacrificio qua infinita est, & purissima, & ideo à simili offerente principaliter offerri debet; ut talis oblatio nunquam (dignè) fieri possit à persona,*

nâ qua non sit Deo grata, & in omnibus actionibus suis pura & sancta, nam ut sacrificium sit purum non satis est, quod res oblata sit pura, sed idem requiritur in personâ offerente, quia sacrificium in oblatione & actione consistit: Sola autem Christi Persona est per se sancta, & in omnibus actionibus rectissima; non ergo debuit hoc sacrificium ab alio, quam à Christo principaliter offerri. Verum enim verò, tametsi Christus Dominus sit principalis offerens, non tamen ideo sacerdos, quo Christus tanquam instrumento utitur, immunis est ab obligatione puritatis & sanctitatis, utpote qui mundissimum & immaculati Agni Corpus, manibus contrectare, & ore sumere debet.

Hic locum habet illud monitum Christi D. *Estote prudentes, sicut serpentes.* S. Epiphanius hæresi 37. *serpens cum venerit ad bibendam aquam, priusquam ex fonte bibat, extra fontem evomit venenum suum & postea bibit. Ita & nos, quando ad altare accedimus, ut hauriamus aquas ex fontibus salvatoris, & ex roseis illius Vulneribus sacratissimum sanguinem, seponere debemus venenum peccatorum, & inordinatarum passionum. Venenum est odium, venenum invidia &c.* hi affectus antequam ad altare accedamus debent deponi, ut fiat quod Origens ait; in c. 6. ad Rom. *Certum est, quia ubi mors Christi animo circumfertur; multo magis ubi illa ad vivum præsentatur, & recolitur non potest regnare peccatum; Est enim tanta vis Crucis Christi, ut si ante oculos ponatur* (quod dum sacrificamus à nobis fieri debet,) *nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor dominari possit, sed continuò ad ejus præsentiam, totus ille peccati, & carnis fugetur exercitus.* § 4. *Imitari debemus prudentiam serpentis*

P. Bollandus 10. febr. in vita B. Wilhelmi Presb. ait. *Dum semel tuemendo altaris sacrificio interesset, in spiritu raptus Puerum IESVM vidit, pacem* (hoc est Crucem) *ab altari susceptam, distribuere per universam Ecclesiam, pluribus tamen prætermissis, qui puritate conscientiæ contemptâ, peccatorum labe erant inquinati.* Pia, sed horrore plena mihi occurrit cogitatio. Cum sacram hostiam in missa sumimus, nunquid ora nostra conjugimus ori Christi, nunquid basia infigimus sanctissimis ejus pedibus, &c. nunquid corda nostra Cordi illius conjungimus? O sacerdotes! videte ne bonus JESUS retrahat suos pedes; ne claudat rosea vulnera, ne suos § 5. *Timendum est, ne Iesus à sacerdote impuro avertat faciem.*

abigebat (*ficut Abraham muscas à victimis* Genesis 15.) *nostræ Redemptionis mysteria, in tanto sacrificio, non sine maxima spiritus delectatione revolvens, nec aliter illud peragens sacrificium, quam si Christum D. coram cernere pati & crucifigi.* Discite sacerdotes, quâ attentione & devotione debeatis offerre sacrificium Missæ.

Ob hanc causam (Conc. Trid. Sess. 22. c. 5.) adhibentur tot ceremoniæ, & mysticæ benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, v.g. humerale, in memoriam veli, quo Salvatoris oculi in domo Caiphæ, in quâ totâ nocte fuit illusus, fuerunt obvelati, (sic de veste alba, de cingulis, de stola, de casulâ &c.) aliaque id genus multa ex apostolicâ disciplina & traditione: quo & majestas tanti sacrificii commendetur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitentur. Ut quivis Sacerdos cum S. Francisco Salesio dicere possit: *Intereo quotidie missa sacrificio, ac ut mysterio tam ineffabili decenter assistam, invitabo omnes meas facultates, debitum ut sic suum agant.* Venite & videte opera Dominii Dom. in templo Sancto suo, sileat à facie ejus omnis terra. §. 7. *Qui sub missa variis considerationibus foveri potest*

Hujus attentionis & devotionis pulcerrimum speculum nobis proponit S. Bartolus in vitâ S. Ignatii: qui stans ad aram, sentiebat se non tantùm animo sed corpore, attolli in altum ante conspectum SS. Trinitatis, capillos arrigi, commoveri universum corpus ingenti ardore, quem sequebantur lacrymæ cum sensu pietatis vehementissimo: ut ad aram staret totus in amore JESU. Ipse de se scripsit, *in sacro frequenter, vehementi sensu ad tam alta mysteria affectus sum, cum ingenti motu, & lacrymis, cùm amore vehementissimo erga SS. Trinitatem.* (Si placet tibi ditarare hunc Paragraphum vide Bartolum in vita S. Ign. lib. 4. §. xxix.) §. 8. *Quam excellens in illa fuerit S. Ignatius.*

Attentio & devotio in sacerdote generat magnam animi humilitatem, & exteriorum corporis modestiam & reverentiam, qualem optavit S. Ambrosius dum à DEO ardenter petiit, edoceri; quantâ cordis contritione & lacrymarum fonte, quanta reverentia & tremore, quanta corporis castitate, & animæ puritate istud divinum & cœleste sacrificium sit celebrandum. Quapropter cum magno mysterio Ecclesia sancta priusquam fiat consecu- §. 9. *Ad sacrificium missæ rite peragendum in sacerdote requiritur humilitas & reverentia.*

 tio,

logono. *Plena est igne spirituali, & quemadmodum fontes aqua vim exundant, ita hæc flammam habet secretam, quæ corda depascit & urit.* Neque ignis præcessit tantem ante faciem ejus, cum in ultimâ cœnâ SS. Eucharistiam instituit, sed permanebit usque ad consummationem sæculi, ut omnia inflammet. Hinc illi ingentes animorum sensus, illi raptus, illæ lacrimæ; illæ flammæ ex pectore & ore sanctissimorum virorum prosilientes. Hinc ille cœlestis appetitus ad divinas has epulas, ad quas dulcissimus JESUS tam suaviter nos invitat, & amore incredibili præstolatur, ut ambabus ulnis, apertoque sinu & corde accedentes, benevolentissimè excipiat, & divinissimos thesauros largâ manu nobis impertiatur.

Cœlestis flamma divini hujus amoris in corde S. Bonaventuræ hoc accendit desiderium, ut ad altare accederet non solùm *ignitus totus!* sed etiem cogitatione, memoriâ & compassione *totus crucifixus*. S. Odo, quoties celebrabat, præ amoris magnitudine, videbatur sibi accipere dulces à Christo JESU amplexus, & vicissim se illum amorosissimè amplecti. S. Samson Ep. cum celebraret adeo intus ardebat amore, ut ex ore ejus visus fuerit erumpere ignis. Cor B. Beatricis cum missæ interesset, Christus D. igneo jaculo transfixit. De capite S. Martiri sacrificantis visus fuit emicare igneus globus. Qualem ignem putatis exarsisse in ejus corde? S. Anno divino sacrificio intentus globum igneum calici suo illabentem vidit. Quis cogitabit, quos ignes hic ignis Christi sanguine magis accensus in celebrandis pectore accenderit flammas divini amoris. Nemo cogitet, nobis de similibus flammis & incendiis non esse cogitandum, sed de scintillis tantum; nemo inquam hoc cogitet, quia in nostrâ est potestate, ut etiam flammas sentiamus cum istarum flammarum fontem etiam accedamus; cum evadet Christum habeamus in altari, & ejusdem Christi offeramus & sumamus Corpus & sanguinem.

§. 11. *Sanctorum sub sacrificio missæ, et inflammata caritas.*

Similem hic addere volui conglobationem de cœlestibus solatiis quibus sacerdotes ritè celebrantes à Christo D. recreari & perfundi solent. Sed videantur pii libelli, præsertim P. Nadasi; ego nolo excedere terminos exhortationis.

§. 12. *Prætermissio.*

§. 13. *Conglobatio effectuum et fructuum ſacrificii miſſæ.*

Qui ſacerdotes ſumus, allaboremus, ut quotidie cum cordis puritate, cum inſigni devotione, & attentione, cum profundâ humilitate, cum ardore caritatis deſideriorum, offeramus ſacrificium miſſæ; & cum fiduciâ ſperare poſſumus gratiam ſanctificantem. Sperare poſſumus peccatorum veniam & remiſſionem. Sperare poſſumus ab iiſdem præſervationem. Sperare poſſumus ſpiritualem quandam delectationem, & cœleſtis voluptatis guſtum, quo roborati in viâ & vitâ ſpirituali pergere poterimus, donec æternæ felicitatis fiamus compotes, ut in cœlis de facie ad faciem videamus in cœlis quem modò abſconditum adoramus & amamus in terris.

FINIS.